

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/examenhistoricum0000rdma

EXAMEN

HISTORICUM ET CANONICUM

LIBRI

R. D. MARIANI VERHOEVEN,

PROF. PUBL. ORD. SS. CAN. IN UNIV. LOVANIEN.

DE REGULARIUM ET SAECULARIUM CLERICORUM

JURIBUS ET OFFICIIS.

TOMUS PRIOR.

Gandavi.
Apud vid. Poelman
via dicta HOOGPOORT,
SUB SIGNO ENSIS CORONATI,

Bruxellis.
Apud Alph. Greuse
via dicta BEUGHEM, 4,
IN SUBURBIO SCHAERBEEK,

BIBLIOPOLAS.

1847.

Venit fr. 3.

EXAMEN

HISTORICUM ET CANONICUM.

par A. Timmbrock
et V. De Buck.

EXAMEN

HISTORICUM ET CANONICUM

LIBRI

R. D. MARIANI VERHOEVEN,

PROF. PUBL. ORD. SS. CAN. IN UNIV. LOVANIEN.

DE REGULARIUM ET SAECULARIUM CLERICORUM

JURIBUS ET OFFICIIS.

TOMUS PRIOR.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Los Gatos, Calif.

Gandavi.
Apud vid. Poelman
via dicta HOOGPOORT,
SUB SIGNO ENSIS CORONATI.

Bruxellis.
Apud Alph. Greuse
via dicta BEUGHEM, 4,
IN SUBURBIO SCHAERBEEK.

BIBLIOPOLAS.

1847.

50694

APPROBATIONES.

Cum tres theologi Societatis nostrae legerint edique posse censuerint librum cui titulus : *Examen historicum et canonicum libri R. D. Mariani Verhoeven, Professoris publici ordinarii SS. Canonum in Universitate Lovaniensi;* ego infrascriptus Praepositus Provinciae Belgicae Societatis Jesu concedo facultatem dictum librum typis excudendi. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas consuetoque officii mei sigillo munitas, dedi Bruxellis 4 Julii 1847.

L. S. A. Matthys S. J.

Vidi Gandae 8 julii 1847.

P. F. Velleman Can. Theol. L. C.

PROOEMIUM.

Quum in praesenti opere librum R. D. Mariani Verhoeven, Sacrorum Canonum in Universitate Catholica Professoris, ad examen vocemus et ad veritatis trutinam expendere conemur, non opinamur futuros, qui hoc consilium improbent aut operam supervacaneam ducant. Ad hoc quippe nos adegerunt tum continuo subnascentes ex illo libro controversiae, nec facile nec sine multis ambagibns componendae, tum etiam ipse scopus, quem sibi praestituit R. D. Professor; volebat scilicet jura utriusque cleri, saecularis et regularis, accurate definire et sic definita servare immota : sed quoniam praeter mentem Cl. Jurisconsulti, minus aequum pro se arbitrium judicabant regulares, consultum existimarunt hac lucubratione sua jura sarta tecta tueri : nam ibi demum constans erit concordia, ubi suum cuique plene servabitur.

Et initio quidem praefationis suae, ubi agit Rev. Dominus quas appellat causae suae vindicias (1), profitetur (2) « nolle se ut aliam ab ea quam habet mentem unus aliquis lector sibi affingat »; quam quidem mentem paulo post ita exponit (3) : « Dissensionis igitur (inter saecularem et regularem clerum) causa quominus oriatur, ego pro viribus impedire volo, estque hic unicus totius scriptionis meae finis. » Summopere profecto laudanda est ista mens et iste scopus omni conatu est expetendus. Verumtamen antequam manus tabulae admo-

(1) Praef. pag. III.
(2) Pag. I.
(3) Pag. III.

veretur, exquiri forsan potuisset an faverent scriptioni adjuncta temporis, et maxime an merito sperari posset per breve opusculum sopiendas esse omnes dissensiones earumque fomitem extinguendum, postquam tot decretales epistolae Pontificum, tot Conciliorum statuta, tot declarationes Sacrarum Congregationum, tot egregia summorum scriptorum opera impedire superioribus temporibus non potuerint quin etiam inter optimos sanctissimosque viros orirentur controversiae et pax turbaretur.

Nihilominus ut praestitutum sibi scopum certius attingeret Rev. Dominus, quasdam sibi praescripsit leges, hisce verbis expressas (1) : « Quod attinet ad rationem, quam in tractandis quaestionibus secutus sum, primo quidem ad amussim sequi volui auream Ciceronis regulam, quam cuivis auctori proponit (2) : « Ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri dicere » non audeat, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua si» multatis ; » deinde maximam in eo curam posui, ut quaestiones, quas discutiendas esse duxi, e Summorum Pontificum constitutionibus, Conciliorum, imprimis vero Tridentinae Synodi decretis, vel tandem ex dicasteriorum Romanae curiae sententiis, quoad ejus fieri posset, solverem. Hoc ubi praestare potui, supervacaneum fuisset in eamdem rem pragmaticorum (sic canonistas appellat) sententias allegare. Recentissimas constitutiones et decreta sedulo indagare debui ; isque profecto labor fuit non ita facilis ; quare minime mirum mihi videretur, si in tanta tamque varia ac multiplici rerum serie quandoque fuissem allucinatus et dormitassem. Sed id mihi, quaeso, indulgeat lector benevolus, et imperitiae meae detur et ignorantiae ; nam illud confidens assevero, nihil eorum, quae ad rem facerent, scienter a me praetermissum, nihil neglectum. »

Porro vix lucem aspexerat R. D. Professoris Liber Singu-

(1) Ibid. (2) De Oratore II.

laris, quum in Menaeo Lovaniensi mensis Augusti (1) scriptor quidam eumdem summo praeconio extulit dicens « eximiam laudem libri R. D. Professoris esse nullam in eo proponi sententiam, quae nixa non sit decisione, plerumque recenti, Pontificum, Conciliorum aut dicasteriorum ecclesiasticorum; nullum in eo referri factum, cui impressum non sit irrepudiabilis testimonii sigillum; difficile fore de argumento tam ancipiti librum conscribere majori prudentia et libertate. » Quam censuram suo calculo approbasse, saltem pro parte, videtur R. D. Verhoeven, dum in eodem Menaeo (2) scribit « persuasum sibi esse nihil a se fuisse dictum, quod certissimis juris canonici principiis consentaneum non sit; » et ad Cl. virum Petrum Kersten (3) « librum suum dictatum esse a lege, legem in suo libro loqui, neque alios sibi adversari posse quam adversarios legis. »

Hisce stipatus encomiis prodibat liber, cujus ope juxta mentem sui auctoris omnia jura concordare debebant. Verum res aliter cecidit. Quum enim antea numquam fere fiebat sermo de regularium privilegiis, de jure et opportunitate exstruendi monasteria, deque innumeris id genus, continuo post editum R. D. Professoris opusculum, omnia partium studiis fervere; regulares ingemiscere hunc librum sibi maxime esse exitiosum, hostes seu Religionis seu religiosorum victoriam de regularibus relatam canere, passim quoque probi quique et graviores presbyteri lugere de pace interturbata, ac tandem R. D. Verhoeven apud incautos laicos tamquam religiosorum osor haberi (4).

Verum hujuscemodi querelis varias assignavit causas Menaeum Lovaniense (5) : ignorantiam scilicet juris canonici,

(1) Revue Cathol. de Louv. Août 1846, pag. 347 et seqq.
(2) Ibid. Octobre 1846, pag. 462.
(3) Journ. hist. et litt. Liége. Janvier 1847, pag. 447.
(4) Cfr. Diaria : L'Indépendance, la Constitution, le Feuilleton Belge.
(5) Revue Catholique. Janvier. 1847, pag. 643.

legum ecclesiasticarum impatientiam et sordidos animi affectus, quas tamen injurias in clerum regularem impingere non vult scriptor.

Atque haec rependebantur modestiae, qua regulares breviter monstraverant librum R. D. Verhoeven non undequaque ad legum canonicarum normam exactum esse, proindeque ejusdem assertis omnibus non illimitate esse fidendum (1). Quibus quidem verbis si vel solo silentio acquievissent R. D. Professor ejusque asseclae, certum nobis omnino est, quod post primas Menaei Leodiensis animadversiones nullus deinceps apex scriptus fuisset a regularibus, quibus suffecisset causam suam ab injuria utcumque vindicasse.

Ast quoniam compertum est quibusdam fixum ratumque esse motam contra regulares controversiam protendere, cavillationibus rationes retundere, quin posita a Rev. Domino principia in actum deducere, quum praeterea regularium querelae causis parum honestis adscriptae fuere, censuerunt regularium in Belgio Ordinum superiores libro quodam speciali opus R. D. Mariani Verhoeven excutiendum esse, monstrandumque plurima in illo contineri, quae peccant in Historiam et in Jus canonicum.

Nisi enim post repetitas controversias, in quibus saepissime, quid ultro citroque dicatur, plerique ignorant, ipse liber undequaque discutiatur, merito timent regulares ne allegata a R. D. Verhoeven tamquam indubia principia habeantur, ejusque sententiae abeant, ut vulgo dicitur, in rem judicatam. Quod sane quam perniciosum esset Institutis regularibus, nemo non videt : nam R. D. Professor statum religiosum deprimit, dum ejus naturam (2) et originem (3) exponit; exemptiones, quales nunc sunt, ut novitates sae-

(1) Journ. hist. et litt. Novembre 1846, pag. 341.

(2) Pag. 3-5.

(3) Pag. 5-11.

culo XI recentiores traducit (1), praecipuisque regularium privilegiis non alias assignat causas, quam necessitatem temporum et affectum Pontificum erga Ordines, e quibus assumpti fuerant (2); dum de privilegiis loquitur quasi perpetuis dissidiorum fontibus (3), unde tradit a Patribus Tridentinis non omnia sublata fuisse propter solos pristinos regularium labores (4). Animadvertunt insuper regulares omnia fere, quae docet R. D. Professor de construendis monasteriis, Ecclesiae legibus, historiae et quotidianae experientiae adversari (5); de monasteriis, quae ecclesiam habent, ita disseri ac si exploratum esset ea vulgo fore parochiis exitiosa (6), quin etiam detrimentum spirituale afferre Christi fidelibus (7); unde pronum est nomen religiosi exosum fieri; tandem quasi veritatem proponi principium, clero regulari generatim supplendum *tantum* esse defectum cleri saecularis (8).

Sunt et aliae quaestiones plurimae et gravissimae, quas tractandas reservamus in alium tomum, quem, Deo favente et superioribus nostris annuentibus, opportuno tempore edemus.

Unum restat ut lectorem moneamus, nos noluisse R. D. Verhoeven ullam sententiam affingere, quam ex ejus libro ad verbum aut per legitimam consequentiam non extraximus : quocirca Librum Singularem fere totum operi nostro intercalavimus, ut lector ipse, inspectis quasi instrumentis, dijudicare valeat, num placita et effata Rev. Domini accurate retulerimus.

Tandem profitemur et ut rem exploratam haberi cupimus, nobis nullum in hac lucubratione nostra esse cum Universitate Catholica Belgarum, quam reveremur, negotium, sed cum uno libro R. D. Verhoeven, qui solus nobis adversarius est :

(1) Pag. 27 et seqq.
(2) Pag. 28-31.
(3) Pag. 32.
(4) Ibid.
(5) Pag. 61-73.
(6) Pag. 73.
(7) Ibid.
(8) Pag. 122

a quo vicissim enixe petimus, ut ipse velit, ubi nos errantes deprehenderit, in semitam rectam reducere : in veritatis enim lucrum cedit, quidquid errori detrahitur. Unde nobis liceat tamquam hujus prooemii clausulam opportunam, imo tamquam sincerissimum votum, addere verba S. Augustini, de re ardua scribentis (1) : « Quisquis haec legit, ubi pariter certus est, pergat mecum ; ubi pariter haesitat, quaerat mecum ; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me ; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul caritatis viam tendentes ad eum de quo dictum est : *Quaerite faciem ejus semper* (2). »

(1) De Trinit. lib. 1, cap. 3, Opp. tom. 8, col. 731.

(2) Ps. CIV, 4.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

1. *Definitio status perfectionis Christianae.*
2. *Definitio status religiosi.*
3. *Substantiales et accidentales status religiosi partes.*
4. *R. D. Verhoeven perperam statum religiosum a statu perfectionis acquirendae discriminat.*
5. *Status religiosus a Christo fuit institutus.*
6. *Qua ratione status religiosus ad catholicam Ecclesiam pertineat.*
7. *R. D. Verhoeven non bene definit statum religiosum stricte dictum.*
8. *Quae R. D. Verhoeven de approbatione ecclesiastica ad statum religiosum requisita statuit, subsistere nequeunt.*
9. *Ex hac approbatione non sequitur statum religiosum esse humanae institutionis.*
10. *Distinctio approbationis in speculativam et practicam.*
11. *Professio tacita, hodie rarior, olim erat frequentissima.*
12. *In expressa professione nusquam antiquitus fiebat, nec modo in omnibus Ordinibus religiosis fit, explicita trium consiliorum evangelicorum enuntiatio.*
13. *Stabilitas in certo coenobio certave sub regula olim ad statum religiosum non requirebatur.*
14. *Declarantur alia quaedam circa professionem religiosam.*
15. *Ex ante dictis refutantur quae R. D. Verhoeven de professione religiosa ex Halliero descripsit.*

1. Ante omnia R. D. Verhoeven indagare statuit religiosorum Ordinum originem, simulque finem ob quem iidem Ordines in Ecclesia constituti sunt (1). Attamen posteriorem hanc propositi sui partem nusquam exsequitur; verum absque ulla indagationis specie finem omnium Ordinum religiosorum af-

(1) Pag. 1.

firmat semper fuisse ut homines qui statum religiosum amplecterentur, ad Christianam perfectionem tenderent (1). Inde vero mox ad definitiones status Christianae perfectionis et status religiosi dilabitur, quin ulterius de fine Ordinum religiosorum disserat.

Status Christianae perfectionis illi est (2) «conditio sive vitae institutum, quo homo et ad sui perfectionem et ad vitam aeternam tendit per alia media quam solam observationem mandatorum Dei et Ecclesiae, ad quae media amplectenda vel voto vel juramento vel alia ratione voluntatem suam obstringit. » Praeplacet nobis definitio S. Thomae (3) et Suarezii (4) : « Status perfectionis est quaedam vitae professio seu quidam vivendi modus firmus et stabilis ad propriam perfectionem vitae Christianae obtinendam vel exercendam institutus. » Comprehendit enim non solum statum perfectionis *acquirendae*, sed etiam statum perfectionis *exercendae* (5) : hunc autem definitio R. D. Professoris non attingit.

Porro perfectio Christiana, ad quam status perfectionis ordinatur, essentialiter et principaliter consistit in caritate, ita scilicet ut alias simul virtutes vel ut instrumenta vel ut accidentia caritatis contineat (6). Qualis autem caritas *statui perfectionis* prae *statu vitae communis* Christianorum competat, lucide suo more secundum S. Thomam (7) exponit Bellarminus, distinguendo quatuor caritatis gradus; quos ita describit (8) : « Primus gradus caritatis est diligere Deum quantum est diligibilis,... qui gradus soli Deo convenit... Secundus gradus est diligere Deum... quantum potest creatura... In hoc gradu versantur Beati... Tertius gradus est diligere Deum... quantum potest creatura mortalis, quae a se removit omnia divini amoris impedimenta et totam se Dei obsequio consecravit... Et haec est perfectio de qua loquuntur theologi, cum dicunt statum Episcoporum esse statum perfectionis adeptae, et statum religiosum esse statum perfectionis acquirendae..... Quartus

(1) Pag. 3.
(2) Ibid.
(3) 2. 2, quaest. 184. art. 4.
(4) De Relig. tract. 7, lib. 1, c. 5, num. 3.
(5) Cfr. Suarez, loc. cit. cap. 14.
(6) Cfr. Id. ibid. cap. 3.
(7) Opusc. de perfect. vitae spirit. cap. 3 et seqq. tom. 19 Operum, pag. 393 et seqq. edit. Venet. 1776-1788.
(8) De Monachis, cap. 2, tom. 2 Controvers. col. 427. edit. Ingolstad.

gradus est diligere Deum, non quantum est diligibilis, non quantum potest creatura vel absolute vel in hac vita diligere, sed tamen ita ut nihil aeque aut magis quam Deum diligat, id est, nihil admittat contrarium divinae dilectioni. Et hic gradus praeceptus est omnibus, et quamdam habet perfectionem, licet respectu superiorum sit imperfectus. Unde 1 Joan. 2 dicitur : *Qui servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est.* Et tamen Matth. 19 Dominus ei qui dicebat se omnia praecepta servasse, ait : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia*, etc. Loquitur enim Joannes de isto quarto gradu; Dominus autem de tertio, de quo nos in definitione religionis. »

2. Definitio haec a Bellarmino ita datur (1) : « Religio status est hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiae et obedientiae vota tendentium.» Nimirum liquet, ut idem scriptor bene annotat (2), « instrumenta aptissima atque utilissima ad hanc perfectionem acquirendam esse illas tres virtutes, paupertatem, continentiam et obedientiam. Nam ut quis perfecte Deum diligat, debet et se totum Deo tradere et omnia impedimenta removere. Tradimus enim Deo nos totos, quando tradimus animum, corpus et res exteras : nihil enim habemus aliud. Tradimus autem animum per obedientiam, corpus per continentiam, res exteras per paupertatem. Item per has virtutes removentur omnia impedimenta divini amoris. *Radix* enim *omnium malorum est cupiditas.* 1 Tim. 6... Omnis autem mala cupiditas ad tria capita revocatur... Nam 1 Joan. 2 dicitur : *Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae.* » Advertendum praeterea « non sufficere ad religionem has tres virtutes, nisi accedat votum, id est, sacra promissio Deo facta, qua quis obstringat se perpetuo ita victurum. Religio enim est status quidam : status autem significat rem immobilem et perpetuam. Quare fieri poterit ut aliquis sit perfectus, et tamen non sit in statu perfectionis; quemadmodum e contrario non raro accidit ut multi tam Episcopi quam religiosi sint in statu perfectionis et non sint perfecti. » Adde ex S. Thoma (3) ad statum insuper requiri *quamdam positionis differentiam :* quam quidem religiosae vitae, a statu saeculari per externam prae-

(1) Ibid.
(2) Ibid. col. 428.
(3) 2. 2, quaest. 183, art. 1.

dictae devotionis professionem distinctae, inesse unusquisque satis videt.

3. Quaecumque hactenus compendiose diximus, latius deducuntur a Suarezio (1); quem licet R. D. Verhoeven de hoc argumento potissimum consuluit, non tamen dubitavit ab ejus doctrina in nonnullis recedere, speciatim quod ad consilia evangelica pertinet. Docet Suarez ad statum perfectionis requiri observationem, non tantum *mandatorum,* quae omnibus Christianis sunt communia, verum etiam *consiliorum* (2); quamvis autem nullum sit consilium quod statui perfectionis competere non possit, esse tamen probe distinguenda consilia *particularia* a *generalibus*. Particulare consilium vocat quod de aliquo opere solum propter suam ipsius honestatem datur et aliis minus bonis præfertur; generale vero quod non datur solum propter suam honestatem, sed etiam propter utilitatem ad alias virtutes, praesertim ad perfectionem caritatis obtinendam. Probat dein generalia consilia ex parte materiae tria tantum numerari: *paupertatis, castitatis* et *obedientiae;* quibus ex parte modi addi potest quartum, nempe consilium firmandi per *votum* talia consilia: « Quia vero, ait (3), hoc consilium vovendi per omnes materias virtutum vagari potest, et quia supra caetera consilia quasi reflectitur et cum singulis quasi unum efficitur, vel etiam quia quodammodo transfert consilium in praeceptum et sub necessitate constituit quod erat liberum, ideo inter haec generalia non numeratur ut distinctum, sed sub illis comprehenditur. Atque ita haec tria consilia dici per antonomasiam solent *consilia evangelica* vel *consilia perfectionis* vel denique absolute et simpliciter *consilia :* alia enim sunt veluti secundum quid aut respective tantum. » Post quae explicat qui consilia haec particularia versentur ordinarie in materia praeceptorum vel gravium vel saltem levium, et solum ratione circumstantiarum dicenda sint consilia; dum contra continentia, paupertas et voluntatis propriae renuntiatio omnino sunt extra praeceptum (4): quamobrem tria hæc, quibus impedimenta perfectionis simpliciter auferuntur et homo Dei obsequio prorsus dicatur, *omnia* et *sola* ad statum perfectionis acquirendae *essentialia* sive *substan-*

(1) Lib. 1, cap. 1 et seqq.; lib. 2, cap. 1, 2 et 3.
(2) Lib. 1, cap. 10 et 11.
(3) Ibid. cap. 8, num. 2 et 3.
(4) Ibid. num. 4, 5 et 6.

tialia esse, reliqua vero esse quasi *accidentalia ;* quamvis multa sint necessaria ad plenitudinem perfectionis, nec tamen omnia omnibus ad perfectionem tendentibus, sed varia variis pro ratione circumstantiarum et finium cuique propositorum (1).

4. *Status* autem *perfectionis acquirendae* ac *status religiosus,* sicuti Doctori Angelico (2), ita quoque Suarezio (3) unus idemque status est, qui *perfectionis* dicitur a proximo fine intrinseco ad quem tendit, et *religiosus* ex habitudine ad finem ultimum seu Deum. Ac strictiori quidem significatione non alius est quam status regularium, qui se Deo totaliter consecrant et tradunt, vota de tribus consiliis evangelicis servandis emittendo. Latiori vero significatione complectitur et alios vivendi modos in quibus homines se offerunt divino obsequio, ad aliquam consiliorum observationem se obligando; et sic, ut dicit Suarez (4), comprehendit non tantum proprios et completos religiosos, sed etiam continentes qui per solum votum castitatis se Deo specialiter obligant, vel quoscunque alios qui non integre, sed ex parte vota religiosorum emittunt. « Quapropter, ait (5), sicut status perfectionis, ita etiam religiosus status ample sumptus distinguendus est in statum integrum ac perfectum et statum imperfectum, seu in statum *completum* et *incompletum.* »

At longe aliter loquitur R. D. Verhoeven. Etenim de *statu Christianae perfectionis* (nempe perfectionis *acquirendae,* siquidem de statu Episcoporum hic non est sermo) primum asserit (6) : « Non est necesse ad perfectionis Christianae statum ut quis consilia evangelica omnino omnia observet, quia diversis exercitiis perfectio potest acquiri ; et is qui operatur ad aliquem finem assequendum, non debet adhibere omnia media quae eo conducere *possint,* sed ea dumtaxat quae prudenter judicat esse illi fini assequendo accommodata. » Atque ita, ut facile patet, omnino abstrahit a divisione status perfectionis in *completum* et *incompletum ;* nec attendit, ut status ille completus sit, omnium trium consiliorum evangelicorum observantiam omnino requiri. Nihilominus illico post

(1) Ibid. num. 7; lib. 2, cap. 1 et 2.
(2) 2. 2, quaest. 186, art. 1.
(3) Lib. 2, cap. 1.
(4) Ibid. num. 1.
(5) Ibid. cap. 2, num. 18.
(6) Pag. 5.

ex ipso Suarezio definitionem simul et divisionem *status religiosi* describit; ac tandem sic concludit (1) : « Haec si probe considerentur, facile patet statum religiosum latiori significatione acceptum omnimodo cum statu Christianae perfectionis convenire; ac propterea, si de ejusdem origine quaeritur, dici debet Christum Dominum, qui certo certius statum Christianae perfectionis instituit, illum etiam statum instituisse. » Quod si Suarezii principia secutus fuisset integra, dicere debuisset statum religiosum latiori significatione acceptum omnimodo convenire cum statu perfectionis acquirendae latiori significatione accepto, et statum religiosum stricte dictum cum statu perfectionis acquirendae stricte dicto; ac propterea Christum Dominum, qui certo certius statum christianae perfectionis instituit, etiam instituisse statum religiosum, eumque non incompletum tantum, verum etiam completum. Atque id R. D. Professor eo magis dicere debuisset quod ipse mox subdat Christum adhortatum esse homines ut consilia evangelica observarent et se ad eadem perpetuo servanda voto obstingerent (2); ubi sane non unum aut duo solum, sed proculdubio *omnia consilia evangelica* adeoque totam completi status religiosi substantiam intelligit. Accedit quod nec accidentalia Christus omisisse dici queat; quandoquidem consiliis particularibus in omni genere virtutum ab eo traditis referta sunt Sacra Evangelia : ut proinde humanae operae in hac re nihil aliud relictum sit nisi prudens horum perfectionis mediorum ad certos fines proque certis circumstantiis delectus; unde varietas Religionum sive Ordinum religiosorum exsurrexit (3).

5. Verum R. D. Professor, ne consequentiam quae ex Suarezii doctrina profluit, admittere cogatur, novam inducit status religiosi strictiori sensu accepti definitionem a Suareziana ante proposita discrepantem (4); atque secundum eam definitionem adstruit statum istum a Christo Domino *non* esse institutum *nisi quatenus* ipse homines exhortatus est ad consilia evangelica sub voti obligatione observanda (5) : « caetera autem inquit (6), qua ad hunc statum sive ad ordinem religiosum pertinent, ab Ecclesia ordinata vel saltem approbata sunt, et al

(1) Pag. 6.
(2) Ibid.
(3) Cfr. Suarez, tract. 7, lib. 2, cap. 1 et 2; tract. 9, lib. 1, cap. 1
(4) Pag. 5.
(5) Ibid. — (6) Pag. 5 et 6.

ipsius moderamine pendent. Non enim Christus Dominus praefinivit ut fideles consilia evangelica observarent vitam communem agendo potius quam particularem aut solitariam; neque praescripsit quaenam exercitia et officia quasve peculiares regulas sequi deberent ut finem suum pertingerent; sed haec omnia Ecclesiae ordinanda reliquit. Status igitur sive ordo, in quo ii qui voluntarie eum amplectuntur, tria consilia praedicta observare debent vi voti atque secundum certam regulam et per praefinita quaedam sacra exercitia officiaque ad Christianae vitae perfectionem tendere, ab Ecclesia institutus est. » Quo in ratiocinio videtur scriptor in quadam vocum et rerum confusione versari; cui tollendae opportunum erit disserentem de hoc argumento paulisper audire Suarezium. Proposita is sibi quaestione : *Utrum religiosus status a Christo ipso fuerit institutus* (1), praemissaque pro more suo haereticorum de exoso hoc ipsis statu doctrina, de qua hic nobis locus dicendi non est, continuo post respondet in hunc modum (2) : « Pro explicatione advertendum est aliud esse loqui de statu religioso puro ac nudo, quoad ea quae illi substantialia sunt, aliud vero esse loqui de illo ut determinato ad certam regulam seu certum vivendi modum, vel, quod perinde est, ut talibus circumstantiis vestitum. Dico ergo primo : Status religiosus secundum se et quoad substantiam suam ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus fuit; atque ita dici potest esse de jure divino, non praecipiente, sed consulente. Haec est sententia omnium catholicorum recte sentientium.» In cujus rei confirmationem citat S. Thomam, Waldensem, Clictoveum, Sotum, de Castro, Navarrum, Alvarum Pelagium, Catharinum, Turrianum, Bellarminum, Platum, Valentiam, Henriquezium, Pighium, Salmeronem et Vasquezium. Tum pergit (3) : « Eadem veritas sumitur ex antiquis Patribus, qui communiter docent Christianorum vitam et statum in duos ordines Christum distribuisse : unum profitentium communem viam mandatorum, ut sunt conjugati; alium qui profitentur altiorem et angelicam vitam, id est, religiosam. » Quae dicta ex SS. Athanasio, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, necnon ex Eusebio et Origene confirmat. Licet vero communis theologorum sententia Patrumque doctrina

(1) Tract. 7, lib. 3, cap. 2.
(2) Ibid. num. 3.
(3) Ibid. num. 4.

maximi sit ponderis, tamen « fundatur praecipue, ait Suarez (1), haec veritas in Evangelio, in quo Christus homines ad tria illa consilia paupertatis, castitatis et obedientiae exhortatur et ad vota perpetua de illis facienda... At vero substantia status religiosi in his tribus votis consistit : ergo hic status ab ipso Christo traditus est. » Idemque enucleans, dum ad quamdam objectionem respondet : « Dico secundo, inquit (2), Christum Dominum instituisse religiosum statum quantum ad omnia quae sunt de substantia talis status, etiamsi non instituerit particularem determinationem ejus ad talem regulam vel circumstantias. Illud vero sufficit ut dicatur talem statum instituisse. Haec ultima pars per se nota est ; quia res dicitur simpliciter talis ratione suae substantiae et essentiae, et ideo qui rei substantiam producit, absolute illam producit, etiamsi non conferat accidentaria. Sic etiam dicitur Christus instituisse Sacramenta, quia docuit ea quae sunt de eorum substantia, etsi accidentalia Ecclesiae commiserit. » Pauca haec ex multis a Suarezio dictis adduxisse satis est ut deprehendi possit R. D. Verhoeven ita de statu religioso esse locutum ac si dixisset Sacramenta ab Ecclesia esse instituta, quoniam accidentaria Sacramentorum ab ejus ordinatione repetenda sunt.

6. Unde neque omnino satisfacit nobis, quando inferius scribit (3) status religiosi originem *a se censeri* manare potius ex congenita indole Christianae Religionis, quam ita eum ortum esse ex persecutionibus, ut, nisi hae concitatae fuissent, nec religiosus status fuisset verosimiliter institutus ; et paulo post ait *verius* ratiocinari *sibi videri* eos qui originem hanc ex ipsa Christianae Religionis indole repetendam esse existimant. Cum enim pridem dixerit verum statum religiosum *ab Ecclesia* fuisse institutum, atque hic ut *opinionem* tantum exhibeat, quamquam sibi *veriorem*, id ab Ecclesia secundum congenitam Christianae Religionis indolem fuisse factum, nemo non intelligit quam latam portam, certe praeter suam mentem, R. D. Professor aperiat veteribus Josephistis et praesentibus religiosi status simul ac Ecclesiae hostibus, uno fere ore contendentibus hunc statum ab Ecclesia abrogari posse, atque adeo ob nescio quas politicas rationes reapse esse abrogandum. At non haec mens est venerandorum Gallicanae Ecclesiae An-

(1) Ibid. num. 5.
(2) Ibid. num. 6.
(3) Pag. 10.

tistitum, ut ex innumeris ante triennium ab eis editis scriptis, atque etiam suo gubernio oblatis, constat. Non haec mens est quam foverunt circa saeculi proxime elapsi finem illustrissimi in Belgio Episcopi, dum toties Imperatori Josepho II inculcarunt religiosum statum ad essentiam fidei et Religionis Christianae pertinere (1). Non haec sententia est theologorum, qui ad *notam sanctitatis* Ecclesiae requirunt ut exterius patefiat exercitio omnium virtutum in summo gradu, quatenus complectitur etiam *consilia evangelica* (2), dicente S. Francisco Salesio (3) : « Ipse Christus consilia evangelica in praxim deduxit, et ut ab Ecclesia primitiva in praxim deducerentur curavit; omnia scripta sunt et consignata : quid est tota Salvatoris vita nisi fidelium regula et instructio? Debuit ergo Ecclesia hoc documento uti, adeo quidem ut inter Christianae Religionis exercitia praxis hujus paupertatis, obedientiae et propriae abnegationis recenserentur. Et revera omni aetate Ecclesia exercitia haec observavit : unde colligitur eadem illi propria esse. Ad quid autem dedisset Dominus haec consilia, si nemo ea sequi deberet? Hinc patet in vera Christi Ecclesia perfectionem veram vitae Chistianae splendescere debere. » Hisce accedunt summi Pontifices, qui in approbandis Ordinibus religiosis Christi Domini verba saepenumero allegant; sed unum hic ex omnibus suffecerit citasse immortalis memoriae Pium VI, qui in Brevi super principiis Constitutionis civilis cleri Gallicani, de suppressione omnium regularium institutorum et prohibitione ne ulla alia in posterum admittantur, in hunc scribit modum (4) : « Regularium abolitio, a Conventu nationali plaudente haereticorum commentis decreta, laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum; laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam apostolicae doctrinae consentaneam; laedit ipsos insignes Fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non nisi a Deo inspirati eas instituerunt societates. » Si igitur horum omnium sententia ad intima

(1) Cfr. Epistola Em. J. H. de Franckenberg ad Belgii Gubernatores, in Synodico Belgico, edit. Cl. De Ram, tom. 2, pag. 516.

(2) Perrone, Praelect. theolog. vol. 8, pag. 94 et 135, edit. Lovan.

(3) Opere, tom. 8, disc. 14, p. 191, edit. Brixiens. 1830, apud. Perrone, vol. cit. pag. 136 et 537.

(4) Brevi *Quod aliquantum* ad Card. Rupefucaldium aliosque, 10 Mart. 1791, in Collect. Brevium, tom. 1, pag. 91 et 92, edit. Belg. 1800.

Religionis Christianae viscera pertinet religiosus status sive consiliorum evangelicorum professio, nec comprimi seu prohiberi potest quin ipsa laedatur fides et Christo consilia illa suadenti irrogetur injuria, veremur ne nimia prudentia usus censeatur R. D. Verhoeven, dum non sat aperte affirmat, sed tamquam liberam opinionem proponit, statum praedictum ex congenita indole sanctissimae Religionis nostrae oriri.

7. E contrario non satis prudenter videtur processisse in nova illa, cujus supra meminimus, definitione texenda; qua nimirum adstruit (1) statum religiosum, si strictiori sensu accipiatur, habendum esse « pro statu sive ordine ab Ecclesia vel nomine Ecclesiae approbato, in quo fideles Christianam perfectionem acquirere conantur, et editis votis paupertatis, castitatis et obedientiae, *secundum praescriptas regulas in communitate stabiliter vivunt.* » Sic namque uno ictu e censu verorum religiosorum expungit omnes omnino antiquos anachoretas aliosque solitarios nulli communitati nullive determinatae regulae obstrictos : quod quantopere non solum a veteri Ecclesiae usu et sensu alienum, verum etiam rationi contrarium sit, ostendit Suarez (2); e quo pauca haec exscribere juvat : « Neque ex ratione status ut sic, neque ex ratione status perfectionis necessaria est illa conditio vitae communis; neque status religiosus ex sua specifica ratione aliquid habet unde illam necessario requirat : ergo nulla ratione necessaria est. Major quoad utramque partem probatur : quia status ut sic solum dicit immobilitatem quamdam in conditione libertatis aut servitutis; addit vero status perfectionis quod sit in ordine ad actus perfectionis exercendos. Sed conditio servitutis potest esse propria alicujus personae privatam vitam agentis, et in illa potest habere stabilitatem et ordinem ad actum perfectionis : ergo. Atque eadem proportione probanda est minor propositio : quia status religiosus non addit supra statum perfectionis nisi quod sit in ordine ad perfectionem *acquirendam*, et quod sit veluti schola perfectionis. Sed potest quis privatam vitam agens perfectioni acquirendae insistere et certam vitae rationem firmam et stabilem assumere, in qua per observantiam trium consiliorum ad perfectionem tendat et ad hunc finem sub alicujus potestate

(1) Pag. 5. (2) Tract. 7, lib. 2, cap. 4.

sit firmiter constitutus. Ergo nihil ei deerit quominus vere ac proprie sit in statu religionis.... Ergo sine vita communi potest status verus religionis constitui. Quomodo autem semper intervenire debeat Ecclesiae approbatio, infra videbimus.» Haec Suarezius (1). Nobis autem de ea approbatione hoc ipso loco aliqua dicenda sunt; quandoquidem ex ejus necessitate novum argumentum desumit R. D. Professor, quo demonstrare nititur statum religiosum ab Ecclesia institutum esse.

8. « Quod ut manifestius appareat, inquit (2), animadverti debet observantiam trium consiliorum evangelicorum non constituere Ordinem religiosum; sed insuper requiri ut alia observentur media quibus ad perfectionem Christianam perveniri possit. Jam vero hujusmodi media praescribere non est hominis privati : si enim cuilibet fas esset media praefinire quae cum consiliis evangelicis essent observanda, facile contingeret ut religiosorum Ordinum institutioni admiscerentur errores, quibus fideles deciperentur, et ut praescriberetur vivendi modus, qui perfectioni Christianae contrarius esset aut saltem non accommodatus. Unde pro legitima religiosi Ordinis institutione necesse est ut judicio competentis auctoritatis ecclesiasticae constet media illa Christianae perfectioni accommodata esse et opportuna. » Ad ratiocinium hoc primo advertimus conclusionem de necessario auctoritatis ecclesiasticae ad novum Ordinem religiosum (stricto quo hodie accipitur sensu) constituendum judicio, etsi ex praemissis a R. D. Professore positis legitime deduci nequeat, veram tamen esse hodierno tempore, atque ab aliquot jam saeculis talem fuisse; et quidem *competentem* illam *auctoritatem* in uno residere Romano Pontifice, exclusis aliis Episcopis. Ita enim habent decreta Lateranensis Concilii sub Innocentio III (3) et Lugdunensis sub B. Gregorio X (4); quibus latis, « coepit esse necessarium quod ante erat liberum, » ut loquitur Bellarminus (5). Secundo advertimus praemissas R. D. Professoris desumptas reapse esse ex Suarezio, quem in inferiori paginae margine citat (6); verum eas a Suarezio

(1) Loc. cit. num. 4.
(2) Pag. 6.
(3) C. *Ne nimia*, de religiosis domibus (lib. 3, tit. 36).
(4) C. *Religionum*, de relig. dom. in Sexto (lib. 3, tit. 17).
(5) De Monach. cap. 4, col. 431.
(6) Suarez, tract. 7, lib. 2, cap. 15, num. 14.

adhiberi ut probet ad religionem *in communitate instituendam* et *toti Ecclesiae proponendam* opus esse approbatione Ecclesiae judiciaria, quæ canonizationi Sanctorum aequiparetur, et de qua maxime loquuntur doctores, cum dicunt non posse errare Pontificem religionem aliquam approbando, id est, authentice declarando illum esse honestum et sanctum vivendi modum et viam convenientem ad perfectionem acquirendam (1) : quam *infallibilem declarationem* si R. D. Verhoeven universim ad statum religiosum, etiam antiquum, requirat, frustra sunt quaecumque de Episcoporum approbationibus ille postea profert (2) et nos suo loco discutiemus. Verum enimvero, seclusis Ecclesiae legibus, de infallibilitate in hac re non agitur, sed de morali eoque prudenti judicio, quo quis non temere existimat hanc illamve vivendi rationem acquirendae perfectioni esse accommodam. Tale autem judicium sibi efformare potest, tum rectae rationis fide illustratae lumine, tum praesertim ex eo quod videat hujusmodi vitae genus a piis sapientibusque viris frequentari, non solum probantibus Episcopis, sed imo, ut passim per prima Ecclesiae saecula factum fuit, etiam studiose commendantibus. Quamobrem optime dicit Bellarminus (3) : « Oritur hoc loco brevis quaedam dubitatio, an religionum institutio libera sit, an vero egeat Summi Pontificis confirmatione; sed facilis est solutio. Duo siquidem in omni religione inveniuntur : essentia ipsa religionis, quae in tribus votis sita est ; et determinatio illius essentiae ad certum modum vivendi. Et quidem essentia religionum in Evangelio fundamentum habet...: proinde ex hac parte non egent religiones Pontificum approbatione. Modus autem ille varius quo tria vota suscipi possunt, non ita perspicue in Evangelio elucet, et non parum ex prudentia et directione humana pendet. Quare Pontificis confirmatione *indigere potest,* et *nunc* reipsa, propter *jus positivum* novas religiones prohibens, *omnino indiget.* Itaque Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus auctores religionum fuerunt, nec ullam leguntur a Pontifice approbationem quaesivisse: propterea quod nondum exstaret jus ecclesiasticum id praecipiens. »

(1) Id. ibid. num. 13.
(2) Pag. 13.
(3) Loc. cit.

9. Quae hisce a Bellarmino statuitur temporum distinctio, eamdem diligenter observat Suarezius, dum, proposita sibi quaestione : *Utrum Ecclesiae approbatio ad statum verum religionis constituendum necessaria sit,* ab ipso suae disputationis exordio monet *secundum praesens jus et morem Ecclesiae* non esse dubium quin verus religionis status in sola religione ab Ecclesia approbata subsistere possit, quoniam ita statutum est ab Innocentio III et Gregorio X; sed dubium hinc nasci utrum *ante illa tempora* fuerit necessaria hujusmodi approbatio (1) : quo in dubio deinde demonstrat, allatis utriusque partis argumentis, alios theologos pro affirmante sententia stare, alios pro negante (2); ipse vero media quodammodo via inter utrosque incedit, apposite utens comparatione ex canonizationibus Sanctorum desumpta, quamquam historica facta (de quibus post agemus) nescio an hinc inde minus recte assecutus (3) : ut adeo mirum sit R. D. Verhoeven, qui Suarezii commentarium prae oculis habuit, de hoc argumento ita sua cogitata protulisse, ut ex ejus modo loquendi quotusquisque colligeret nullam hic inter scriptores catholicos exsistere controversiam. Denique animadvertimus nulli theologo, ne inter eos quidem qui approbationem Ecclesiae semper necessariam fuisse arbitrati sunt, in mentem venisse ut ex hac necessitate argueret statum religiosum non esse divinae, sed humanae originis : quippe omnes cum Bellarmino Suarezioque tenent essentiam religionum fundamentum habere in Evangelio, approbationem vero ecclesiasticam tantum cadere posse in modos quibus accidentales vitae religiosae partes ad ipsius substantiam, quae in tribus consiliis evangelicis consistit, adjunguntur. Qui quidem modi vel ad undecimum usque saeculum et ultra fuere adeo varii atque mutabiles, ut vix aut ne vix ullum inter eos repereris qui Ordinem religiosum proprie dictum constituisse, nedum toti Ecclesiae propositus fuisse dici queat (4), etsi status religiosus, non *in abstracto,* sed *in concreto* utique, tota interim Ecclesia vigeret : unde et in hoc deficit R. D. Professoris ratiocinatio quod continuo statum religiosum et Ordinem religiosum nullo discrimine ha-

(1) Loc. cit. num. 1.
(2) Ibid. num. 2 et seqq.
(3) Ibid. num. 10 et seqq.
(4) Cfr. Mabillon, Acta SS. Ord. S. Bened., sæc. 4, part. 1, §. 4. pag. xxix et seqq., edit. Paris. 1677.

beat, ubi nitida inter utrumque opus fuisset distinctione.

10. Distingui praeterea debet approbatio *speculativa* sive ad intellectum pertinens, qua solummodo innotescit modum aliquem tria consilia evangelica sequendi honestum, sanctum ac perfectioni Christianae assequendae accommodatum esse, et de qua sola hactenus cum adversario nostro egimus, ab approbatione *practica* seu ad voluntatem pertinente, qua Ecclesia eumdem modum efficaciter admittit, ut qui eum profiteantur, vere fiant personae ecclesiasticae et religiosae (1). Continet enim religiosa professio traditionem, qua homo dominium sui speciali ratione in Deum transfert; quae profecto, nisi acceptetur, valida esse nequit : jam vero Deus hanc non acceptat immediate per seipsum; sed Ecclesiam in terris habemus quæ nomine Dei acceptationem illam faciat (2). Atque in hac re, quae nihil commune habet cum singulari opinamento R. D. Verhoeven circa vitae religiosae originem, maximum Suarezius ponit momentum cur verus status religiosus sive in communitate aliqua sive etiam in homine solitariam vitam agente sine approbatione Ecclesiae nullo modo esse possit (3). Quam nos quidem doctissimi theologi sententiam adeo non respuimus, ut potius existimemus omnino amplectendam esse, modo ne intelligatur de approbatione expressis terminis per aliquod rescriptum aliamve juridicam declarationem data : hanc nempe pro antiqua status religiosi forma, uti postea ostendemus, impossibile foret invenire; quem tamen ut verum religiosum statum non agnoscere absurdum foret ac temerarium. Neque ulla est quae nos morari possit ex hoc capite difficultas, si attenderimus Ecclesiam ab initio consilia evangelica promulgasse, et eos qui primis saeculis haec amplecterentur atque externo signo manifestarent hoc suum se Deo devovendi propositum, palam ab ea agnitos fuisse ut illustriorem portionem gregis Christi ac speciale Dei peculium, eorumque statum numquam non habitum fuisse ut statum specialem ad Ecclesiam pertinentem : unde consequens fit oblationem sui quam Deo faciebant, reapse fuisse ab Ecclesia nomine ac vice Dei firmatam et acceptatam, quocunque demum modo, sive tacite sive ex-

(1) Suarez, loc. cit. num. 18.
(2) Id. lib. 2, cap. 4, n. 5 et seqq.
(3) Ibid. cap. 16, num. 14.

presse, id locum habuerit. Etenim omnis illius acceptationis modus ab Ecclesiae arbitrio dependet, cui competit plures paucioresve statuere conditiones ut hominis se Deo specialiter mancipantis traditio rata habeatur, proindeque is in vero statu religioso constituatur; atque ita perspicue liquet quomodo olim veri perfectique religiosi esse potuerint ac revera fuerint qui tamen secundum hodiernam disciplinam tales non essent; qua item ratione etiam hodie ad verum religiosum efficiendum in uno Ordine id sufficiat quod non sufficit in alio.

Ad haec quae diximus declaranda bene usuvenit, quam nonnumquam theologi in hac re urgent, comparatio ex ecclesiastica circa Matrimonium potestate desumpta. Constat nimirum viri ac feminae fidelium mutuo consensu a Christo per Ecclesiam approbato ac confirmato effici Matrimonium ac Sacramentum, penesque Ecclesiam esse potestatem conditiones praescribendi sine quibus consensum ab ea approbandum et firmandum fideles emittere adeoque validum Matrimonium contrahere nequeant (1) : qua potestate Ecclesia in Concilio Tridentino (2) utens effecit ut Matrimonia clandestina, quae olim, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, fuerunt haud dubie rata ac vera Matrimonia, nunc plurimis in locis, nec tamen ubique, irrita prorsus ac nulla sint. Jam vero, ut comparationem hanc nostro argumento applicemus, hodie quidem in civitate Neapolitana videre est moniales *privatim* vitam religiosam agentes, quae ideo *moniales domesticae* (*monache di casa*) appellantur; verum, quantum nos quidem novimus, praeter hasce nemo uspiam (nisi cui Summus Pontifex id concedere speciali modo velit) religiosum statum extra coetum regularem assumere potest, propter positam ab Ecclesia conditionem ut nonnisi *in communitate* id fiat : antiquitus autem professio vitae religiosae etiam solitariae passim valida erat. « Tunc ergo, inquit Suarez (1), qui hoc modo professionem emittebat, non manebat obligatus alicui religioni, id est, communitati religiosae, neque alicui regulae vel in communi vel in particulari, quia nihil horum promittebat; neque etiam in

(2) Cfr. Martin, de Matrimonio et potestate ipsum dirimendi. part. 2, pag. 150 et 151, Paris. 1844.

(1) Sess. 24, cap. 1 de Reform. Matrim.

(3) Lib. 6, cap. 12, num. 11.

statu religioso constituebatur in communi seu *in abstracto,* sed in tali modo *particulari,* in quo privatim vivere licebat secundum obedientiam ejus cui promittebatur, et juxta intentionem et finem praestitutum ab ipso vovente. » Idem judicium esto de aliis vetustis vitae religiosae modis; quos aeque ac vitam solitariam ab Ecclesia, quoad opus erat, approbatos et acceptatos fuisse non potest esse dubium.

11. Quoniam autem R. D. Verhoeven aliquanto post (1) nonnullas Hallieri de religiosa professione assertiones transscribendo facit suas, quae, si omnibus applicentur temporibus, omnino consistere nequeunt, hoc loco expedit, quamquam Hallieri erramenta alibi amplius perstringemus, aliquid de variis professionis faciendae modis annotare. Testatur S. Basilius in secunda Epistola canonica ad Amphilochium, postquam de virginum professione locutus fuerat (2) : « Virorum autem professiones non novimus, praeterquam si qui seipsos monazontium ordini adjudicarint; qui tacite videntur coelibatum admittere : sed in illis quoque illud existimo praecedere oportere, ut ipsi interrogentur, et evidens eorum accipiatur professio. » En divisionem professionis in *expressam* et *tacitam,* ab omnibus theologis atque etiam in Jure canonico (3) admissam. Tacita quidem professio nunc minus usitata est; attamen duobus certe in casibus obtinere potest : 1° Si quis, expleto anno novitiatus et decimo sexto aetatis, habitum professorum, a novitiorum habitu distinctum, assumat; 2° Si ultra annum integrum probationis, qui annus debet inchoari post decimum sextum aetatis expletum, habitum religionis indistinctum gestet patenter (4). Verum olim, ac praecipue quidem in remota antiquitate, multo latius is professionis modus patebat : ita ut qui externo aliquo signo sufficienter manifestaret se talem esse velle quales tunc erant religiosi, statim ex generali omnium sensu et consensu totam vitae religiosae obligationem in se suscipere censeretur, etiamsi voce nullam faceret promissionem. Hujusmodi signum indubie erat vestis religiosae assumptio : unde nescio an provenerit usus loquendi adhuc ho-

(1) Pag. 18.

(2) Epist. 199, alias 2 ad Amphiloch. de canon., tom. 3 Operum, pag. 292, edit. Maur.

(3) C. *Statuimus,* de Regular. (lib. 3, tit. 31); C. *Constitutionem,* de Regular. in Sexto (lib. 3, tit. 14).

(4) Cfr. Suarez, tract. 7, lib. 6, cap. 20.

diedum apud Graecos servatus, dum ritus bifarios professionis monasticae fere non aliter vocare solent quam *Officium parvi habitus* et *Officium magni et angelici habitus* (1). Virgines Christianas primis Ecclesiae temporibus sponte vestem fuscam induendo sese Christo sponso devovisse, et hanc fuisse earum irrevocabilem professionem, etsi solemni ritu velatae non fuissent, demonstrat Thomassinus (2); affertque inter alia S. Hieronymi testimonium, de Asella narrantis (3) : « Tunicam fusciorem, quam a matre impetrare non poterat, induta, pio negotiationis auspicio, se repente Domino consecravit, ut intelligeret universa cognatio non posse aliud ei extorqueri, quae jam saeculum damnasset in vestibus. » Et saeculo septimo ineunte Fridiburga, Sigiberto Regi desponsata jamjamque ei matrimonio copulanda, secedendo intra quamdam Ecclesiam ibique vestes mutando ac cornu altaris apprehendendo, repente, nemine eam admittente, sanctimonialem se ipsa professa est; atque hoc pacto, sacerdotum, principum ipsiusque Sigiberti opinione, sponsalia dissolvit : prout narrat anonymus saeculi octavi scriptor Vitae S. Galli (4). Inter viros quoque Deo devotos aeque vetustum esse talem professionis ritum, liquebit ex iis quae postea commodiori loco commemorabimus. Eumdem autem sat diu perdurasse, indigitant illa B. Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi verba (5) : « Canones decretaque SS. Patrum eos qui vestem religionis aliquot diebus in conspectu hominum deferunt, ad saeculum quocumque modo postea redire non sinunt. » E quibus decretis, collectis tum a S. Petro Damiani (6) tum a Luca Dacherio (7) aliisque, unum proferemus canonem 6 Concilii Toletani sexti (8 : « Quisquis virorum vel mulierum habitum semel induerit spontanee religiosum, aut si vir deditus Ecclesiae choro vel femina fuerit ac fuit delegata puellarum monasterio, in utroque sexu praevaricator ad propositum invitus reverti cogatur :

(1 Goar, Rituale Graec. p. 473 et 499, edit. Paris. 1647.

(2 De vet. et nov. Eccl. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 42, num. 9 et 10.

(3) Epist. 24, alias 13, tom. 1 Operum, edit. Vallars., col. 129.

(4) Apud Pertz, Monum. Germ. hist. tom. 2, pag. 12 et 13; et in Actis SS. tom. 7 Octobris, pag. 891.

(5) Epist. 26 inter B. Lanfranci Opera, edit. Dacherii, p. 314.

(6) Opusc. 16, tom. 3 Operum, edit. Cajetani an. 1743, pag. 183 et seqq.

(7) Not. *b* in Epist. 32 B. Lanfranci, p. 362.

(8) Labbe, Concil. tom. 5, col. 1744.

ut vir detondeatur et puella monasterio reintegretur, etc. » Quae quidem ita aliquamdiu intellecta fuere, ut qui in extremis, etiam non sentientes nec sui compotes, neque proinde eam petentes, veste poenitentium aut monachorum induti fuissent, si deinde convalescerent, ad poenitentiam atque adeo ad vitae religiosae officia perpetuo tenerentur, potissimum in Hispania, ubi ea opinio magnum robur accepit ab exemplo Wambae Visigothorum Regis et canone 2 Concilii Toletani duodecimi; quo canone, licet sub unius anni excommunicatione interminetur ne quisquam sacerdos infirmis non aliquo saltem nutu aut indicio id petentibus poenitentiae ordinem temere imponat (quod sane eo casu Ecclesiae nomine facere non poterat), nihilominus sancitur ejusmodi poenitentiam ratam habendam esse (1). Magis vero universaliter et majori utique jure ea lex obtinebat de iis qui in mortis discrimine constituti voluntarie vestem religiosam induerant aut petiverant, ac *monachi ad succurrendum* vulgo nuncupabantur. Pluribus hanc rem exemplis illustrat Mabillonius tam in Annalibus (2) quam in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti (3). Tam parum vero Ecclesiae ministri opera ad id requirebatur ut asservarent homines secreto apud se vestem monasticam, quam, si subito mors immineret, sibimet ipsi induerent; quocirca S. Anselmus scribens ad piissimam Malthildem Comitissam, sic ait (4): « Sancti desiderii vestri in corde meo semper servo memoriam, quo ad contemptum mundi cor vestrum anhelat; sed illud sancta et necessaria, quam erga matrem Ecclesiam habetis, pie dilectio retractat... Hoc tamen praesumo consulere, ut, si certum mortis periculum interim, quod Deus avertat, senseritis imminere, prius vos Deo omnino reddatis quam de hac vita exeatis, et ad hoc velum semper paratum secrete penes vos habeatis. » Audiatur etiam idem Sanctus virginem nobilem increpans, quae, semel sponte assumpto habitu monialium, matrimonium attentarat (5): « Impossibile est te ullo modo posse salvari, nisi ad habitum et propositum abjectum redieris. Quamvis enim ab Episcopo sacrata non fueris nec

(1) Ibid. tom. 6, col. 1226 et 1227.

(2) Tom. 1, l. 4, n. 51, pag. 100, edit. Lucae 1739.

(3) Saec. 1, Praef. n. 105; Saec. 3, part. 1, Praef. num. 21; Saec. 4, part. 2, Praef. num. 191 et seqq.

(4) Lib. 4, epist. 37, inter Op. S. Anselmi, pag. 436, edit. Paris. 1721.

(5) Lib. 3, epist. 137, p. 423.

coram ipso professionem legeris, hoc solum tamen est manifesta et quae negari non potest professio, quia publice et secrete habitum sancti propositi portasti; per quod omnibus te videntibus Deo dicatam te esse, non minus quam professionem legendo, affirmasti. Nam antequam fieret ista nunc usitata monachici propositi professio et sacratio, multa millia utriusque sexus hominum, *solo habitu* se ipsius esse propositi profitentia, celsitudinem et coronam consecuta sunt. Et qui tunc habitum sine ipsa professione et sacratione assumptum rejiciebant, *apostatae* judicabantur. Inexcusabilis ergo es, si deseris sanctum propositum, quod diu habitu et conversatione professa es; quamvis professionem nunc usitatam non legeris et ab Episcopo consecrata non fueris. »

Merito itaque S. Petrus Damiani dicere potuit : « Tanta veneratione, tanta custodiae censura monachicum habitum sancti Patres dignum esse censuerunt ut pene quocunque modo illum quis semel indueret, relinquendi postmodum licentiam non haberet (1). » « Ecce, juxta Gelasiani Decreti sententiam, quacunque occasione, etiamsi nulla interveniat mora probationis, quisquis religioso habitu semel induitur, funditus sibi redeundi ad saeculum licentia denegatur (2). » « Aegrotos pariter et incolumes eadem regula comprehendit, quae non solum voluntarie, sed etiam violenter conversos, ultro etiam deceptoris machinationibus persuasos, in eodem proposito perseverare decernit (3). » Imo ab hac regula ne excipiebantur quidem ii qui in minori aetate vel *tonsuram* vel *vestem religionis* ab utroque aut alterutro parente accepissent vel palam sub parentum oculis tulissent (4) : censebantur quippe parentes pro his liberis tacitam professionem fecisse, aeque ac ii qui pueros suos monasteriis offerebant numquam exinde ad saeculum reversuros : de quibus inter alios auctores consuli possunt Suarez (5), Haeftenus (6), Martene (7) et Thomassinus (8).

(1) Opusc. 16, cap. 7, tom. 3 Operum, pag. 185.

(2) Ibid. c. 4, pag. 183.

(3) Ibid. c. 6, pag. 185.

(4) Ibid. c. 5. p. 183, ex Concil. Tolet. 10, can. 6. Cfr. Labbe, Concil. tom. 6, col. 463.

(5) Tract. 7, lib. 3, cap. 1. 2 et 3.

(6) Disquis. monast. lib. 4, tract. 1, pag. 351 et seqq.

(7) Comm. in Regul. S. Bened cap. 59, pag. 781 et seqq.

(8) Op. cit. part. 1, lib. 3, cap. 36 et seqq.

Quod de *tonsurae* a pueris gestatae effectu modo dictum est, idem ex testimoniis a S. Petro Damiani laudatis ad adultos quoque debet extendi : nempe per plura saecula religionis tonsuram idem operatam fuisse ac religionis vestem, ut quicumque ex saecularibus accipientes poenitentiam *se totondissent* et rursus praevaricantes laici facti essent, comprehensi ab Episcopo suo ad poenitentiam revocarentur ; sique admoniti ad eam redire abnuerent, vere ut *apostatae coram Ecclesia* anathematis sententia condemnarentur (1) : quo accedit quod nonnusquam quibuscunque sive in canonico sive in monachico ordine, etiam sine eorum voluntate, tonsuratis regressus ad saeculum fuerit severe prohibitus (2). Ut anteriora hujus rei exempla praetermittamus, Consuetudinarium Beccense, circa saeculi XIV initium, ut videtur, exaratum, indicat etiam tum infirmos, dum prae nimia debilitate monastico habitu indui haud possent, *sola tonsura,* nec ullo ab iis prolato verbo, inter monachos fuisse cooptatos (3).

12. De professionibus quoque quae ore aut etiam scripto fiebant, pauca annotanda nobis sunt, ut evincamus nec in his necessariam fuisse explicitam trium consiliorum evangelicorum designationem. Supra didicimus S. Basilio visum fuisse opportunum ut, adhibita interrogatione, evidens acciperetur virorum professio. Hunc ille morem reapse suis Regulis instituit, jubens propositi testes adhiberi praefectos Ecclesiae, « ut per ipsos et corporis sanctimonia velut res quaedam sacra Deo dedicetur, et firma sit haec actio per testimonium (4). » Agit autem inibi de solo continentiae proposito palam enuntiando ; dum tamen manifestissime constat ipsius monachos non minus ad paupertatem et obedientiam colendam vi propositi sui fuisse obstrictos. Dehinc, saeculo minimum quinto exeunte, qualis fuerit in Orientali Ecclesia professionis monasticae ritus, docemur ab auctore libri de Hierarchia Ecclesiastica, ita loquente (5) : « Sacerdos quidem stat ante altare, monasticam sancte recitans invocationem. Is autem qui consecratur... adstat sacerdoti supra illum mysticam invoca-

(1) S. Petrus Damiani, Opusc. cit. cap. 5.

(2) Id. ibid.

(3) Martene, de antiq. Eccl. rit. tom. 3, pag. 64, edit. Paris. 1702.

(4) Resp. 13 in Regulis fusius tractatis, tom. 2 Oper. pag. 357.

(5) De eccl. hier. cap. 6, tom. 1 Operum S. Dionysii Arcop., p. 387, edit. Corderii, Antv. 1634.

tionem prosequenti. Qua finita, sacerdos ad eum accedens rogat ipsum primum an omnibus rebus dividuis renuntiet, non solum viventibus, verum etiam imaginariis. Deinde exponit illi vitam perfectissimam, contestans illum debere mediam vivendi rationem superare. Quae ubi omnia is qui initiatur continenter professus est, sacerdos eum signo crucis signatum tondet, tres Personas divinae beatitudinis invocans; omnique veste detracta, eum alia induit; et cum caeteris viris sanctis adstantibus eum salutans, participem faciet divinorum mysteriorum. » Hodierno tandem Graecorum ritu satis aperta continetur in interrogationibus et hortationibus a sacerdote proponendis, non solum trium consiliorum evangelicorum, sed omnium fere ad vitam perfectam spectantium expressio; quae omnia monachus spondet se cum Dei gratia ad extremum usque spiritum fideliter observaturum (1). Quare huic rei non oportet inhaerere; sed sufficit ut observemus gradationem qua professio apud Graecos monachos, quae S. Basilii tempore nonnisi partim expressa esse coeperat, demum expressissima, si ita loqui fas sit, evaserit.

Non absimilis apud Latinos gradatio. S. Benedictus statuit ut suscipiendus in oratorio coram omnibus promitteret de *stabilitate sua* et *conversione morum suorum* et *obedientia* coram Deo et Sanctis ejus, et de hac *promissione* faceret *petitionem* ad nomen Sanctorum quorum Reliquiae ibi adessent, et Abbatis praesentis; eam vero petitionem, aut propria manu, aut, si litteras nesciret, ab alio scriptam, et signo a se firmatam, altari imponeret; ac mox haec verba proferret : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam : et non confundas me ab expectatione mea;* eaque tota congregatio tertio repeteret, addito *Gloria Patri* (2).Disceptatum aliquando fuit quid esset distincta haec a promissione petitio; at nunc eliquatum videtur eam fuisse scriptionem, qua, enarratis iis quae novitius egerat modoque ac statu quo habitus fuerat a suo in coenobium introitu, propositum monasticum jam in promissione prolatum iterum repetebatur. « Promissio, ait Mabillonius (3), monachum Deo, petitio veluti contractus et pactum (sic appellat Fructuosus) etiam hominibus ac religioni ob-

(1). Cfr. Goar, Rituale Graec. pag. 475, 476, 505, 506 et 507.

(2) Regul. S. Bened. cap. 58.

(3) Acta SS. Ord. S. Ben. Sacc. 4, part. 1, Praef. n. 54.

noxium reddebat. » Idem scriptor (1) ac post eum Martenius (2) plures vulgarunt tam promissionis quam petitionis formulas; inter quas advertere est aliquot formulas promissionis mentionem de Abbate praesente non facientes. Nulla vero carum, praeter unam Sandionysianam, castitatem et paupertatem exprimit; quamvis implicite et has contineant, testante Innocentio III (3) : « Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa Regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. » Quae observatio pariter valet pro aliis quibusdam Religionibus, aeque castitatem paupertatemque in sua professione tacentibus (4). Ac ne huic rei diutius inhaereamus, en compendiose multa dicta ab editoribus Benedictinis Operum S. Gregorii (5) : « Castitatem atque paupertatem expressis quidem verbis non spondebant coaevi Gregorio Magno monachi, nec illas aetate nostra expresse profitetur Benedictinus Ordo; sed neque Canonici regulares, Carthusiani, Carmelitae ac Praedicatores ex prima institutione. Expressam utriusque mentionem primus fieri voluit S. Franciscus : utraque tamen monasticae conditionis pars semper fuit, iisdemque legibus firmatus erat Gregorii Magni aevo monachismus quibus nunc stat. De conversione morum et obedientia nullum dubium. De reliquis Gregorium ipsum consule. De paupertate lib. 9 ep. 7, lib. 10 ep. 1. De perpetua castitate lib. 5 ep. 24. De stabilitate lib. 1 ep. 34, lib. 2 ep. 28. De paupertate, castitate et stabilitate lib. 1 ep. 42. »

13. Verumtamen post praescriptas a S. Benedicto aliisque religiosae professionis caeremonias, pristinam vim suam adeo non amisit tacita professio, ut potius (quemadmodum supra videbamus) nimium quandoque exaggerata fuisse videatur. Sane perlegitimus esse perrexit professionis modus, cum quis in apta aetate, non recusante superiore, vestem professorum in coenobio assumebat sciens et volens absque votorum pro-

(1) Ibid. Monum. 1 et 2, ad calcem tomi.

(2) Comment. in Regul. S. Bened. p. 757, 758, 763; de antiq. Eccl. rit. tom. 3, p. 50 et seqq.

(3) C. *Cum ad monasterium*, de statu monach. (lib. 3, tit. 35).

(4) Cfr. Haeftenus, Op. cit. lib. 4, tract. 6, disq. 6, pag. 423.

(5) Not. *b* ad lib. 9, ep. 114, tom. 2, col. 1021.

nuntiatione : quo quidem casu, saltem ex quo Jus canonicum universale obtinuit, coenobio aut religioni non licebat ejusmodi professum invitum dimittere; dum contra ipse tacite professus tantum religioso statui in genere obstrictus erat, poteratque, si vellet, ad aliud coenobium aliamve religionem, etiam laxiorem, transire (1). Quod si altius in religiosae vitae antiquitate ascendimus, apparet hanc libertatem multo etiam fuisse majorem; et quidem tantam ut solitarii ad coenobitas et vicissim, Orientales quoque ad Latinos et vicissim, transirent, ac Regulae pro nutu Rectorum mutarentur, vel etiam variae a variis Regulae in uno eodemque coenobio observarentur. Nam Ordo monasticus (ut postea latius dicemus) vel ad undecimum usque saeculum, licet Regulae essent plures, unus omnino erat, vel potius nullus; ac proprie loquendo status tantum religiosus exsistebat absque satis fixis et Ecclesiae calculo probatis discrepantiis, quibus nunc diversae Religiones constituuntur. Unde dicendum est necesse non fuisse ut quis se *alicui speciali societati* addiceret atque actu traderet, sed suffecisse ut publico quodam indicio manifestaret se *divino obsequio* mancipatum esse : quo ipso pertinebat ad *religiosum statum*, in eoque perseverare tenebatur; nec tamen *certo coenobio certaeve Regulae* subesse debebat, nisi in quantum sese ad hoc ipsum sponte obligasset. Atque ad hoc postremum refertur S. Benedicti sanctio de *stabilitate* a suis monachis promittenda, qua nimirum vitarentur frequentes illae de monasterio ad monasterium transmigrationes; nec inter veteres monachorum legislatores alii reperiuntur, praeter Isidorum, Aurelium (fortasse Aurelianum) et Fructuosum, qui idem ac Benedictus de stabilitate decreverint : prout apposite observavit anonymus Gallus saeculi XII, auctor Tractatus de professione monachorum, a Martenio primum typis vulgati (2). Statuit insuper S. Benedictus regulam de monachis extraneis inter suos, servata debita cautela, admittendis (3) : qui, quod censerentur jam pridem vovisse quaecumque ad religiosae vitae substantiam pertinebant, spondebant solummodo

(1) C. *Consulti*, C. *Ex parte*, C. *Statuimus*, de Regularibus (lib. 3, tit. 31). C. *Constitutionem*, de Regularibus in Sexto (lib. 3, tit. 14). Cfr. Suarez, tract. 7, lib. 6, cap. 21.

(2) De Antiq. Eccl. rit. tom. 3, pag. 65 et seqq.

(3) Cap. 61.

stabilitatem sub hac similive formula (1) : « Ego N. veniens de longinquis provinciis in hoc monasterium, quia placuit mihi conversatio fratrum istius loci et illis placuit mea conversatio, ideo stabilitatem meam in hoc monasterio per hanc scripturam manu mea scriptam perpetuum confirmo. »

14. Porro anonymus ille modo laudatus tam erudite de eo in quo versamur argumento disputat, ut operae pretium sit aliqua ex ejus Tractatu excerpere. Tradit imprimis veteres monachos omnes semper morum conversionem et obedientiam, priusquam reciperentur, promisisse; sponsionem vero de stabilitate non ab omnibus factam fuisse, sed a quibusdam (2) : itaque unumquemque, qui stabilitatis voto ligatus non esset, potuisse « licentissime et absque ulla contradictione vel timore et damno animae suae » ire quo vellet, dummodo maneret « observans propositum et habitum religionis » (3). Notat insuper professionis formulas inter ipsos Benedictinos fuisse diversissimas, etsi in omnibus haec tria reperirentur, stabilitas, morum conversio et obedientia. « Hoc vero, subdit (4), quod postea in monachatus confirmatione additum est, id est, *benedictio* sancti ordinis, in nulla regula invenitur institutum; sed qui hoc instituit, valde necessariam rem atque dignam tanto ordini providit. » Pergit deinde : « De benedictione hac et de hac professione multi diverse sentiunt. Quidam enim dicunt nullum esse vel posse esse monachum sine professione; nam professione non solum res saeculi, sed etiam seipsum ex seipso denegat qui professionem facit, quod est proprie esse monachum : quod nemo potest contradicere. Ex altera parte sunt qui dicunt quod illa consecratio quam monachus accipit, licet desit professio, ita eum ligat et facit perfectum monachum ut nullo modo deinceps ad saeculum redire fas ei sit, nec habitum ullo modo mutare, nec ullo modo salvum esse posse, si voluntate et proprio ore illud petierit vel aliquo nutu concesserit : et hoc nemo potest aversari. Sunt vero alii qui hoc diverse sentiunt. Nam alii dicunt : Sola professio sufficit modo absque benedictione; alii : Sola benedictio sufficit modo absque professione. De hac re, quantum Dominus donaverit, pro posse nostro dicemus. » Et

(1) Mabillon, Annal. Ord. S. Ben. tom. 1, l. 8, n. 18, p. 196, edit. Luc.; Martene, Comment. p. 802.

(2) Apud Martene, loc. cit. pag. 69.

(3) Ibid. pag. 67.

(4) Ibid. pag. 69.

continuo pluribus evolvit essentiam monasticae vitae in perpetua sui dedicatione ad perfectius Dei obsequium sitam esse. « At si aliquis, ait (1), confirmare voluerit non posse esse monachum nisi qui professionem fecerit, huic contra pacificis verbis dicemus : Quid igitur? Monachi non fuerunt sancti Patres qui ante S. Benedictum fuerunt, et professionem non fecerunt? Monachi non sunt qui ipsam regulam modo non observant, sed adhuc antiqua statuta retinent, sicut sunt Graeci et Aegyptii et Armenii et multi alii, et etiam in latinitate plurimi? Vere profitendum est quod veri et perfecti monachi fuerunt et sunt. » Idemque confirmat per oblationem *puerorum* et professionem *monachorum ad succurrendum;* ac veniens dein ad petitionis subscriptionem, ait : « Qui dicit non posse esse monachum nisi qui subscripserit, tale est ac si dicat : Non potest esse quis Christianus nisi qui chrisma in capite et inter scapulas perunctus fuerit, vel albis indutus, vel candelam in manu non tenuerit. O quam multi in coelesti gloria sunt Martyres coronati, et quam multi verissimi Christiani salvati, qui numquam in Baptismo ista perceperunt!... Non enim, ut ad rem redeam, in subscriptione est perfectio, sed in adimpletione subscriptionis. Nam sive subscribat sive non subscribat, si implere studuerit, monachus pro certo erit. » Missis caeteris, adhuc sequentia ex eo proferemus, quibus aliqua Benedictinae formulae verba interpretatur (2) : « In id vero quod sequitur : *Coram Deo et Sanctis ejus,* nulla controversia est quae recte opponi possit; quia certum est quod et Deo promittuntur ista et coram Deo... De id vero quod in fine dicitur : *In praesentia domni N. Abbatis,* multi errant, maximeque Abbates, existimantes per hoc scriptum illos quos benedicunt suos esse professos; quod falsum omnino est, et verecundiae dicere et aestimare. Non enim est aliud in hoc nisi testis. Nam hoc quod dicitur : *In praesentia domni Abbatis,* non est nisi confirmatio donationis, sicut in scriptis terrenarum donationum in fine dicitur et subscribitur : *Teste isto, teste illo....* Id vero quod in quibusdam coenobiis cum Abbatis testimonio etiam totius congregationis ponitur ita : *In praesentia istius Abbatis et totius hujus congregationis,* propter hanc controversiam de qua agimus, ut credo, insti-

(1) Ibid. pag. 77 et 78.

(2) Ibid. pag. 85 et 86.

tutum est, ne quis Abbatum crederet sibi facere professionem, cum se audit nominari in ipsa professione; quod cautissima provisione statutum est. » Addere potuisset in nonnullis asceteriis neque Abbatis neque Congregationis mentionem fuisse factam (1). Postmodum nihilominus praevaluit Abbatum, si sic vocare liceat, opinio : quandoquidem secundum Decretalem Innocentii III (2) ad valorem professionis requiritur ut emissa pariter sit et accepta a Praelato regulari aliove ejus locum tenente; et in multas formulas introductum fuit ut professio vel promissio Deo fieret et Superiori (3), quod ipsum etiam cernitur in antiquo Pacto monachorum Regulae S. Fructuosi adjecto (4).

15. Aliquanto longius haec a nobis deducenda fuere ut recte judicare lectores nostri queant quam caduca sint quae R. D. Verhoeven, nulla temporum distinctione, ex Halliero adoptavit : « Cum, inquit (5), per professionem religionis aliquis in collegium et societatem quamdam spiritalem et corpus ecclesiasticum cooptetur, oportet ad hoc adesse *privilegium Episcopi,* quo *Abbati liceat* in religionis corpus et societatem ullum *admittere;*.... quia ad validam professionem in religioso statu oportet votum esse *solemne,* id est, ab Ecclesia acceptatum; hoc enim inter solemne et non solemne votum differentia est, quod solemne ab Ecclesia acceptatum sit, aliud non sit; ideoque defectu ejus conditionis accidit, ut, qui in *religionibus* non approbatis votum emittunt, non censeantur veri religiosi, ut ex Summorum Pontificum constitutionibus deducitur. Quomodo autem ab Ecclesia votum acceptabitur, nisi vel a Summo Pontifice vel ab Episcopo, quorum hic Ecclesiam suam, ille Ecclesiam universalem repraesentat, acceptetur? Quare vel Summi Pontificis vel Episcopi privilegium requiritur ad hoc ut *in manu Abbatis* facta professio sit valida. » De privilegio illo papali aut episcopali agemus postea. Hic

(1) Cfr. Martene, Comment. pag. 756 et 757.

(2) C. *Ad apostolicam*, de Regularibus (lib. 3, tit. 31).

(3) Cfr. v. g. formula Professionis Praemonstratensium, in Statutis Ord. Praemonstr. Lovanii editis, dist. 1, cap. 17, num. 17, pag. 56; formula professionis Soc. Jesu Constitut. part. 4, cap. 4; formul. monialium Ord. S. Bened. in Belgio apud Haeftenum, lib. 4, tract. 3 disq. 4, pag. 409.

(4) Apud Haeftenum, loc. cit.

(5) Pag. 18.

interim quis, asserta Hallierana cum historicis documentis a nobis recensitis comparans, non actutum deprehendat illa pro duodecim circiter saeculis Innocentio III anterioribus vix non ut somnia esse habenda; cum et plures religiosos Ordines continuo exstitisse supponat, et neminem tum potuisse fieri religiosum nisi in collegiis seu societatibus determinatis, idque cum acceptatione Abbatis speciatim ab Ecclesia delegati, etc. etc.? Quod vero de *votis solemnibus,* quasi sine iis verus religiosus esse nemo possit, Hallierus adstruit et R. D. Verhoeven sine censura exscribit, id ab Innocentii III pontificatu usque ad fundatam approbatamque Societatem Jesu impune pro legibus ecclesiasticis tunc vigentibus dici potuit: Hallieri vero ac nostro tempore falsissimum est, cum constet Societatis Jesu scholasticos, qui vota tantum simplicia emittunt, veros omnino religiosos esse, atque adeo anathematis poena ex Gregorii XIII Bulla *Ascendente Domino* (1) inflicta sit iis qui dicerent, ut Pontifex ille loquitur : « Neminem eorum qui solemnem professionem in dicta Societate non emiserunt, de illius corpore aut vere et proprie religiosum esse posse, sed eos mere saeculares ac Ordinariorum jurisdictioni subditos exsistere, nec Societatem ipsam aut illius Superiores, imo nec Nos, jus in eos ullum ex vi votorum hujusmodi habere vel acquirere aut Superioribus ipsis conferre posse : non considerantes *voti solemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam esse,* triaque hujusmodi Societatis vota, tametsi *simplicia,* ut *substantialia religionis vota* ab hac Sede fuisse admissa; illaque emittentes *in statu religioso vere constitui,* quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant. » Quocirca declarat ibidem Gregorius : « Tria vota hujusmodi, etsi simplicia,... esse vere substantialia religionis vota, ac in dicta Societate tamquam in Religione approbata *per Sedem eamdem admissa* fuisse et esse,... et quoscumque qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia praelicta, tametsi simplicia, emiserint aut emittent in futurum, *vere et proprie religiosos* fuisse et esse ac fore, et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere, *non secus atque ipsos tum Societatis tum quorumvis aliorum regularium Ordinum professos.* »

(1) Magn. Bullar. Rom. tom. 2, p. 507 et 508, edit. Luxemb.

Accedit quod, uti Suarezius annotat (1), dicuntur vota illa Scholasticorum Societatis Jesu *non fieri in manibus Praelati,* sed *soli Deo,* quantum scilicet ad *expressam* profitendi formam, quamvis *implicite* obligatio ex ipsa traditione et incorporatione contrahatur : quocirca nec Hallieri locutio de professione *in manu Abbatis* facta absque animadversione accipienda erat.

(1) Tract. 10, lib. 3, cap. 5, num. 8.

CAPUT SECUNDUM.

DE ORIGINE STATUS RELIGIOSI.

1. *Systema historicum R. D. Verhoeven de vitae religiosae exordio sibi non cohaeret.*
2. *Asserit R. D. Verhoeven scriptores ecclesiasticos fere unanimes esse in vitae religiosae origine ad quartum saeculum referenda.*
3. *Non desunt scriptores ecclesiastici qui Apostolos aliosque Christi discipulos vere religiosos fuisse contendant.*
4. *Monachis quarti saeculi et pluribus theologis recentioribus persuasum fuit inter primos fideles Jerosolymitanos vitam vere religiosam exstitisse.*
5. *Eusebii sententia de therapeutis a Philone laudatis.*
6. *De iisdem therapeutis sententia S. Hieronymi, S. Epiphanii, Sozomeni et Cassiani.*
7. *Scriptores ecclesiastici haudquaquam unanimes sunt in negando therapeutarum monachismo.*
8. *Virginitatis professio, per totam Ecclesiam inde a primis saeculis frequentata, quid involveret.*
9. *Certis documentis constat monialium coenobia et monachorum coetus exstitisse ante quartum saeculum, saltem in Oriente.*
10. *Scriptores non vulgares assentiuntur Cassiano vitam monasticam ab apostolico aevo ad sua usque tempora derivanti*
11. *Antonelli opinio de monastici instituti exordiis.*

12. *Antonellus per monasticum institutum intelligit vitam coenobiticam.*
13. *Distinctio Antonelliana inter monachos et ascetas.*
14. *Praedicta distinctio nominalis potius quam realis.*
15. *Asceticae vitae finis et professio secundum Antonellum.*
16. *Praecipuae vitae asceticae partes secundum eumdem Antonellum.*
17. *Ascetarum duo genera.*
18. *Ascetae activi seu sociales.*
19. *Ascetae contemplativi seu solitarii.*
20. *Antonelli Dissertatione de Ascetis non juvatur R. D. Verhoeven.*
21. *S. Athanasius tradit ante S. Antonium monachos in Aegypto fuisse.*
22. *S. Athanasius vitae tantum anachoreticae auctorem S. Antonium facit.*
23. *Rectius S. Hieronymus pronuntiat anachoreticae vitae auctorem Paulum, illustratorem Antonium.*
24. *S. Hieronymi dicta non bene interpretatur Thomassinus.*
25. *S. Antonius vitam coenobiticam inter suos discipulos non instituit.*
26. *Coenobiorum auctor saeculo quarto in Aegypto fuit S. Pachomius.*

1. Accedimus modo ad quaestionem quam R. D. Professor se soluturum ab initio libelli sui receperat : quandonam videlicet status religiosus in Ecclesia exsistere coeperit. Solutio quam ille affert, nobis videtur ad quatuor capita reduci commode posse. 1° Eos qui vitae religiosae originem sive a Veteri Testamento sive a Christo Domino aut Apostolis repetunt, hoc argumento e Thomassino (1) Selvagioque (2) deprompto explodit (3), quod « virtutum consilia et exempla Salvatoris nostri, Apostolorum et Prophetarum non tantum monachis et regularibus, sed aliis etiam fidelibus ad imitandum proposita sunt » ; quod idem fere est ac si diceret SS. Dominicum et Franciscum non fundasse inclytos suos Ordines, quia horum Sanctorum documenta et exempla non tantum Fratri-

(1) Op. cit. part. 1, lib. 3, cap. 12, num. 11, pag. 665.
(2) Antiquit. Christ. part. 2, lib. 1, cap. 13, not. 9, tom. 2 pag. 278.
(3) Pag. 7.

bus Praedicatoribus et Minoribus, sed aliis etiam regularibus, imo omnibus Christianis, sunt ad imitandum proposita. 2° Fatetur (1) « inter discipulos Christi et Christi fideles... multos fuisse, qui perfectiorem vitam amplexi, non tantum praecepta, sed et consilia Salvatoris nostri observare studuerunt » (unumne vel duo tantum consilia evangelica, an vero etiam tria, haud definit); item « ab ipsis nascentis Ecclesiae temporibus fideles tam viros quam feminas fuisse, qui durius ac severius quoddam vitae genus profitebantur..., quique *Ascetae* vel *Ascetriae* dicebantur; » demum « ab ipsis Christiani nominis exordiis in Ecclesia Dei fuisse sacrarum Virginum institutionem, quae virginitatem sanctiorisque vitae institutum profitebantur. » Pro qua partium enumeratione probanda vellemus explicasset quodnam discrimen ponat *ascetas* inter et *fideles perfectiorem vitam amplexos,* nec non quare *sacras virgines* ab *ascetriis* sejungat : etenim duae classes, altera virorum, feminarum altera, sufficere ei poterant, autumanti videlicet eos omnes nonnisi in incompleto statu perfectionis acquirendae versatos fuisse; ut patet ex his ipsius verbis : « Cum vero de hac aliave, perfectioris etiam, vitae professione non ea tradita reperiamus quae ad verum et perfectum religionis statum requiruntur, saltem dicendum est ex authenticis documentis non constare, ante quartum Ecclesiae saeculum statum istum exstitisse. » Quae verba jam nemo mirabitur qui attenderit principium a R. D. Professore praestitutum (2) : « Ut itaque originem perfecti religiosi status inveniamus, necesse est praeterea reperire *regulam* aliquo modo ab Ecclesia approbatam, vivendi *communionem,* peculiares quasdam sacras exercitationes et officia. » Imo, cum testetur se hoc principium accepisse a Selvagio, mirandum potius quod ex eodem scriptore (3) vel ex hujus magistro Thomassino (4) non plura adhuc requisita ad statum religiosum enumeraverit : cujusmodi sunt *scholae, coloniae, horae certae* obeundis sacris exercitiis *sui semper simillimis* destinatae, aliaque id genus. 3° Cum ita ambiguus haereret an tribus primis Ecclesiae saeculis veri exstitissent

(1) Pag. 7 et 8.
(2) Pag. 7.
(3) Loc. cit.
(4) Loc. cit.

religiosi necne, incidit in hanc Nicolai Antonelli phrasim (1) : « Eruditissimi scriptores, qui antiqua ecclesiasticae historiae monumenta exactiori judicio ad criticae artis regulas expendunt, monasticae institutionis exordia post restitutam a Magno Constantino Christianae Ecclesiae pacem unanimi consensu collocant, alii quidem currente vel exeunte saeculo quarto, alii vero initio saeculi quinti. » Quid per monasticam institutionem Antonellus intellexerit, ac proinde num haec phrasis R. D. Professori usuvenire potuerit, postea expendemus. Is certe ita, pauculis immutatis, eam transscribit (2) : « Scriptores, qui antiqua ecclesiasticae historiae monumenta severiori judicio ad artis criticae regulas expendunt, monastici ordinis initia unanimi fere consensu collocant post restitutam a Constantino Magno Ecclesiae pacem ; ita quidem ut alii currente vel exeunte saeculo quarto, alii vero initio saeculi quinti illius exordia praefiniant. » Quis haec legens non crederet scriptorem hic tandem fixurum esse pedem? Attamen 4° has eruditissimorum virorum sententias, quantumvis eas criticae artis regulis innixas praedicet, vix pensi habens, easque solum obiter commemorasse contentus, in Holstenii denique sententiam, quam communiorem vocat, videtur abire (3) : qua nimirum monasticae vitae initia ad S. Paulum Eremitam et S. Antonium Abbatem, id est, ad saeculi *tertii* finem et saeculi *quarti* initium, referuntur. Ergo, quem antea reperire nequibat religiosum saeculo *quarto* ac reddita a Constantino *Ecclesiae pace* anteriorem, tandem aliquando reperit. Restat ut declaret quamnam *regulam* ab Ecclesia aliquo modo approbatam S. Paulus Eremita secutus fuerit, quibusnam cum sociis habuerit *vivendi communionem*, quaenam sacrae exercitationes viro sancto fuerint *praefinitae ;* siquidem sine his omnibus verus status religiosus ex mente R. D. Professoris esse non possit (4). Addat, si placet (Thomassinus enim id dicere omisit), quas Sanctus ille fundaverit *scholas*, quorsum e sua eremo *colonias* emiserit, et ita porro ; nisi forte demonstrare malit historicos et chronologos hactenus in errore versatos fuisse, dum S. Paulum saeculo *tertio*

(1) Dissertat. de Ascetis, pag. 111 Operum S. Jacobi Nisibeni, edit. Rom. 1756.
(2) Pag. 8.
(3) Ibid.
(4) Pag. 6 et 7.

in eremum secessisse ibique vitam *solitariam* duxisse putaverunt.

2. Sed, quomodocumque haec se habeant, R. D. Verhoeven in S. Paulo Eremita sistit; satisque sibi esse ait (1), si ex suis dictis inferri queat « vitam religiosam non divinae, sed humanae seu ecclesiasticae institutionis esse; » id quod certe nullus ex iis jure intulerit. Subjicit vero : « Argumentum autem praecipuum nostrum est, inter omnes constare Christum Dominum non ea ordinasse quae ad verum et perfectum religiosum statum vel ordinem requiruntur; atque adeo dici nequit eum esse divinae institutionis. Idem praeterea efficitur ex eo quod scriptores ecclesiastici unanimi fere consensu doceant statum istum ante quartum aerae Christianae saeculum in Ecclesia non fuisse; et illi etiam qui altius hujus institutionis exordia repetunt, eam tamen non a divino jure derivant. »

Nos e contrario jam audivimus e Suarezio, sua dicta per antiquos Ecclesiae Patres necnon S. Thomam et quindecim Doctores praecipuos confirmante, statum religiosum esse *de jure divino*, et hanc esse sententiam *omnium catholicorum recte sentientium* (2). Quare opus non est hujus sententiae argumenta iterum producamus. Verum inquirendum restat num jure R. D. Verhoeven asserere potuerit scriptores ecclesiasticos esse fere unanimes in neganda status religiosi ante quartum Ecclesiae saeculum exsistentia.

3. Sane, currente saeculo XVI et saeculo XVII ineunte, scriptores catholici potius erant unanimes in defendenda contraria opinione adversus Lutheranos, Calvinistas aliosque haereticos, qui religiosum statum incepisse contendebant post annum Christi trecentesimum (3). Imo Suarezius, posteaquam, uti jam vidimus (4), in genere probavit statum religiosum a Christo institutum esse, ulterius progrediens declarat (5) « etiam fecisse Christum quamdam religionem in particulari, ad eam quosdam homines congregando, eisque proprium et particularem modum vitae religiosae tribuendo, » et quidem vitae quam propter contemplationis et actionis conjunctionem *vitae*

(1) Pag. 9.
(2) Vide supra, pag. 7.
(3) Cfr. Bellarminus, de Monachis, cap. 5, col. 432; Suarez, lib. 3, cap. 2, num. 1.
(4) Supra, pag. 7 et 8.
(5) Lib. 3, cap. 2, num. 9 et 10.

mixtae nomine appellare consuevimus, cujus finis specialis esset cooperari Redemptori in salute animarum procuranda; proindeque primam religionem fuisse *clericorum,* ipsorummet nempe Apostolorum, quos autumat tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae vere ac proprie emisisse. Idem jam dudum ante, nempe saeculo decimo quarto, censuerat doctus theologus Alvarus Pelagius; qui, ut loquitur P. Hieronymus Platus (1), « in eam rem multas congerit rationes, et hanc praecipue quod votum, ut ille ait, est consilium consiliorum et forma et perfectio eorum : quia quodcumque sit consilium super quod cadit, id essentialiter perfectius reddit et Deo acceptius. Ex quo ille quidem effici putat, si hoc Apostoli caruissent, non futuros fuisse in apice perfectionis; ac potius eam abdicationem harum earumdem rerum quam quotidie ineunt quilibet religiosi, quia votum annexum habet, perfectiorem futuram fuisse quam illam Apostolorum : quod quidem temerarium est dictu, atque etiam improbum et impium. » Neque ab hisce theologis regularibus dissentiunt saeculares Sylvius et Estius, insignes in Academia Duacena Doctores, qui ex ipso Evangelio ad SS. Patrum mentem expenso inferre non dubitant Apostolos fuisse veros religiosos (2). Quod argumentum recentiori etiam tempore, ne plures veteres theologos in id conspirantes singillatim enumeremus, non sine eruditione retractavit P. Joannes Antonius Zunggo, canonicus regularis Lateranensis (3); et insuper, quamvis bene nosset quae Thomassinus (4) aliique scriptores in contrarium dixerant, sufficientes tamen sibi suppetere putavit rationes ob quas Suarezio adstipularetur, existimanti primaevam illam clericalem religionem « non periisse cum Apostolis, sed continua propagatione fuisse in eorum successoribus ac discipulis conservatam, » ac proin « fuisse semper in Ecclesia statum aliquem religiosum per se et ex proprio instituto clericorum, id est, sub tribus consiliis ac votis

(1) Platus, de Bono status religiosi, lib. 2, cap. 20, citans Alvarum Pelagium, de Planctu Ecclesiae, lib. 2, cap. 56.

(2) Sylvius, in 2. 2, quaest. 186, art. 1, pag. 926, edit. Antv. 1697; Estius, Annot. in difficiliora S. Scripturae loca, ad Matth. XIX, 27, pag. 445, edit. Antv. 1699.

(3) Hist. de Ordine Can. Regul. S. Augustini prodromus, tom. 1, part. 1, cap. 1, pag. 5 et seqq.

(4) Op. cit. part. 1, lib. 3, cap. 2.

perfectionis destinatum ad propria clericorum ministeria, vel in divino cultu vel etiam in salute animarum procuranda (1). » Affirmant autem laudati theologi sibi suffragari S. Thomam, ex cujus sententia *Apostoli intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum, relictis omnibus, sunt secuti* (2); eodemque pertinere quod scribit idem Angelicus Doctor *a Discipulis Christi omnem religionem sumpsisse originem* (3); quodque alibi ex Collationibus Patrum ait *omnem religionem ab illa sancta societate sumpsisse exordium* (4), necnon in opusculo de perfectione vitae spiritualis, de septem diaconis loquens : « A quorum, inquit (5), exemplo omnes religiones derivatae sunt. » Observant iidem vitam religiosam a SS. Patribus nonnunquam vocari *apostolicam* seu *evangelicam,* ut fit v. g. a SS. Basilio Magno (6) et Bernardo (7); eamque praedicari a S. Chrysostomo *philosophiam a Christo introductam* (8), « utique, inquit Sylvius (9), in Apostolos, ac deinde in ipsorum successores, » quemadmodum hanc dictionem etiam intellexerat S. Nilus, Chrysostomi discipulus (10). Neque dissentire credunt auctorem qui saeculo quarto Constitutiones monasticas conscripsit, vulgo S. Basilii dictas (11), quando ait communem regularium vitam esse imitationem illius quam Christus cum suis Apostolis instituit (12); neque Eusebium, quando in commendationem monachorum seu illorum qui segregem et castam vitam agunt, dixit (13) : « Quorum primi fuere Salvatoris nostri discipuli. » Praecipue autem allegant illud S. Augustini effatum (14) : « Dixerant potentes illi : *Ecce nos dimisimus omnia,*

(1) Zunggo, loc. cit. cap. 2, pag. 20; cap. 6, pag. 48 et seqq.

(2) 2. 2, quaest. 88, art. 4, ad 3.

(3) 2. 2, quaest. 188, art. 7.

(4) In Epist. 1 ad Cor. cap. 16, lect. 1, tom. 6 Operum, pag. 359.

(5) De perfect. vitae spirit. cap. 23, tom. 19 Oper. pag. 422.

(6) Epist. 173, 207 et 295, tom. 3 Oper. pag. 261, 310 et 433, edit. Maur.

(7) Serm. de divers. 22, 27, 37, vol. 1 Oper. col. 1127, 1140, 1161, edit. Mabillon.

(8) Hom. 17 ad pop. Antioch. tom. 2 Oper., pag. 173.

(9) Loc. cit.

(10) Libr. ascetic. in Magn. Bibl. Patr. tom. 5, col. 339 et 340, edit. Paris. 1644.

(11) Cfr. D. Garnier, tom. 2 Operum S. Basilii, Praefat. pag. XLV et seqq.

(12) Constit. monast. cap. 18 et 22, tom. 2 Oper. S. Basilii, pag. 561 et 573.

(13) Comment. in Psalm. apud Montfaucon, Collect. nov. PP. Graec. tom. 1, pag. 348.

(14) De civit. Dei, lib. 17, cap. 4.

et secuti sumus te. Hoc votum potentissime voverant; sed unde hoc eis nisi ab illo de quo dictum est : *Dans votum proventi?* » A quo non abludit S. Hieronymus, qui in Epistolis suis perfectionis studiosos facere jubet quod fecerunt Apostoli (1), atque apostolici fastigii apostolicaeque dignitatis culmen esse dicit saeculum relinquere, seipsum Domino tradere et sequi ex integro Christum (2).

4. Adhaec iisdem theologis placet vitam religiosam inter laicos quoque natam esse una cum primitiva Ecclesia Jerosolymitana; quo sensu S. Bernardus, de ordine monastico loquens, eum ait esse (3) « primum in Ecclesia, imo a quo coepit Ecclesia;... cujus Apostoli institutores, cujus hi quos Paulus jam saepe sanctos appellat, inchoatores exstiterunt. » Ac hujus opinionis fundamenta suppetere sibi autumant in Actibus Apostolorum (4); e quibus, saeculo quarto exeunte, Abbas Piammon apud Joannem Cassianum illam intulit consequentiam (5) : « Coenobitarum disciplina a tempore praedicationis apostolicae sumpsit exordium. Nam talis exstitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quae in Actibus Apostolorum ita scribitur : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant ea omnibus prout cuique opus erat.* Et iterum : *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Talis inquam erat tunc omnis Ecclesia quales nunc perpaucos in coenobiis invenire difficile est. » Adversus hanc inter monachos Aegyptiacos receptam saeculo quarto de status sui origine sententiam objicit Thomassinus (6) non satis se videre « unde suppetere possent Cassiano solida argumenta, quibus conficeret primos Ecclesiae Hierosolymitanae fideles tam conjugia quam patrimonia repudiasse. » Verum facilis videtur ex

(1) Epist. 120. alias 130, tom. 1, col. 822, edit. Vallars.

(2) Epist. 118. alias 34. col. 793; Epist. 130, alias 8. col. 989 et 990.

(3) Apolog. ad Guill. Abb. cap. 10, vol. cit. col. 537.

(4) Act, II, 44, 45; IV, 32, 34-37; V, 1-10.

(5) Cassian. Collat. 18. cap. 5. pag. 517, edit. Francofurt. 1722.

(6) Op. cit. part. 1, lib. 3. cap. 12, num. 10, pag. 665.

Alphonso Salmerone ad hanc objectionem responsio (1) : « Si tales conjugati opus generationis et procreationis liberorum sibi non adimerent, stultum erat et contra omnem rationem facultates suas in pauperes distribuere, quas jure naturae servare cogebantur, ut filiis alimenta relinquerent et ut filias dote data honeste collocare possent; neque verisimile est Apostolos permisisse ut substantias suas dividerent et ad pedes suos ponerent. » Graviorem nonnulli difficultatem in eo positam arbitrantur quod Piammon Abbas verba S. Lucae de omnibus universim primis fidelibus Jerosolymitanis intellexisse videatur aut saltem videri possit; ita ut hoc potius ex capite aliqua correctione indigeat. Hanc suppeditat Estius caput quartum Actuum Apostolorum commentans; ubi, postquam probabilibus rationibus suasit ea quae a S. Evangelista, universalibus licet terminis, dicuntur, non accipienda esse de tota quanta erat Ecclesia Jerosolymitana, sed de magno tantum fidelium numero, dein subjungit (2) : « Manifestum etiam quod qui Christiani fiebant, non jubebantur omnia sua relinquere et pretium rerum conferre in commune; quia Petrus dicit Ananiae : *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate?* id est, liberum tibi erat ut bona tua et pretium ex iis comparatum vel conferres in vitam communem vel tibi retineres. Tunc autem voto se ad communem vitam obligabant, quando sua afferebant ad pedes Apostolorum. Unde Ananiae non totum adferenti, et tamen voventi vitam communem et rerum suarum dimissionem, dicitur : *Mentitus es Spiritui Sancto*, id est, fidem Deo datam fefellisti et irritam fecisti; id est, vovisti quod praestare non cogitasti, promisisti ore, non corde. » Eodem fere modo, quamvis brevius, Bellarminus ratiocinatur (3). Neque vero temere haec a doctis iis viris asseverari liquet e Patrum testimoniis a Salmerone (4) et Cornelio a Lapide (5) collectis : Cypriani videlicet, Gregorii Nazianzeni, Joannis Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Fulgentii, Gregorii Magni; quibus adde scriptores duorum ope-

(1) Comment. in Evang. Hist. et Act. Apost., tom. 12, tract. 19, pag. 121, edit. Colon. 1604.

(2) Op. cit., Act. IV, 32, pag. 578 et 579.

(3) De Monachis, cap. 5, col. 437.

(4) Loc. cit. tract. 21, pag. 128 et 129.

(5) Comment. in Act. Apost. V, 1, pag. 115, edit. Antv. 1717.

um, olim indubie SS. Athanasio (1) et Basilio (2) tributorum unc vero dubie tantum, venerandae tamen antiquitatis. Ii uippe omnes aperte docent Ananiam ac Sapphiram ideo a . Petro increpatos atque a Deo morte plexos fuisse quod otum sacrilege infregissent. Unde cum aliis S. Scripturae interpretibus ulterius infert Estius (3) : « Puto igitur istos omnia ommunia habentes fuisse veros religiosos, quomodo nunc de eligiosis loquimur; quia in manibus Petri tamquam praelati ovebant vitam communem, et proinde etiam obedientiam, ine qua vita communis non potest subsistere; item continenam, sine qua vita illa esset plena turbarum, rixarum et quelarum, propter filios nutriendos iisque providendum. Et 'atres originem vitae communis, qualis religiosorum est, reerunt primum ad familiam Christi et Apostolorum, qui dixeunt : *Ecce nos reliquimus omnia*, inter quae etiam uxores ominantur : unde et vita apostolica vocatur. »

Negari vero non potest esse nonnulla SS. Patrum pronunata, quae huic sententiae queant accommodari : exempli ausa, quod S. Joannes Chrysostomus asseverat monachos ita ivere uti initio Ecclesiae vivebant fideles in Jerusalem (4) ; ui consonat S. Hieronymus, idem prorsus affirmans (5) : anctus vero Possidius, ubi narravit S. Augustinum monaerium intra ecclesiam instituisse, illico subjungit (6) : « Et um Dei servis vivere coepit secundum modum et regulam ab sanctis Apostolis constitutam » ; quod et ipse Augustinus, e clericis suis, qui religiosi erant, sermonem faciens, declat in hunc modum : « Nostis sic nos vivere in ea domo quae icitur domus episcopii, ut, quantum possimus, imitemur eos nctos de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum.... cce dico, audite : qui societatem communis vitae jam susptam, quae laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, a oto suo cadit, et a professione sancta cadit (7).... Ipsa de

(1) Homil. de Passione et Cruce omini, tom. 2 Operum S. Athaii, pag. 80, edit. Maur.

(2) Serm. ascet., tom. 2 Operum Basilii, pag. 319, edit. Maur. Praefatio ejusd. tomi, p. XLIII.

(3) Loc. cit. pag. 379.

(4) Hom. 11 in Act. Apost. m. 9 Oper. pag. 94.

(5) De viris illust. cap. 11, tom. 2 Oper. col. 847, edit. Vallars.

(6) In Vita S. Augustini, apud Bollandianos, tom. 6 Augusti. pag. 428.

(7) Serm. 355, alias de diversis 49, tom. 5 Oper. col. 1380 et 1381, edit. Maur.

libro Actuum Apostolorum vobis lectio recitabitur, ut videatis ubi descripta sit forma quam desideramus implere (1). » Item verba illa Davidica : *Ecce quam bonum*, etc. (2) commentans, ait : « Ista enim verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico quam in intellectu, etiam *monasteria* peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres qui habitare in unum concupierunt : iste versus fuit tuba ipsorum... Ipsi primi habitaverunt in unum qui omnia quae habebant vendiderunt, rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur... Ergo ipsi prius audierunt : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Primi audierunt, sed non soli audierunt. Non enim usque ad illos ista dilectio et unitas fratrum venit. Venit enim et ad posteros ista caritatis exsultatio et votum Deo. Vovetur enim aliquid Deo, et dictum est : *Vovete et reddite Domino Deo vestro*... Ex voce hujus Psalmi appellati sunt et monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet catholicis. » Hactenus S. Augustinus (3). Atque haec omnia eo quidem fine recensuimus, ut liqueat in promptu esse scriptores apprime ecclesiasticos nec indoctos qui vitae religiosae originem longe aliter explicent quam R. D. Verhoeven. nec patiantur se refelli imbelli illa ratione : « Virtutum consilia et exempla Salvatoris nostri, Apostolorum et Prophetarum non tantum monachis et regularibus, sed aliis etiam fidelibus ad imitandum proposita sunt. »

5. Dein consideret R. D. Professor quid Eusebius memoret de S. Marci Evangelistae apud Aegyptios praedicatione : « Tanta multitudo virorum simul ac mulierum, qui fidem Christi illic amplexi fuerant, ab ipso statim initio tam philosophicam tamque severam ascesim professa fuit, ut studia illorum et coetus atque convivia totamque vitae rationem scriptis suis commemorare operae pretium duxerit Philo.... Cum ascetarum nostrorum vitam quam accuratissime describit, indicat se non modo vidisse, sed etiam vehementer probare et mirari apostolicos viros, qui ex Hebraeis, ut credibile est, oriundi, ob eam causam magis judaice veteres ritus adhuc

(1) Serm. 356, alias de diversis 50, tom. cit. col. 1581.
(2) Ps. CXXXII, 1.
(3) Enarrat. in Psalm. tom. 4 Oper. col. 1484 et 1485.

nagna ex parte servabant... Viros quidem ipsos therapeutas, eminas vero cum iis versantes therapeutrias ait appellari... nte omnia facultates suas eos abjicere testatur... Deinde, bjecta omni rerum humanarum cura, extra moenia progres- os in hortis agellisque deviis degere... Quod quidem illius mporis Christiani animosa quadam ardentissimaque fide ecisse mihi videntur, cum propheticam vivendi rationem mulari studerent. Etenim in Actibus Apostolorum sincera ritate refertis scriptum habemus omnes Apostolorum fami- ares, praediis et facultatibus suis venditis, divisisse singulis rout cuique opus erat... His plane similia de therapeutis ostquam Philo testatus est, tum illa ad verbum subjungit : Id genus hominum in variis orbis regionibus reperitur. Decebat enim Graecos et Barbaros tanti boni participes fieri. Floret tamen in Aegypto praecipue, per singulas ejus praefecturas diffusum; maxime vero circa Alexandriam. Undique vero optimi quique in locum quemdam opportu- nissimum, qui est trans Mariam paludem,... tamquam in patriam therapeutarum migrant. » Hinc postquam descri- it cujusmodi essent illorum domicilia, de eorum per re- onem illam ecclesiis ita dicit : « In singulo autem domicilio est quoddam sacellum, quod semnaeum et monasterium appellatur; in quo soli, remotis arbitris, sanctioris vitae mysteria peragunt. Nec cibum potumve nec quidquam aliud ad corporis curandas necessitates pertinens eo infe- runt; sed leges et Prophetarum oracula hymnosque et alia hujusmodi, quibus pietas ac scientia augentur et consum- mantur... Sacra enim volumina lectitantes philosophantur, patriam philosophiam allegorice explicando. Quippe exi- stimant verba ipsa esse signa rerum abditarum, quae per intelligentiam declarantur. Sunt etiam apud eos commen- tarii veterum quorumdam, qui sectae illius auctores, multa eis monumenta doctrinae in allegoriis positae reli- querunt.... » Haec certe ab homine videntur dicta qui stros sacras litteras exponentes audiverit. Quas autem ait nes illos fuisse scripturas, apparet ipsa esse Evangelia et ostolorum scripta et expositiones quasdam veterum Pro- etarum, cujusmodi plures in Epistola ad Hebraeos aliisque ribus Pauli Epistolis continentur... Multa quoque alia... mmemorat; sed haec maxime excerpenda esse duxi, qui-

bus ecclesiasticae disciplinae character oculis subjicitur. Quod si quis ea quae recitata sunt, disciplinae evangelicae nequaquam propria esse, verum etiam aliis praeter eos quos dixi competere posse existimet, is convincatur saltem sequentibus Philonis verbis, in quibus, dummodo aequus rerum aestimator sit, rem extra controversiam positam deprehendet.» Post haec, citato Philonis testimonio de insigni therapeutarum temperantia : « Has, inquit, Philonis dictiones perspicue et citra controversiam de nostrae Religionis hominibus prolatas arbitramur. Quod si quis adhuc pertinaciter his refragari voluerit, is manifestioribus convictus indiciis, quae non alibi quam in Christiana secundum Evangelium Religione reperiuntur, pertinaciam suam tandem abjiciat. Ai igitur Philo cum his viris de quibus est sermo, versari etiam feminas, quarum plurimae grandaevae sunt virgines, quae castitatem non necessitate, ut nonnullae apud gentiles sacerdotes, sed libera potius sponte servaverunt propter amorem ac desiderium sapientiae... Quid praeterea hic attinet commemorare coetus, et virorum hinc, illinc mulierum seorsum degentium exercitationes, easque quae etiamnum apud nos in usu sunt asceses?... Insuper gradus praesidentium describit, eorum videlicet qui ecclesiastica obeunt munia, diaconiasque et episcopatus apicem omnibus antestantem... Philonem denique, dum haec scriberet, primos illos evangelicae doctrinae praedicatores et mores primum ab Apostolis traditos in mente habuisse, unicuique est manifestum. » Hactenus Eusebius (1).

6. Sagaci huic historiographo adstipulatur S. Hieronymus criticae artis scientissimus, qui de S. Marco inter alia refert (2) « Assumpto itaque Evangelio quod confecerat, perrexit Aegyptum; et primus Alexandriae Christum annuntians constituit Ecclesiam, tanta doctrina et vitae continentia ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Judaeorum, videns Alexandriae primam Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suae librum super eorum conversatione scripsit. » Ac rursum de Phi

(1) Hist. eccl. lib. 2, cap. 16 et 17, pag. 53 et seqq. edit. Vales. Peris. 1659.

(2) De viris illust. cap. 8, tom. Operum, col. 843. Cfr. Brevia Rom. ad 25 April.

one(1) : « Librum de prima Marci Evangelistae apud Alexan-
riam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est, non
olum eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse memorans,
t habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet ta-
em primum Christo credentium fuisse Ecclesiam quales nunc
nonachi esse nituntur et cupiunt : ut nihil cujusquam pro-
rium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia
gentibus dividantur, orationi vacetur et psalmis, doctrinae
uoque et continentiae; quales et Lucas refert primum Jero-
olymae fuisse credentes. » Pariter S. Epiphanius, eumdem
hilonis librum, quem de Jessaeis inscriptum dicit, laudans :
Ubi, ait (2), illorum vitae disciplinam ac praeconia celebrans,
orumque monasteria ad Marianam paludem circumcirca po-
ita describens, non de ullis aliis quam de Christianis illa nar-
avit. » Quod tantorum virorum concors judicium suspi-
iens Guilielmus Beveregius, scriptor heterodoxus, ita de eo
qui non dubitavit (3) : « Tres itaque gravissimos habemus
stes Philonem Judaeum... de Christianis sub Therapeutarum
omine disseruisse, videlicet Eusebium, Hieronymum et
piphanium, qui omnes quarto claruerunt saeculo, ac pro-
terea de nascentis Ecclesiae, ad quam longe propiores accede-
nt, disciplina multo melius judicare potuerunt quam nos,
ui tot non annorum, imo vero saeculorum intervallo ab iis
moti sumus. Quare nihil est quod nos ab eorum opinione
cedamus, nisi validissimis coacti rationibus. » Addere
tuisset Sozomenum historicum, qui idem sibi ac Eusebio
statur videri (4); necnon Cassianum, quarto saeculo inter
onachos Aegyptios versatum, a quo haec traduntur (5) : « Cum
primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi *monacho-*
m nomine censerentur, qui sicut a beatae memoriae Evan-
lista Marco.... normam suscepere vivendi, non solum illa
agnifica retinebant quae primitus Ecclesiam vel credentium
rbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse,.... verum
iam his multo sublimiora cumulaverant.... De quibus etiam

(1) Ibid. cap. 11, col. 847.
(2) Haeresi 29, tom. 1 Operum, g. 120, edit. Colon. 1682.
(3) Codex canonum Ecclesiae mitivae. lib. 3, cap. 5, num. 5, g. 147, ad calcem voluminis 2 Patrum Apostolicorum edit. Amstelaed. 1724.
(4) Hist. eccl. lib. 1, cap. 12.
(5) De coenob. instit. lib. 2, cap. 5, pag. 16.

is qui minus indigenarum relatione cognovit, ecclesiastic historia poterit edoceri. » Consonat hisce Nicephorus (1).

7. Jam vero agitur inter eruditos controversia acerrima quam de vitae religiosae origine aliquid chartae mandare vo lenti ignorare non licet : nimirum cedendumne sit rationibu quibus Eusebius christianitatem therapeutarum vindicar tanto verborum pondere nisus est; an contra, quos ille Chris cultoribus accenset, mera fuerit Judaeorum secta. Cert Eusebii adeoque SS. Hieronymi et Epiphanii auctoritate clevare conati sunt plerique qui de eo argumento disseruer acatholici, quibus ex catholicis cum Eusebii interprete Vale sio (2) accedunt J. B. Cotelerius (3), A. Pagius (4), L. Ellie Dupin (5), J. Bouhier (6), R. Ceillier (7), Cardinalis Orsi (8 T. M. Mamachius (9) aliique. Verum ex adversa parte pr Eusebio stant cum Cardinalibus Baronio (10) et Bellarmino (1 B. Bacchinius (12), D. Petavius (13), N. Serrarius (14), L. Tillemont (15), B. de Montfaucon (16), N. Alexander (17 M. Lequien (18), P. Hélyot (19), J. Haiden (20), R. Sala (21), et atque inter acatholicos G. Beveregius (22), T. Bruno (23

(1) Hist. eccl. lib. 2, cap. 15, pag. 156 et 157, edit. Paris. 1630.

(2) Ad Hist. eccl. Eusebii, lib. 2, cap. 17, pag. 35.

(3) Eccl. Graec. Monum. tom. 1, col. 789.

(4) Ad ann. 62 (Baronio 64), num. 2 et 3, tom. 1 Annalium Baronii, pag. 597 et 598, edit. Luc.

(5) In Basnagii Hist. Judaeorum, tom. 7, edit. Paris. 1710.

(6) Lettres pour et contre, etc., pag. 1 et seqq., pag. 237 et seqq.

(7) Hist. gén. des auteurs eccl., tom. 4, pag. 269 et seqq.

(8) Istor. eccl. lib. 1, num. 43, tom. 1, pag. 87, edit. Rom. 1752.

(9) Orig. et antiq. Christ. lib. 1, cap. 1, § 5, num. 3 et 4, pag. 16 et seqq.

(10) Ad ann. 64, num. 3 et seqq., pag. 596-600.

(11) De Monach. cap. 5, col. 435 et 436.

(12) De Hierarch. eccl. cap. 3, num. 15, pag. 240.

(13) In notis ad S. Epipha tom. 2, pag. 54, edit. Paris. 162

(14) Trihaeres. lib. 3, cap. 1 tom. 1. Opuscul. pag. 96 et seq

(15) Mém. pour servir à l'hi eccl. tom. 2, pag. 94, 95, 508 509, edit. Paris. 1701.

(16) Lettres pour et contre, p. 1 et seqq.

(17) Hist. eccl. saec. 1, dissert. 2 tom. 3, pag. 225 et 226, edit. Ven

(18) Orient. Christ. tom. col. 332.

(19) Hist. des Ordres relig. milit., Dissert. prélim. § 1.

(20) Dissert. de Therapeutis, §. apud Fleury, Discipl. populi D edit. F. A. Zaccariae, Venet. 178 pag. 49 et seqq.

(21) Rer. Liturgic. Joannis Bon tom. 2, lib. 1, cap. 19, not. pag. 35 et seqq.

(22) Loc. cit. pag. 147 et 148.

(23) Diatr. de therapeutis, ap Epistolas S. Clementis Rom. ed Londin. 1687.

J. Vossius (1), S. Parker (2), G. Wiston (3). Tum plerique eorum qui credunt therapeutas fuisse Christianos, etiam monachos fuisse volunt; quod quidem legitima consequentia ab iis admitti confitetur cum Bouhiero Mamachius (4) : quamquam aliqui, Eusebianis dictionibus pressius insistentes, non *monachos*, sed *ascetas* eos dici oportere decernunt (5). Profecto nostrum non est tantas lites componere: sed dum eas commemoramus, ostendimus utique quantum absit ut scriptores ecclesiastici unanimi fere consensu doceant statum religiosum ante quartum aerae nostrae saeculum in Ecclesia non fuisse : quod confidenter affirmavit R. D. Verhoeven (6).

Quod si cui admirationem moveat cur in duabus illis judaizantibus Ecclesiis statim cum ipsa fide efflоruisset status religiosus, quod in aliis Ecclesiis non perinde factum cernitur, sunt qui hoc discrimen putent satis explicari a S. Augustino hisce verbis (7) : « Ea demum est miserabilis animae servitus, signa pro rebus accipere et supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum aeternum lumen levare non posse. Quae tamen servitus in Judaeo populo longe a caeterarum gentium more distabat; quandoquidem rebus temporalibus ita subjugati erant ut unus eis in omnibus commendaretur Deus... Quam custodiam tamquam sub paedagogo parvulorum fuisse scribit Apostolus. Et ideo... qui crediderunt, ex quibus facta est prima Ecclesia Jerosolymitana, satis ostenderunt quanta utilitas fuerit eo modo sub paedagogo custodiri... Namque illi qui proximi spiritualibus fuerunt,... tam capaces exstiterunt Spiritus Sancti ut omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum ante Apostolorum pedes ponerent, *seque totos dedicarent Deo* tamquam templum novum, cujus terrenae imagini, hoc est templo veteri, servirent. Non enim hoc ullas Ecclesias gentium fecisse scriptum est, quia non tam prope inventi erant qui simulacra manufacta deos habebant. »

(1) Variar. Observat. pag. 46 et seqq.
(2) Hist. eccl. Eusebii, edit. Anglic.
(3) In Constit. Apost. pag. 73 et seqq., pag. 248 et seqq.
(4) Loc. cit. pag. 53.
(5) Antonelli, Dissert. cit. p. 107 et 108; Haiden, Dissert. cit. Corollar. pag. 52 et 53.
(6) Pag. 9.
(7) De doctr. Christ lib. 3. num. 9, 10 et 11.

8. Verumtamen in Ecclesiis gentium, etsi non tantam ho
minum multitudinem, at aliquot saltem viros feminasqu
speciali ratione sese divino obsequio vitaeque perfectio
devovisse, vel solae S. Pauli Epistolae suadere fortasse non
nemini sufficerent; et peculiariter quod ad virginitatem atqu
continentiam pertinet, prior ad Corinthios 1 ac prior a
Timotheum 2. Quamquam enim, quando primum ad Corin
thios scribebat Apostolus, « neque vestigium monachi tun
erat, sed omnia ad saeculares loquebatur, » teste Chryso
stomo 3, prorsus tamen est credibile non inanes deince
fuisse illius ad colendam virginitatem omnemque sanctimo
niam adhortationes. Imo id ipsum extra omnem controver
siam ponitur, simul ac juxta Sacras Litteras etiam monument
ecclesiastica apostolicis temporibus propinqua consulimus
Citari namque potest Tertullianus, e cujus testimonio, Ba
ronio judice 4, « quantum Corinthii Pauli Apostoli prae
dicatione profecerint,... satis possumus intelligere. » Reda
guens videlicet quosdam qui virgines aperto capite volebat
incedere, ait 5 : « Hodie denique virgines suas Corinth
velant; quid docuerint Apostoli, quid didicerint, approbant.
Item de aliis Ecclesiis dicit 6 : « Per Graeciam et quasda
Barbarias ejus plures Ecclesiae virgines suas absondun
Est et sub hoc coelo institutum istud alicubi, ne qui gent
litati graecanicae aut barbaricae consuetudinem illam adscr
bant. Sed eas ego Ecclesias proposui quas et ipsi Aposto
et apostolici viri condiderunt, ut puto, ante quosdam. Habe
igitur et illae eamdem consuetudinis auctoritatem : tempor
et antecessores opponunt magis quam posterae istae. » D
S. Clemente Romano aliisque testatur S. Hieronymus, eunu
chos spirituales commendans 7 : « Ad hos et Clemens successo
Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit ep
stolas, omnemque pene sermonem suum de virginitatis pur
tate contexit; et deinceps multi et Apostolici et Martyres
illustres tam sanctitate quam eloquentia viri, quos ex propri

(1) 1 Cor. VII.
(2) 1 Tim. V.
(3) Hom. 25 in Epist. ad Hebr., tom. 12 Operum, pag. 233. Cfr. Bellarminus, de Monachis, cap. 5, col. 437.
(4) Annal. eccl. ad an. 57, num. 5
(5) De virgin. veland. cap. pag. 178, edit. Venet. 1744.
(6) Ibid. cap. 2, pag. 173.
(7) Adversus Jovinian. lib. 1, nu 12, tom. 2 Operum, col. 257 et 25

scriptis nosse perfacile est. » Et Justinus medio saeculo secundo non inter postrema Ecclesiae Christianae decora haec numerabat (1) : « Permulti sexus utriusque et sexaginta et septuaginta nati annos, qui a pueris disciplinam Christi sunt sectati, incorrupti perdurant; et glorior me per omne genus hominum nostrorum tales monstrare posse... Vel matrimonium non inimus nisi procreandorum liberorum causa, vel conjugium detrectantes prorsus nos continemus. » Cui consonant et Athenagoras (2) et Clemens Alexandrinus (3) et Tertullianus (4) et Origenes (5) et Minutius Felix (6), omnes S. Cypriano, anno 258 martyrium passo, vetustiores. Beatissimus autem hic Martyr et Pontifex, praeterquam quod in aliis scriptis virginitatem summis laudibus extollit (7) et continentiae propositum vocat gloriosum (8), singulare scripsit de Habitu virginum opusculum, quo saluberrimis monitis eas instruit, « ut quae *se Christo dicaverint,* et a carnali concupiscentia recedentes tam carne quam mente *se Deo voverint,* consumment opus suum magno praemio destinatum; » earumque angelicum statum eloquenti illo exornat encomio (9) : « Nunc nobis ad virgines sermo est; quarum quo sublimior gloria est, major et cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritalis, laeta indoles, audis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei mago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa fecunditas : quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit. » « Quibus verbis declaratur, ait Thomassinus (10), nas Agni immortalis sponsas... jam tum in unum eximium coetum coaluisse, a vulgo fidelium segregatum. » Coetus

(1) Apolog. 1, num. 15 et 29, pag. 32 et 61, edit. Maur.

(2) Legat. pro Christ. num. 33, pag. 310 ejusd. edit.

(3) Stromat. lib. 3, pag. 439, 463, 467, edit. Colon. 1688.

(4) Apolog. cap. 9, pag. 10; lib. 1 ad uxorem, cap. 6. pag. 164.

(5) Contra Celsum, lib. 1, n. 26, lib. 7, num. 48, tom. 1. Operum, pag. 345 et 729, edit. Delarue.

(6) Octav. pag. 307, 308 et 310, edit. Lugd. Bat. 1672.

(7) De Mortalitate, pag. 236; Epist. 77, pag. 160, edit. Baluz.

(8) Epist. 52, pag. 72.

(9) De habit. Virg. pag. 174.

(10) Op. cit. part. 1, l. 3. c. 42, n. 3. pag. 779.

vero tales dudum ante Cyprianum plurimis in Ecclesiis floruisse, idem auctor pro explorato habet, cum dicat (1) : « De virginibus id primo fateri cogimur, earum institutum ipsi Ecclesiae coaevum esse... Professio ipsa et consecratio virginum una cum evangelica semente statim ab exordio nominis Christiani per orbem propagari coepit. » Continebat porro ea professio, sive *privata vestis virginalis assumptione* sive *solemni velatione* fieret, castitatis propositum seu votum, quod deinceps numquam sine piaculo violari posset (2); ita ut quaecumque esset talis violationis rea, *Christi adultera*, ut S. Cyprianus loquitur (3), haberetur : continebat quoque, uti e SS. Cypriani (4) et Hieronymi (5) monitis liquet, obligationem dicendae vitae (sin minus in communitate, saltem intra privatas aedes) a virorum consortio prorsus sejunctae, vacandique omnimodae pietati atque etiam austeritati necnon facultates terrenas, si quas virgo retineret, non aliter quam in bona opera impendendi. Multae quoque, quibus ejusmodi facultates deerant aut quae eas sponte dimiserant alebantur stipendiis Ecclesiae (6); et quoniam (7) « ad majestatem Ecclesiae permagni intererat ut hos virginum greges curaret, excoleret et tueretur, velut incorruptibile quoddam suae sanctimoniae decus, ideo his virginibus specialis et honorificentior locus in ecclesia dicatus erat, » specialique ratione, ut indicat S. Cyprianus (8) et S. Chrysostomus multis evolvit (9), eae suberant Episcoporum sollicitudini. Unde ve ipse Thomassinus vitam illarum *religiosam* nuncupat (10), nec videre se ait (11) « quid amplius in cujusquam animo residere possit dubii quin virgines istae... vere *moniales*, vere *professae* essent, iisdemque insenescerent pietatis exercitiis quibus illae quae in monasteriis instituebantur. » Quod tamen pronuntiatum is auctor deinde ita videtur explicare ut virgines illas sive obedientiae sive paupertati evangelicae per professionem suam adstrictas fuisse neget (12) : quamquam qui me-

(1) Ibid. n. 1, p. 778 et 779.
(2) Vide supra, pag. 17.
(3) Epist. 62, pag. 103.
(4) Ibid. pag. 102 et 103, et lib. de habit. virg. passim.
(5) Epist. 22, col. 88 et seqq.; Epist. 130, alias 8, col. 973 et seqq.
(6) Thomass. loc. cit. n. 5 et 6. p. 779 et 780.
(7) Id. ibid. num. 13, pag. 781
(8) Epist. cit.
(9) De sacerdot. lib. 3, num. 17 tom. 1 Oper. pag. 398 et 399.
(10) Loc. cit. num. 7, pag. 780.
(11) Ibid. num. 18, pag. 782.
(12) Ibid. cap. 43, num. 6, p. 783.

moria tenuerit quae de tacita professione antea in medium protulimus, et rationibus a Suarezio propositis (1) sibi persuaserit obedientiam erga Episcopum aliumve etiam hominem ad id delectum, et paupertatem quae nec dominium, imo nec usum independentem, sed tantum usum superfluum rerum temporalium excludat, ad statum vere religiosum constituendum per se posse esse satis; qui ita, inquam, senserit, non erit injurius Thomassino, si negationis ab eo tam universaliter prolatae argumenta desiderari dixerit.

9. Insuper quod a Thomassino adstruitur coenobia in quibus plures simul sacrae virgines regulariter viverent, tum primum floruisse cum pax et serenitas Ecclesiae sub Constantini imperio illuxit (2), haud potuit impedire quominus post Thomassinum exsurrexerint viri non mediocriter docti qui secus opinarentur : inter quos nominasse sufficiat F. A. Mondelli (3) et A. J. Binterim (4). Adducit hic ex Actis sinceris S. Bonifacii Martyris, anno 290 passi, illum locum (5) : « Beata Aglaes abrenuntiavit mundo et pompis ejus, universa quae habebat distribuens egenis. Relaxans autem et universam familiam suam diversi sexus et aetatis a jugo servitutis, sic cum paucis puellis cum ea abrenuntiantibus famulata est Christo... Supervixit autem B. Aglaes in habitu sanctimonialis annos tredecim. » Magis vero cum Mondello insistit in Actis S. Febroniae Virginis, Sibapoli seu Nisibi in Mesopotamia martyrio coronatae circa annum 304, conscriptis a Thomaide sanctimoniali et oculata martyrii teste, uti Papebrochio videtur, qui ea graece et latine vulgavit ad diem 25 Junii (6). Ecce Thomaidis verba (7) : « Erat autem in oppido illo monasterium feminarum, habens quinquaginta ascetrias. His praecerat quaedam nomine Bryene, discipula olim Platonidis, ante eam diaconatu functae, cujus traditionem et canonem ad finem usque praeclare servavit. Talis porro erat regula Pla-

(1) Tract. 7, lib. 8, cap. 7, num. 10 et seqq.

(2) Loc. cit. cap. 42, num. 1, pag. 778 et 779.

(3) Dissert. sopra le sagre Vergini, apud Zaccariam, Raccolta di dissertazioni, tom. 4, pag. 265 et seqq.

(4) Epist. cathol. de probat. theol. pag. 194 et seqq.; Denkwürdigkeiten, B. 1, Th. 2, kap. 9, § 1, pag. 412 et 413.

(5) Apud Ruinart, Acta Mart. pag. 291, edit. Amstelaed.

(6) Acta SS. Junii, tom. 5, pag. 17 et seqq.

(7) Ibid. pag. 18 et 19.

tonidis. Feria sexta nulli sororum erat laborandum, sed in oratorio congregabantur; ac postquam psalmodiae canonem absolverant, Platonis accipiens librum sororibus legebat divinitus inspiratas Scripturas ad horam usque tertiam : post tertiam vero horam tradebat librum in manus Bryenae, jubens eam legere sororibus usque ad vesperam. Similiter igitur et Bryene faciebat, suscepto diaconatu. Suberant autem Bryenae duae puellae, quae ab ea recte educabantur et in ascetica versabantur palaestra. Nomen uni Procla, et nomen alteri Febronia. » Narratque deinde Thomais plura (1), quae evidenter arguunt monachas illas communem duxisse vitam, atque a Bryenae, quae Magna Domina appellabatur, voluntate omnino pependisse, ita quidem ut praeter ejus assensum e coenobio suo, ubi arctissimam clausuram servabant, ne propter instantem quidem persecutionem pedem movere praesumerent. Quae cum ita sint, quid vetat verum perfectumque statum religiosum ibi agnoscere, ubi et regula quaedam erat, et praefinita quaedam sacra exercitia, et vivendi communio sub una praeposita, atque haec omnia tertio Ecclesiae saeculo? Porro, cum sub finem eorumdem Actorum narretur omnes illius loci monachos cum suo archimandrita ad sepulturam S. Febroniae convenisse (2), merito censet R. D. Binterim claro id esse indicio vitam monasticam tam inter viros quam inter feminas in Mesopotamia viguisse dudum ante imperium Constantini Magni; nec dubitat, propter indicia aliunde petita, quin idem in aliis quoque regionibus obtinuerit. Quam ob rem miramur vehementer quod R. D. Verhoeven ex opere archaeologico Cl. Binterim eum tantum paragraphum citavit (3) ubi de *propagatione* Ordinum religiosorum agitur (4), illum vero qui de *prima monachorum origine* inscribitur (5), tacitus praeteriit.

10. An credit forsitan omnem pro monachis quarto saeculo vetustioribus disputationem praeoccupatam fuisse a Thomassino, qui tales ante S. Paulum Thebaeum non agnoscit? Verum enimvero, sit magnus licet scriptor Thomassinus, agnoscendum certe est eum jejune admodum versatum fuisse

(1) Ibid. pag. 21. 22. 25 et 32.
(2) Ibid. pag. 32.
(3) Pag. 9.
(4) Denkwürtigkeiten, B. 3, Th. 2, kap. 9, § 7.
(5) Ibid. § 1.

n explorando vitae instituto virorum per prima Ecclesiae aecula Deo devotorum, nec fere nisi ad refellendum Cassia- um; cui summum concedit probabile esse « fuisse semper liquos qui privatim otio christiano, secessui silentioque se ederent, et eas virtutes in antris actitarent quibus postea ionachi orbem illustrarunt : » caeterum autumat Cassiani icta meris suspicionibus et conjecturis superstrui (1). In- erea aequius de Cassiano sentiunt alii viri non minus eru- iti, attendentes eum quinti saeculi initio scripsisse, neque ea etulisse quae e suopte ingenio deprompserat, sed magis ea uae in suis itineribus acceperat ex virorum sanctorum nec enitus imperitorum ore : « adversus quorum repetita testi- ionia traditionemque, quae trecentos annos vix superabat, raefracte exsurgere, ait P. Lequien (2), audacioris potius ensoris fuerit quam sagacis cordatique et veritatis studiosi. » uocirca nolunt ut leviter rejiciantur quae ex ea traditione efert apud eumdem Cassianum Abbas Piammon (3) : « Hi item quibus adhuc apostolicus inerat fervor, memores illius ristinae perfectionis, discedentes a civitatibus suis..., in locis burbanis ac secretioribus commanere, et ea, quae ab Apo- olis per universum corpus Ecclesiae generaliter meminerant stituta, privatim ac peculiariter exercere coeperunt... Qui ulatim tempore procedente segregati a credentium turbis, eo quod conjugiis abstinerent et a parentum se consortio undique istius contagione secernerent, *monachi* sive *mona- ntes* singularis ac solitariae vitae districtione nominati unt. Unde consequens fuit ut ex communione consortii *enobitae* cellaeque ac diversoria eorum *coenobia* vocarentur. tud ergo solum fuit antiquissimum monachorum genus, iod non modo tempore, sed etiam gratia primum est, iodque per annos plurimos solum inviolabile usque ad bbatis Pauli vel Antonii duravit aetatem. » Nec absur- m putant quod alio loco ipsemet Cassianus refert *normam vendi* a S. Marco in primordiis fidei traditam viris proba- simis, qui *monachorum nomine censerentur,* deinceps per- tuo perstitisse, ut *haereditatem pietatis ac pacis,* inter *viros isdem culturae consortes* (4). Atque ita intelligunt vitam

1) Op. cit. part. 1, lib. 3, cap. 12, m. 10, pag. 665.
2) Orient. Christ. tom. 2, col. 332.
(3) Collat. 18, cap. 5, pag. 517.
(4) De coenob. instit. lib. 2, cap. 5, pag. 16.

monasticam, cum ipsa Ecclesia natam, inde continua succes sione propagatam fuisse (1).

11. At non probatur illa *vitae monasticae* nuncupatio erudi tissimo Antonello, qui verba Piammonis sic accipit ut no jam *monasticae*, sed *asceticae* professionis exordia, causam occasionem iis describi existimet (2): unde, judice R. D. Ver hoeven, consequens sit non exstitisse perfectum statum religio sum ante quartum Ecclesiae saeculum. Veremur ne et hc judicium praecipitantius, nec re satis perspecta, latum ess videatur. Affertur quidem a R. D. Professore quidam Antone lianae *de Ascetis* dissertationis locus, ubi (3) erroris arguuntu viri doctissimi, quod « ubicumque *ascetarum* nomen sibi occu rerit, ibi *monachos* nominatos fuisse existimarent, atque ita monachos, priusquam monasticus ordo nasceretur, in Eccles fuisse crediderint, et monasticam professionem antiquiore esse quam summae auctoritatis scriptores posteritatis memoria tradiderunt, contra apertissima testimonia et validissima ar gumenta sibi persuaserint : » cujus erroris causam Antonell in eo reponit quod, « cum post *ascetas*... exortum fuerit *mo nasticum institutum*, et in locum ascetarum monachi succe serint, ad eos etiam qui exactius et securius quam veter ascetae melioribusque vivendi legibus atque institutis Christianae pietatis palaestra se exercebant, nomen *ascetaru* traductum est,... quemadmodum e diverso ascetae monac seu *μονάζοντες* et solitarii nuncupati sunt. » Verum, pa R. D. Professoris dictum sit, nusquam tota illa dissertatio invenire potuimus *monasticum institutum* et *perfectum statu religiosum* Antonello esse plane atque omni ex parte syn nyma. Quin eo etiam minus id nobis persuademus quo mag inspicimus quosnam hic scriptor *monachorum* nomine speci tim insigniri velit, et qua verborum cautione utatur, u subdubitat an *forte* Cassianus fuerit in vitae monasticae or gine describenda minus accuratus.

12. « In eo, inquit (4), *forte* labitur Cassianus quod *ascet* cum *monachis coenobitis* ibi confundere *videatur*, a quibus on nino discriminabantur. Nam, ut recte animadvertit Thoma sinus, « ascetae isti priorum saeculorum nec discipulos ins

(1) Cfr. Binterim, loc. cit. p. 410.
(2) Dissert. pag. 135.
(3) Ibid. pag. 110.
(4) Ibid. pag. 135.

» fuerunt, nec fundarunt scholas, nec regulam condiderunt » ullam, nec veste a vulgo discriminari nec coetus religiosos » aggregare ullos studuerunt. » Etenim Christianarum virtutum officia ad Christianae disciplinae regulas severius sanctiusque obire liberum omnibus fuit; ideoque id commune fuisse conspicitur et monachis et primis ascetis, tum etiam clericis, fidelibus quoque laicis et ipsis Testamenti Veteris discipulis, qui studio et amore angelicae cujusdam vitae flagrantius exarserunt. Verum haec ad *monachum coenobitam* constituendum haud satis sunt. » Licet admirationem moveat quod Thomassini dicta modo tam absoluto approbet is qui de *coetibus* ascetarum (1), imo de *discipulis* quoque (2) loquitur, et integrum fere caput de *vestis mutatione,* qua asceseos fiebat professio, concinnavit (3), illud saltem in propatulo est eum monachos hic intelligere *coenobitas;* de quibus etiam loqui pergit in hunc modum (4) : « Nam ad *coenobiticam vitam* insuper necessaria est communis cujusdam vivendi modi ac instituti regula et professio, congregatio, et parendi quidem uni totius congregationis capiti aliisque superioribus necessitas, et intra monasterii claustra vel designatos fines permanendi ac perseverandi, donec aliter Abbati vel alteri totius coetus principi visum fuerit, obligatio; insuper habitatio, vestis, status et conditio omnino a clericis et laicis dissimilis, exercitia quaedam atque officia ad certas horas constituta, suique semper simillima et ad sanctam societatem servandam inventa et excogitata; scholae insuper et coloniae, caeteraque hujusmodi, quae pro communibus sodalitiis custodiendis necessaria censentur. » Cuinam, quaeso, in mentem veniat haec omnia et singula ad perfectum statum religiosum requiri? Sed et audiamus quae sequuntur(5): « Itaque monachorum, praesertim *coenobitarum* institutum multo serius et nonnisi post Magnum Antonium coepit, quibus ascetae, ut ita dicam, quodammodo praeluserunt. Nam *anachoretae* ascetis potius, si de primis anachoretis sermo sit, quam *monachis coenobitis* consociandi videntur. » Nimirum hac animadversione non parum perstringitur R. D. Verhoeven; qui, dum in ascetis non reperit quae ad verum et

(1) Ibid. pag. 125-128, 136 et 137.
(2) Ibid. pag. 130, 136.
(3) Ibid. pag. 138 et seqq.
(4) Ibid. pag. 135 et 136.
(5) Ibid. pag. 136.

perfectum statum religiosum requiruntur, eadem nihilominus in anachoretis omnium primis, SS. Paulo et Antonio, reperiri putat (1) : quod si consequenter ratiocinatus fuisset, nullos statuisset veros perfectosque religiosos ante S. Pachomium, qui primus *coenobiorum* atque adeo *monastici instituti* fundator ab Antonello habetur (2).

13. Caeterum non importune quis quaesierit num revera, quod Antonellus suspicatur, in id erratum inciderit Cassianus ut *ascetas* cum *monachis coenobitis* confuderit; quod profecto de tali viro, institutionum monasticarum scientissimo earumque incunabulis tam propinquo, haud ita facile est creditu. Sed nobis sufficerit pervidisse rationem qua *monachos* ab *ascetis* discreverit Antonellus : quod ita scilicet facit ut *monachorum* nomen quasi significatu magis proprio tantum usurpari velit de iis qui unum inter se sodalitium sub uno capite communibusque legibus constituunt, quales sunt coenobitae et coenobitico cuidam instituto conjuncti anachoretae; *ascetarum* vero appellatione generatim omnes perfectionis statum amplexos comprehendat. Perspicue id rursus explicat hoc modo (3) : « Quemadmodum priusquam fundarentur virginum monasteria, in Ecclesia Dei puellae virgines fuerunt; ita priusquam exstruerentur monasteria et formarentur monachorum sodalitia, fuerunt ascetae seu continentes, solitarii et exercitati, quibus variis nominibus a Latinis ascetae vocati sunt. Insuper omnes monachi ascetae fuerunt : ideo in antiquis Graecis scriptoribus frequentur monachi ascetae ἀσκηταὶ dicuntur, monasteria asceteria ἀσκητήρια, moniales autem ascetriae ἀσκήτριαι, et monastica vita ascesis ἄσκησις. Non autem e diverso ascetae fuerunt monachi, licet quandoque monazontes et monachi seu solitarii dicti sint. Praeterea ascetae non in monasteriis et cellis conjunctim, vel in eremis et desertis terris, pauperibus casis et habitationibus divisi, sub uno Rectore vel Abbate cui obedientiam voverant, sed seorsum ab aliis hominibus, vel soli in locis solitariis, atque etiam in propriis domibus in suburbanis, in locis urbis infrequentibus et a populari tumultu ac strepitu remotioribus, et quandoque vel duo vel tres vel etiam plures simul habitabant. »

(1) Pag. 8.
(2) Dissert. pag. 111.
(3) Ibid. pag. 136.

14. His explicatis, sistere fortassis possemus, quandoquidem genuina Antonelli mens ex definitionibus ab eo datis satis patet. Sed monentem audimus R. D. Binterim ne in distinctione illa inter *ascetas* et *monachos*, quae quidem videtur esse speciosior, nimium ponamus momentum. Ita videlicet is ait(1): « Quidam *ascetas* a *monachis* distinguunt : verum si quis consideret de ascetis ac monachis quid tradant antiquissimi Ecclesiae scriptores, valde exiguum inter utrosque deprehendere poterit discrimen; imo potius liquet utramque appellationem saepissime eodem significatu usurpari. » Et re quidem vera, ipso testante Antonello, vocem μοναχὸς jam secundo saeculo adhibuit Symmachus, dum versiculum Davidicum : *Qui inhabitare facit unius movis in domo* (2), ita graece reddidit : δίδωσιν οἰκεῖν μοναχοῖς οἰκίαν; quod Eusebius de hominibus segregem et castam vitam professis accipiendum duxit (3). Certissimum pariter est a S. Athanasio, rerum hujusmodi probe gnaro, nomina ἀσκητὴς et μοναχὸς nullo haberi discrimine (4); et S. Hieronymo *monachi* vocabulum esse familiare, non solum ubi de coenobitis et anachoretis loquitur, verum etiam ubi de iis qui Antonello meri sunt *ascetae*, ut Paulinus, Pammachius, Heliodorus, Nepotianus, etc. (5). Idem facile videris apud alios Ecclesiae Patres scriptoresque quarti saeculi; quod nec diffitetur Antonellus, cum et ipse moneat « *ascetas* non modo apud Graecos, sed etiam apud Latinos, praesertim postquam in universo orbe Christiano monasticus Ordo passis manibus exceptus est, saepe *monachos* vocatos fuisse : » quare, ne id suae distinctioni officiat, subdere cogitur (6) : « Revera autem non *monachi*, sed *ascetae* fuerunt, si veris monachis comparentur, quales nostra et omnis aetas praeterita habuit, quales proprie hoc nomine significari solent; » atque hoc identidem repetit (7) ad antiquorum scriptorum dictiones cum nova sua nomenclatura conciliandas. Quod vero maxime notandum est, ea idem ille scriptor de ascetis tradit quae status vere religiosi ante

(1) Loc. cit. pag. 409.
(2) Ps. LXVII, 7.
(3) Comm. in Psalm. apud Montfaucon. Collect. nov. PP. Graec. tom. 1, pag. 348.
(4) In Vita S. Antonii passim, tom. 1 Operum, part. 2, pag. 793 et seqq. edit. Maur.
(5) In Epistolis passim.
(6) Dissert. pag. 137.
(7) Ibid. pag. 110, 111, 139, 150, 166, 175, etc.

quartum saeculum existentiam probare magis videri queat quam improbare.

15. Etenim ascetas vocat « philosophos Christianos, qui terrenis curis ac impedimentis abjectis, et saeculi voluptatibus repudiatis, animos suos Christianae philosophiae juxta coelestia Sacrarum Scripturarum documenta excolendae penitus addicebant (1); ut, corpore in servitutem redacto, mente a mundanarum rerum amore libera, in sancta Dei contemplatione quiescerent, et in terris degentes coelestem beatorum Spirituum vitam imitarentur (2). » Atque adeo statum eorum repraesentat tanquam perfectionis acquirendae statum, non qualiscumque, sed omnimodae; de quo dixerit Originum locutum esse, cum ait (3) : « Si quis se ipsum devoverit Deo, si quis se nullis negotiis saecularibus implicaverit ut ei placeat cui se probavit, si quis separatus est et segregatus a reliquis omnibus canaliter viventibus et mundanis negotiis obligatis, non quaerens ea quae super terram, sed quae in coelis sunt, iste merito sanctus appellatur. Donec enim permixtus est turbis et in multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat solo Deo, neque segregatus a vulgo est, non potest esse sanctus.. Tu ergo, qui haec audis, cui lex divina recitatur, quem ipsius etiam Dei sermo convenit, dicens : *Sancti estote, quia et ego Sanctus sum Dominus Deus vester*, sapienter intellige quae dicuntur, ut sis beatus cum feceris ea. Hoc est enim quod dicitur tibi : Separa te ab omni non solum homine, sed et fratre inquiete ambulante,... separa te a terrenis actibus, separa te a concupiscentia mundi;... esto semotus et segregatus, usibus tantum sacerdotum, tanquam primogenitum animal, mancipatus. Segrega te et secerne tamquam phiala sancta et sancta thuribula, solius templi usibus et Dei ministerio vacans... Esto semotus et segregatus intra templum Dei, tamquam sancta indumenta Pontificis. » Demonstrat porro Antonellus eumdem statum fuisse publicum in Ecclesia, eique addictos viros non secus habitos fuisse ac sacras virgines inter feminas : hinc, sicut virginum coetus sive τάγμα in eo templi latere quod feminis destinatum erat, subsellia occupabat sacrario propiora, perinde ascetas, qui et τάγμα τῶν μοναζόν-

(1) Ibid. pag. 110.
(2) Ibid. pag. 111.
(3) Homil. 11 in Levit., tom. 2 Oper., pag. 247.

τῶν audiebant (1), ex altero latere medios constitisse clerum inter et reliquum fidelem populum, ante quem sub Liturgia sacrae Eucharistiae fiebant participes (2). Adhaec, postquam cum Thomassino asseruit sacrarum virginum alias spontanea vestis fuscae seu pullae tunicae assumptione se Deo obstrinxisse, alias solemniter velum consecrationis ab Episcopo accepisse, utrasque vero tali vestitu castam sanctioremque vitam irrevocabili pacto fuisse professas : « Non dissimilis, inquit (3), fuit ascetarum dedicatio... Ipsius vestis mutatione se Deo devovebant et asceticam vitam profitebantur ; nec deerant qui, solemni prece adhibita, per manus Episcopi Deo dedicabantur. licet hujusmodi ascetae rarissimi essent, quia mos iste, ut videtur, non ubique receptus fuerat; tum etiam quia hujusmodi solemnis dedicatio seu consecratio in iis dumtaxat servaretur qui in ordines ecclesiasticos ab Episcopis adlegebantur. » Deinde recenset plura circa asceticam vestem testimonia ; e quibus simul colligitur eam plerumque pulli seu atri aut fusci coloris fuisse : quod quisque, ait (4), « vel inde etiam facile sibi persuadebit, quod hujusmodi color, non alius, decebat eos qui, mundanis voluptatibus et saecularibus pompis ac deliciis repudiatis, evangelicam humilitatem sequi elegerant et vitam in lacrymis ac moerore transigere, ut de commissis delictis poenitentiam prius agerent quam tremendo aeterni judicis tribunali ad districtam de omnibus rationem reddendam sisterentur. » Quibus demonstratis, repetens quae de ascetarum consecratione antea dixerat : « Hanc autem, inquit (5), solemnem dedicationem aut certe alteram privatam aut utramque S. Jacobus Nisibenus... modo sanctitatem, modo devotionem appellare solet, non moralem virtutem devotionis nomine designans, sed sacram illam actionem seu caeremoniam ac ritum quo quispiam *se Deo devovebat,* sive *privatim* sive *solemniter* id faceret. Ascetas vero *devotos* seu *voto obstrictos* aut *votum habentes* nuncupat. »

16. Tum docet multa de ascetarum secessu et voluntaria paupertate (6) : scilicet eos ut plurimum, quantum liceret, ab

(1) S. Basilius, epist. 199, p. 291 et 292; S. Cyrillus Jerosol., Catech. 4, num. 24, pag. 63, et Catech. 12, num. 33, pag. 180, edit. Maur.

(2) Dissert. pag. 124 et seqq.
(3) Ibid. pag. 138 et 139.
(4) Ibid. pag. 149.
(5) Ibid. pag. 151.
(6) Ibid. pag. 153 et seqq.

hominum frequentia et populari tumultu vixisse segreges in locis solitariis sive intra civitates sive in suburbiis aut agellis; rerumque temporalium curae ita animum subduxisse ut vel ab ipso asceseos suae principio litteraliter exsequerentur consilium Salvatoris : *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus* (1), quod quidem plurimi factitasse leguntur, vel saltem sua bona non aliter retinerent quam caritatis et misericordiae studio : quo sensu S. Hieronymus scripsisse videtur ad S. Paulinum asceticam vitam auspicatum (2) : « Jam non sunt tua quae possides, sed dispensatio tibi credita est »; et ad S. Demetriadem virginem (3) : « Ex eo tempore quo virginitati perpetuae consecrata es, tua non tua sunt, imo vere tua, quia Christi esse coeperunt : quae, avia vivente vel matre, ipsarum arbitrio dispensanda sunt. Sin autem obierint,... facies quod tibi visum fuerit, imo quod Dominus imperarit, scitura nihil te habituram nisi quod in bonis operibus erogaveris. » Indubia autem veterum scriptorum testimonia complura ab Antonello collecta fuere, quibus constat continentiae proposito seu castitatis voto non minus ascetas obstrictos fuisse quam fuere posteriores monachi (4); simulque quam asperis jejuniis, abstinentiis, chameuniis aliisque afflictationibus corpora sua domarent (5). Ac demum ostendit ad ascesim spectasse crebras precationes, manuali labore aut rerum utilium studio, praecipue divinarum, intermixtas, somnos breves, victus vestitusque vilitatem, habitaculum humile, e quo nonnisi pietatis, caritatis aut muneris adimplendi causa exire deceret, aliaque hujusmodi ad hominem mundo crucifigendum Deoque intime conjungendum accommodata (6). Hactenus ergo nihil ex Antonello adduximus quod non aptissime statui vere religioso conveniat. Sed si qua est difficultas, ea tantummodo peti potest e sequenti ejus asserto (7) : « Quoniam ascetis nulla erat lex posita, nulla regula scripta, non unus rector aut magister praepositus, quisque sibi quas aptas putabat leges a se observandas ut plurimum praestituebat. Itaque non una erat omnium ratio

(1) Matth. XIX, 21.
(2) Epist. 58, alias 13, tom. 1 Oper. col. 324.
(3) Epist. 130, alias 8, col. 990 et 991.
(4) Dissert. pag. 167 et seqq.
(5) Ibid. pag. 180 et seqq.
(6) Ibid. pag. 188 et seqq.
(7) Ibid. pag. 188.

aut forma vivendi ; sed quia omnibus evangelicae disciplinae et consiliorum Christi Domini diligens observatio proposita erat, communis quidem cunctis fuit assidua oratio, castissima vita, summa paupertas, et in maxima rerum omnium abstinentia ac mirabili hujus saeculi contemptu secretissima a cunctorum mortalium oculis, quatenus caritatis officia sinebant, solitudo : caetera vero voluntaria et arbitraria erant, et ideo varia et diversa. » At multis videbitur hoc a viro docto dictum esse tantummodo ad excludendam formam coenobiticam, non autem ad denegandum ascetis omnem obedientiae religiosae modum, quem Suarezius explicat varium esse posse in iis qui privatim et sine relatione ad aliquod coenobium statum religiosum assumunt (1) ; cui interpretationi favere possent nonnulla quae in eam rem ipse Antonellus affert. Etenim ex Socrate commemorat (2) S. Paphnutium Episcopum, qui Concilio Nicaeno jam grandaevus interfuit, a pueritia adeoque tertio Ecclesiae saeculo *in asceterio educatum* (3) ; item Auxanonem presbyterum Novatianum quondam ab Eutychiano *eruditum in disciplina ascetica* (4). Laudat S. Antonium (5), qui ipso suae renuntiationis initio, dum, teste S. Athanasio, addiscendarum virtutum ergo antiquiores visitabat monazontes, *sedulis quos adibat fratribus libenter obsequebatur* (6) ; S. Basilium (7), qui, simul ac ascesi dare operam constituisset, nihil antiquius videtur habuisse quam, uti ipse scribit, *invenire aliquem ex fratribus qui hanc vitae viam elegisset* (8) ; et Heraclidam juvenem (9), qui, suscepto asceticae vitae proposito, ad pietatis cursum prosequendum vincendasque animi perturbationes *magno et perito* sibi opus esse arbitrabatur *magistro* (10). Denique ascetis omnibus sedulo curandum fuisse statuit (11) quod auctor epistolae ad Chilonem ascetam inter Basilianas monebat (12) : « Considera per medios te laqueos transire et supra excelsum murum ambulare, ex

(1) Tract. 7, lib. 2, cap. 4 ; lib. 10, cap. 4.
(2) Dissert. pag. 136.
(3) Hist. Eccl. lib. 1, cap. 11, pag. 34, edit. Taurin. 1747.
(4) Ibid. cap. 13, pag. 35.
(5) Dissert. pag. 192 et 193.
(6) In Vita apud S. Athan. p. 797.
(7) Dissert. pag. 193.
(8) Epist. 223, alias 79, pag. 337.
(9) Dissert. pag. 166.
(10) Epist. 150, alias 392, inter Basilianas, pag. 239.
(11) Dissert. pag. 194.
(12) Epist. 42, alias 1, pag. 126.

quo periculosus cadenti lapsus. Quapropter ne statim ad asceseos apicem te intendas, maxime vero ne tibi ipsi confidas, ut ne ob imperitiam ex summo ascetici instituti labaris. » Subjungitque etiam illa (1) ex sermone ascetico de renuntiatione saeculi S. Basilio adscripto desumpta (2) : « Ex quo rebus terrenis remisisti nuntium, jam honorem apud Christum tibi conciliasti ; sed magnopere cura et provide ut virum tuae vitae tutissimum ducem reperias, probe edoctum conducere eos qui ad eum pergunt;... et si quem ejusmodi nanciscare, *omnem tuam voluntatem exspuens et foras projiciens,* huic te ipsum trade, ut quasi vas sincerum inveniaris, qui scilicet eas quae in te infunduntur virtutes ad laudem et gloriam tuam serves. » Post quae in eodem sermone haec quoque leguntur : « Si igitur Dei auxilio repereris... bonorum operum doctorem, observa apud te ipsum ut nihil praeter ejus sententiam peragas. Quidquid enim sine ipso efficitur, *furtum est et sacrilegium,* quod mortem infert, non utilitatem, tametsi tibi videatur esse bonum. »

17. Itaque, dum R. D. Verhoeven fidenter de ascetis asseverat (3) : « Cum... de hac... vitae professione non ea tradita reperiamus quae ad verum et perfectum religionis statum requiruntur, saltem dicendum est ex authenticis et indubitatis documentis non constare ante quartum Ecclesiae saeculum statum istum exstitisse, » haud deerunt qui ejus auctoritatem in hac re recusent : tum quod videant verum religiosum statum ita ab eo definiri ut veros religiosos non agnoscat extra coenobiticum institutum, quae opinio genuinae illius status notioni a theologis passim receptae repugnat ; tum etiam quod appareat ne Antonellianam quidem dissertationem, nedum authentica antiquitatis monumenta satis diligenter ab eo fuisse excussa. Imo secundum haec monumenta cum R. D. Binterim credent veros *monachos* esse eos quos SS. Patres *monachos* appellare non dubitarunt ; pergentque statui religioso vindicare praeclaros illos viros tribus primis Ecclesiae saeculis asceticam vitam professos, qui, ut Antonellus ait (4), « antiquitus non dissimili gradu ac statu fuisse videntur

(1) Dissert. pag. 195.
(2) Oper. S. Basilii, tom. 2, pag. 204 et 205.
(3) Pag. 8.
(4) Dissert. pag. 118.

que in praesens sunt monachi seu viri religiosi : quorum
ios sacris precibus et divinarum rerum meditationi intentos
tam contemplativam agere dicimus ; alios vero, qui, volun-
ria paupertate ac crucis humilitate amplexa, in mediis ho-
inum turbis, oculos in solum Deum conversos ac intentos
ıbentes, praedicando Dei verbo administrandisque Sacra-
entis animisque aegrotis sanandis sanisque conservandis
ligentissimam curam impendunt, vitae activae operam
aebere affirmamus. » Quam ascetarum in duas quasi clas-
s distributionem vir eruditus, adductis pluribus testimoniis
que exemplis, egregie confirmat : et alios quidem θεωρούς,
ὕγους, μοναδικούς, ἐρημικούς, id est, *contemplativos, segre-
s, solitarios, eremicos,* appellatos docet, alios vero πρακτικούς,
αγματικούς, μιγάδες, κοινωνικούς, id est *activos, actuosos, per-
ixtos, sociales,* et omnes communiter *philosophos* (1) : quae
ɔcis hujus significatio ni ob oculos habeatur, saepenumero
:clesiae Patres de *philosophis* ac *philosophia Christiana* dis-
rentes ne intelligere quidem possis.

18. Priori autem classi annumerantur ex apostolico aevo
ri admirabiles illi, inter Apostolorum successores principem
tinentes locum, de quibus Eusebius haec memorat (2) : « Ple-
que ex illius temporis discipulis, quorum animus ardentiori
ilosophiae amore per verbum divinum incensus fuerat, Sal-
toris adhortationem pridem expleverant, divisis inter egen-
s facultatibus suis. Deinde ex patria peregre profecti, opus
iebant Evangelistarum, iis qui fidei sermonem nondum
dierant, Christum praedicare et Sacrorum Evangeliorum
ros tradere satagentes. Hi postquam in remotis quibus-
m regionibus fundamenta fidei jecerant aliosque Pastores
nstituerant et novellae plantationis curam iis commiserant,
contenti ad alias terras ac gentes, comitante Dei gratia
virtute, properabant. Quippe divini Spiritus vis multa per
sdem miracula etiamtum operabatur ; adeo ut ex prima sta-
n auditione universi simul populi Creatoris universorum
ltum animo toto susciperent. » Hosce omnes Eusebius
:larat a se nominatim recenseri non posse, seque eos tan-
n Pastores vel Evangelistas commemoraturum quorum

1) Ibid. pag. 118 et seqq.

(2) Hist. Eccl. lib. 3, cap. 37, pag. 109, edit. Vales. 1659.

scripta adhuc supersunt (1); ac subinde primos nomina S. Clementem Romanum, S. Ignatium Antiochenum, S. Polycarpum Smyrnensem (2) hujusque sodalem Papiam, Joanni auditorem (3) : praemiserat vero etiam Quadratum, « qui cum Philippi filiabus prophetico charismate illustris fuisse fertur (4) » et apologeticum pro fide Christiana librum Hadriano Imperatori obtulit; prout eodem fere tempore fecit quoque Aristides Atheniensis (5), « philosophus eloquentissimus, test S. Hieronymo (6), et sub pristino habitu discipulus Christi. Utrumque hunc Religionis nostrae apologistam ascetarum ca talogo inserit Antonellus (7), una cum S. Justino, qui vel i ipsa urbe Roma segregem duxit vitam (8), atque, ut S. Epipha nius ait (9), » multa virtutum exercitatione perpolitus (μεγάλο ἐξασκηθείς), vitaque ad omnem honestatem instituta, tande pro Christo martyrio perfunctus, perfectissimam coronam adeptus est, » necnon cum Athenagora ac Tertulliano, cele bribus item Apologiarum scriptoribus. Hisce accedit Sera pion ille Antiochenus Patriarcha, cujus, « breves epistola auctoris sui ἀσκήσει et vitae congruentes » a S. Hieronymo lau dantur (10); et S. Pantaenus presbyter, qui praefuit celeb fidelium scholae in urbe Alexandria, ubi, ut idem S. Hieronymu tradit (11), « a Marco Evangelista semper ecclesiastici fuer doctores, » quique, secundum Eusebium (12), « tantum anim ardorem erga verbum Dei ostendisse perhibetur ut Orient nationibus Evangelii Christi praedicator exstiterit, ad ipsa usque Indiam progressus » : neque ille solum, sed « complu res etiamtum erant Evangelistae verbi, qui divina aemulatio apostolici exempli studium suum conferre ad incrementu et aedificationem divini verbi properabant. » Cum Pa taeno Sacris Scripturis exercitus (συνασκούμενος) fuit ejusqu disciplina se eruditum gloriatur Clemens Alexandrinus (13

(1) Ibid.
(2) Ibid. cap. 38, pag. 110.
(3) Ibid. cap. 39, pag. 110 et seqq.
(4) Ibid. cap. 37, pag. 109.
(5) Ibid. lib. 4, cap. 3, pag. 116 et 117.
(6) De viris illust. cap. 20, tom. 2, col. 861.
(7) Dissert. pag. 118.
(8) Ibid. pag. 154, ex Actis apu Ruinart.
(9) Haeres. 46.
(10) De vir. ill. cap. 41, col. 8 et 884.
(11) Ibid. cap. 36, col. 875.
(12) Hist. Eccl. lib. 5, cap. 1 pag. 175.
(13) Ibid. cap. 11, pag. 175 et 17

rigenis magister. Ipsemet vero Origenes non solum asceta-
ım eximius laudator, sed et doctor ac exemplar fuit, prout
ım magno admirationis sensu satis prolixe describit Euse-
us (1), cui adstipulantur S. Gregorius Thaumaturgus, Orige-
is auditor (2), et S. Pamphilus Martyr (3). Porro inter disci-
ılos celeberrimi viri illius primus fuit S. Plutarchus Martyr;
ecundus autem Heraclas, ejusdem Plutarchi frater, qui, ut
usebius refert (4), « cum etiam ipse apud eum plurima *philo-*
phicae vitae et *asceseos* documenta praebuisset, Alexandrino
iscopatu post mortem Demetrii dignus est habitus : »
iibus adjungendi Gregorius Thaumaturgus et Athenodorus
us frater, Caesaream Palaestinae ad audiendum Origenem
rofecti; qui, « cum eos videret Graecis Romanisque disciplii-
s nimium addictos, *philosophiae* amore iis instillato, auctor
it ut priora studia cum divina *ascesi* commutarent (5). »
ırem post hosce laudem promeriti fuere S. Pamphilus pre-
yter et Martyr, « vir toto vitae suae tempore omni virtute
nspicuus, fuga et contemptu saeculi, bonorum in pauperes
ogatione, secularium honorum quos sperare poterat despi-
entia, *philosophica conversatione et ascesi* (6); » S. Pierius,
exandrinae Ecclesiae presbyter, dialecticae et rhetoricae ar-
scientissimus, quem constat, teste S. Hieronymo (7), « mirae
κήσεως et appetitorem voluntariae paupertatis fuisse; »
Lucianus presbyter Antiochenus, vir disertissimus, in Sacra
riptura graece vertenda cum laude versatus, quem *magnum
etam ac Martyrem* vocat auctor Synopseos Sacrae Scripturae
er opera S. Athanasii (8). Addi potest et S. Athanasius ipse-
t (9), sicut et S. Cyprianus, judice Antonello (10), nec non
Jacobus Nisibenus, et, si praeclaram hanc seriem ultra ex-
ndere placeat, SS. Basilius, Gregorius Nazianzenus, Amphi-
hius, Joannes Chrysostomus, Martinus, Paulinus, Augusti-

1) Ibid. lib. 6, cap. 3, pag. 265
06.
2) Orat. paneg. in Origenem, ad
em tomi 4 Operum Origenis,
. 55 et seqq.
3) Apologia pro Orig. ibid.
. 17 et seqq.
4) Hist. Eccl. loc. cit. pag. 204.
(5) Id. ibid. lib. 6, cap. 30, pag.
230.
(6) Id. de Martyribus Palaest.
pag. 336.
(7) De vir. ill. cap. 76, col. 915.
(8) Tom. 2, pag. 204, edit. Maur.
(9) Cfr. Vita ejus, tom. 1 Ope-
rum, pag. III.
(10) Dissert. pag. 155 et 156.

nus, Severus Sulpicius, de quibus, ait Antonellus (1), « contro versia an monachi fuerint nec ne, facile dirimitur, si fuiss dicantur, ut revera fuerunt, ascetae; » ac universim sancti il Episcopi eorumque adjutores, de quibus ita Sozomenus (2) « Qui tunc Ecclesiis praesidebant, omnes propemodum distr ctam inibant vitam. Ex quo factum est ut populi a talibus gu bernati Christi cultui omni studio incumberent ac Religio i dies augeretur, et ardore animi ac virtute admirandisque op ribus Sacerdotum et *ecclesiasticorum philosophorum* gentil ad se alliceret et a graeca superstitione revocaret. » Sa qui viros hactenus enumeratos in verorum religiosorum ce sum referunt, et sic Suarezianae opinioni assentiuntur, q tamquam valde verisimile habetur (3) « numquam a temporib Apostolorum defuisse clericorum religionem, quamvis fortas non semper fuerit ejusdem instituti aut modi particulari quantum ad peculiarem finem intentum et proprium viven modum, » non possunt non longissime abesse a probando m nito R. D. Verhoeven (4) « Ecclesiae mentem esse ut regular in negotiis et officiis ecclesiasticis, quaeque animarum cura saecularium respiciunt, in subsidium tantum et defectum cl saecularis generatim ab Episcopis admittantur. » Quod iidem vel Thomassini principiis, quamquam contra ipsum Th massinum, uti vellent, possent forsitan non infeliciter : qua doquidem ille statuit clericos majorum Ordinum primis E clesiae saeculis, si obedientiae qua Episcopis mancipati era et continentiae ad quam se obstrinxerant, paupertatis volu tariae adjiciebant professionem, eo ipso in vero statu religio constitutos fuisse (5). Sed haec hactenus.

19. Ad *activorum* quoque ascetarum classem partim, ca terum vero ad classem *contemplativorum* pertinuere *Nazar* illi Ecclesiae Caesareensis in Cappadocia, a S. Gregorio N zianzeno laudati (6), quos S. Basilius inibi non instituit, s jam pridem institutos invenit (7); et illa *pars ferventior* Ecc siae Nazianzenae, cujus zelum pro orthodoxa fide ac pra

(1) Ibid. pag. 114 et 137.
(2) Hist. Eccl. lib. 3, cap. 17, pag. 112 et 113, edit. Taurin. 1747.
(3) Tract. 7, lib. 3 cap. 3, num. 7.
(4) Pag. 122.
(5) Op. cit. part. 1, lib. 3, cap. 3, num. 10, pag. 625.
(6) Orat. 18, alias 19, pag. 3 et Orat. 43, alias 20, pag. 793, e Maur. 1778.
(7) Cfr. Vita S. Basilii, tom Oper. pag. LIV.

antissimos mores idem Gregorius Theologus eloquentissime xtollit (1), sicut et commemorat *choros Nazaraeorum* Con-tantinopolitanos (2); et *devoti* illi Armeni pro quorum eru-itione spirituali S. Jacobus Nisibenus suos concinnavit Ser-ones (3); illique inter quos juventutem suam transegisse idetur S. Ephraem, Nisibi vel prope Nisibim natus circa sae-uli quarti initium (4), imo de quibus sub *monachorum* omine agitur in Actis S. Febroniae supra allegatis (5); ecnon veteres illi sive in Syria sive in Mesopotamia *perfecti Patres*, a praedicto S. Ephraem eo nomine commendati quod emel arreptam vivendi normam, alii quadraginta, alii quin-uaginta annos, ad extremum usque spiritum firmiter tenue-int (6), quos, si chronologiam spectes, difficile est inter . Antonii vel S. Hilarionis sequaces referre; item gloriossimi b Eusebio memorati ascetae pariter ac Martyres Palaestinae pphianus (7), Petrus Apselamus (8), Seleucus (9) aliique, ui, « solitarie viventes orationibus, jejuniis caeterisque *scesibus* operam dabant (10);» denique Aegyptii illi *monachi* ui dudum ante S. Antonium, ut Magnus Athanasius testa-ur (11), haud procul a suis vicis asceticam vitam ducebant, uosque Cassianus, uti jam vidimus, continua successione a empore S. Marci Evangelistae repetit (12).

20. Porro omnes hucusque enumerati ascetae vel monachi intne in verorum religiosorum censum referendi necne, ostrum non est decernere. Quod vero propositum nobis fuit, atis praestitisse nobis videmur : nimirum ut ostenderemus aud posse ex Antonelliana dissertatione erui vitam religio-am non fuisse in Ecclesia frequentatam ante quartum saecu-um; id quod tamen ex ea se confecisse autumat R. D. Ver-oeven. Namque, ut cum aliqua rationis specie hoc inde educeretur, necesse foret ut Antonellus nomine *monastici*

(1) Orat. 6, alias 12, pag. 178 et eqq.; Orat. 19, alias 9, pag. 374.
(2) Orat. 42, alias 32, pag. 767.
(3) Serm. 6, pag. 203 et seqq.
(4) Sozomenus, Hist. eccl. lib. 3, ap. 16.
(5) Supra, pag. 47 et 48.
(6) Serm. ascet., tom. 1 Operum raeco-latin., pag. 42, edit. Rom.
(7) De Mart. Palaest. cap. 4, pag. 323.
(8) Ibid. cap. 10, pag. 333.
(9) Ibid. cap. 11, pag. 340.
(10) Ibid. cap. 13, pag. 344.
(11) In Vita S. Antonii, tom. 1 Oper. pag. 796.
(12) Vide supra, pag. 49.

instituti omnem omnino vitae religiosae formam designasset is autem hoc nomine solummodo intellexit vitam coenobiticam, ac proinde ab eo haud elisa fuere rationum momenta quibus illi scriptores nituntur qui existimant, sin minus coenobitas, saltem aliud quoddam religiosorum genus ante annum trecentesimum exstitisse. Praeterea Antonello coenobitas S. Pachomio vetustiores non agnoscenti opponitur Cassiani auctoritas, qui, ut supra vidimus (1), coenobitas pronuntiat fuisse antiquissimum monachorum genus, necnon authentica S. Febroniae Acta, jam pridem a nobis invocata (2), quae non solum moniales in communi habitaculo regulariter viventes verum etiam monachos sub Archimandrita sive superiore regulari constitutos ante saeculum quartum in Mesopotamia fuisse, adeoque verum perfectumque statum religiosum jam tum in utroque sexu in ea regione floruisse, luculenter demonstrant. Dolendum sane est paucos hactenus scriptores ac vitae religiosae originem explicandam usos esse Actis illis, quae, ut nobis quidem videtur, evidenter contra Thomassinum ejusque sequaces evincunt non posse ullo modo S. Paulum Eremitam et S. Antonium haberi ut vitae monasticae auctores.

21. Sed operae pretium est Vitam S. Antonii ab Athanasio scriptam paulo accuratius inspicere et cum S. Hieronymi scriptis conferre, ut tollantur aliquando praestigiae illae quas multorum oculis offudit Thomassinus, detortis perperam ad sua placita Hieronymianis sententiis. Narrat S. Patriarcha Alexandrinus Antonium anno aetatis suae circiter vigesimo, quem eruditi putant fuisse annum Christi 270, exemplo Apostolorum et primorum Ecclesiae Jerosolymitanae fidelium, verbisque evangelicis, quae forte in Ecclesia audierat, permotum, avitis possessionibus se exuisse, et cum sororem virginibus notis ac fidelibus commendasset. et *parthenoni*, ubi educaretur, tradidisset, non procul a domo sua *ascesi* operam dare coepisse (3). « Nondum enim, inquit, tam crebra erant in Aegypto *monasteria*, neque ullus omnino *monachus* noverat *vastam eremum;* sed quisquis sibi vacare cuperet, is haud procul a suo vico solitarie se exercebat. » Tum refert quo

(1) Supra pag. 49.
(2) Supra, pag. 47 et 48.
(3) Loc. cit. pag. 795 et 796.

udio sanctus juvenis antiquiorum asceteria obiret, qua con-
ntione virtutes omnes ab iis addiscere eosque in bono aemu-
ri conaretur, quam tenere omnes, alii quidem ut filium.
ii vero ut fratrem, cum diligerent (1) : quae omnia pro-
cto ostendunt *ascetas* illos sive *monachos* (nam sanctus bio-
·aphus promiscue adhibet utrumque nomen), sin minus
ıbitaculis, saltem animis et communibus studiis fuisse con-
ınctissimos. Narrat dein Antonium, jam pluries debellato
ıcodaemone, in sepulcrum secessisse a vico suo remotius;
ıo secessu metum incussum fuisse inferno hosti, ne ille
·evi *eremum ascesi impleret* : dehinc (circa annum 285)
·ogressum eum fuisse in montem, ibique reperisse castellum
:sertum; in quo viginti prope annos habitavit ascesim agens,
s solummodo singulis annis panes ad sex menses per super-
ım domicilii sui partem accipiens, nec nisi raro visus ab
iquo (2).

22. « Tandem, ait Athanasius (3), cupientibus multis ascesim
us imitari, aliisque familiaribus accedentibus, vi confractis
: depulsis foribus, exit Antonius tanquam ex adyto quodam
itiatus ac numine correptus; et tunc primum extra castel-
m visus est ab adventantibus... Multos porro eorum qui
lerant, mala valetudine affectos, Dominus per eum sanavit,
alios a daemonibus purgavit. Gratiam quoque sermonis
ıbat Antonio... Cumque inter loquendum et hortandum
tura memorabat bona necnon Dei erga nos amorem, *qui*
·oprio *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit*
lum, multis persuasit ut *solitariam* eligerent vitam; atque
ı demum facta sunt *etiam in montibus monasteria* et *eremus*
ıbitata est a *monachis,* qui, rebus suis relictis, coelesti insti-
ıto nomen dabant . » Haec circa annum 305 gesta sunt.
uae si ita accipiantur uti ab Athanasio, teste perquam
oneo, commemorantur, nihil plane in iis est ex quo vel
ıspicari liceat hic tandem figendum esse vitae religiosae
el etiam monasticae initium. Etenim quid aliud hactenus
Doctor asseruit, nisi illam esse singularem Antonii glo-
am, non quod prima monasteria ipse excitaverit, sed quod
onasticam vitam, quae ante prope habitata ab hominibus

(1) Ibid. pag. 796, 797 et 798.
(2) Ibid. pag. 798-807.
(3) Ibid. pag. 807 et 808.

loca se continuerat, primus inceperit in *montibus et eren* exercere, aliosque exemplo et adhortationibus ad idem vit propositum pertraxerit?

Non aliter S. Athanasium interpretatus fuit Bollandus, Commentario praevio ad S. Antonii Vitam ita loquens (1) « S. Athanasius... ante S. Antonii conversionem ad vita monasticam seu anachoreticam, quae... contigit circiter a num Christi 270, agnoscit in Aegypto fuisse monasteria, tum erant cum scriberet post annum Christi 360, etsi no tam crebra; et anachoretas fuisse, sed qui non longe a s villula instuebantur, *aviam nondum penetrantes solitud nem.* » Ubi tamen pro *anachoreta* et *vita anachoreti* melius Bollandus dixisset *ascetam* et *vitam asceticam;* veru hic vocum minus rectus usus sententiam ipsius et nostram Athanasianae narrationis interpretatione non evertit. Eamde dein argumento aliunde petito sic confirmat : « Auctor Vit. S. Pachomii antiquus, interprete Dionysio Exiguo, scril ante Antonium monachos fuisse, sed comparatione saecu 4 et 5 infrequentes : « Paucissimi sane tunc (loquitur » S. Antonio) adhuc per Aegyptum et Thebaidem mona » esse ferebantur. Post persecutionem namque Diocletia » et Maximiani crudelium principum multitudo gentiu » intravit, sicut divinitus praeordinatum est, et fecundit » Ecclesiae fructus uberrimos coepit exhibere, etc.. » La datum a Bollando Vitae S. Pachomii scriptorem Papebr chius supparis aevi monachum fuisse demonstrat (2); ejusq opus graeca originali lingua ex vetustis MSS. codicib edidit (3) cum nova versione latina a Daniele Cardono ado nata (4), in qua citatus a Bollando textus ita sonat (5): « Cun que elapsis retro temporibus non ita multi in Aegypto mon sticen essent professi, post motam a Diocletiano et Maximia persecutionem poenitentia gentium ad summum perducta e in Ecclesia Dei, etc. »

Idem quod Bollandus, in Athanasio vidit Tillemontius (6

(1) Acta SS. Januar. tom. 2, pag. 109.

(2) Acta SS. Maji, tom. 3, pag. 287.

(3) Ibid. pag. 25 et seqq. ad calcem tomi.

(4) Ibid. pag. 295 et seqq.

(5) Ibid. pag. 296.

(6) Mémoires pour servir à l'hi eccl., tom. 7, pag. 109, edit. 17

:m Natalis Alexander (1), atque, ut pluribus nominandis persedeamus, ipse coaevus Evagrius, qui, Athanasio forsan huc superstite, Vitam S. Antonii ab eo conscriptam latinite donavit (2), in Sanctissimi Praesulis verbis antea a nobis citatis, non monasticae vitae ortum, sed *habitandae eremi ordium* deprehendit (3).

23. Nec nobis officit S. Hieronymus, quin potius nostrae ntentiae favet, dum S. Athanasii assertionem ex parte rrigens, ait (4) : « Inter multos saepe dubitatum est a quo tissimum monachorum eremus habitari coepta sit. Quidam iim altius repetentes ab Elia et Joanne sumpsere principium; iorum Elias plus nobis videtur fuisse quam monachus, et annes ante prophetare coepisse quam natus sit. Alii autem, quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antoum hujus propositi caput; quod ex parte verum est : non iim tam ipse ante omnes fuit quam ab eo omnium incitata int studia. Amathas vero et Macarius, discipuli Antonii, e iibus superior magistri corpus sepelivit, etiam nunc affirant Paulum quemdam Thebaeum principem istius rei fuisse, on nominis : quam opinionem nos quoque probamus.. Igitur, uia de Antonio tam graeco quam romano stylo diligenter meioriae traditum est, pauca de Pauli principio et fine scribere isposui, magis quia res omissa erat quam fretus ingenio. » eutiquam ergo quaestio erat quisnam fuisset primus monahus; verum dubitabatur quisnam inter monachos primus *ere-um* incoluisset. Vulgo is putabatur fuisse Antonius, cujus res estae per graecam Athanasii scriptionem et Evagrii versioem latinam Occidenti innotuerant. At S. Hieronymus, melius doctus, S. Paulum Thebaeum, de quo S. Athanasius siluerat, rimas in adeunda eremo Antonio praeripuisse asseverat.

24. Lusit ergo Thomassimus aut lusus fuit, quando illa de rigine vitae monasticae in chartam conjecit (5) : « Quod ad riginem spectat monasteriorum, jam praesumptum illud nimo est et omnino exploratum, non potuisse ea ante Eccleiae pacem imperio Constantini partam efflorescere. Detonuis-

(1) Hist. eccl. saec. 4, cap. 5, t. 9, pag. 261.

(2) Cfr. Monitum editorum, m. 1 Op. S. Athan. part. 2, pag. 91.

(3) Op. S. Athan. tom. cit. p. 808.

(4) Vita S. Pauli Erem., tom. 2 Operum, col. 1, 2 et 3.

(5) Op. cit. part. 1, lib. 3, cap. 12, num. 1, pag. 663 et 664.

set persecutionum crebra tempestas in haec Christianae p
tatis sacraria; utque eorum originem siluisset Historia, n
tacuisset certe ruinam. Cogimur ergo confiteri cum Hier
nymo et antiquis Patribus Ecclesiae, incunabula monastici
stituti in ipsis Constantini imperii primordiis collocanda es
Paulus, Antonius, Hilarion sanctissimae institutionis hu
parentes satoresque fuere in Aegypto et Palaestina : hinc i
velut gratiarum et coelestium virtutum torrens in orbem u
versum dimanavit. Versat eam quaestionem Hieronymus
antiquitate vitae monasticae initio Vitae B. Pauli, illam
diffinit secundum eumdem beatissimum Paulum et Antoniu
quorum ille tam praeclari propositi fundamenta jecit, hic
incrementa et ornamenta adjicit plurima. » Recitatisque qu
jam supra legimus S. Hieronymi verbis, illa adjicit : « Ver
sime ergo monachorum seu solitariorum primus fuit Paulu
sed cum propositi sui alumnos et imitatores finxisset nulle
ad Antonium rediit gloria tam sanctae professionis et anti
patae in terris coelitum vitae, non institutae tantum, sed
latissime propagatae. » Sed et aliud exstat S. Hieronym
testimonium, quo Thomassinus non minus inepte utitur. N
mirum S. Doctor, ad S. Eustochium virginem scribens, t
dicit esse in Aegypto genera monachorum. « Unum, inquit (1
coenobitae, quod illi *Sauses* gentili lingua vocant, nos *in co*
mune viventes possumus appellare. Secundum *anachoretae,* q
soli habitant per deserta, et ab eo quod procul ab hominib
recesserint, nuncupantur. Tertium genus est quod *Remobo*
dicunt, deterrimum atque neglectum, et quod in nostra pr
vincia aut solum aut primum est. Hi bini vel terni nec mul
plures simul habitant, suo arbitratu ac ditione viventes; et
eo quod laboraverint, in medium partes conferunt, ut habea
alimenta communia. Habitant autem quam plurimum in u
bibus aut castellis; et quasi ars sit sancta, non vita, quidqu
vendiderint, majoris est pretii. » Ac tertii quidem generis m
nachos, qui ascetae a professione sua degeneres videntur fuis
propter mores dissolutos ut pestes quasdam habendas pronu
tiat. Coenobitas vero, descripta longius eorum vivendi ration
impense dilaudat : « Tales, ajens (2), Philo Platonici sermo

(1) Epist. 22, tom. 2 Oper. col. 118 et 119.

(2) Ibid. col. 120.

itator, tales Josephus graecus Livius, in secunda Judaicae ptivitatis historia, Essenos refert. » Tandem dicit (1): « Ad rtium genus veniam, quos anachoretas vocant, qui et de coe- biis exeuntes, excepto pane et sale, ad deserta nihil perferunt plius. Hujus vitae auctor Paulus, illustrator Antonius, et, ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista fuit. lem vero virum Jeremias quoque Propheta describit, di- us : *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia a. Sedebit solitarius et tacebit, quoniam sustulit super se ju- m, et dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobriis, ia non in sempiternum abjiciet Dominus.* Horum laborem conversationem in carne non carnis alio tempore, si volue- , explicabo. » Jam vero Thomassinus, nequaquam atten- ns postrema haec de *solis* dici *anachoretis,* ad *coenobitas* vero *os* referri illam cum Essenis comparationem, de *utrisque* njunctim, nescio an etiam de pravis illis *Remoboth,* S. Docto- n loqui ita asseverat (2) : « Hieronymus... cum... Aegypti onachorum vitam et exercitia subjecisset oculis, statim addit ulum et Antonium ejus instituti authores principesque fuisse, esque olim fuisse Joannem Baptistam, Eliam, Jeremiam, tales senos, quorum vivendi stupendam rationem Philo et Josephus iptis consignarunt. Author Paulus, illustrator Antonius non sset ejus professionis quae ad summum perfectionis culmen ovecta fuisset a tot aliis incomparabilis gloriae et sanctitatis is, pluribus ante saeculis. Unum ergo vult Hieronymus, has easdem virtutes praecisse et praeluxisse Joannem Ba- stam Eliamque et alios, et quasi lineamenta quaedam ru- duxisse operis tam splendidi. *Tales Philo Platonici ser- nis imitator, tales Josephus graecus Livius, in secunda daicae captivitatis historia, Essenos refert. Hujus vitae auctor ulus, illustrator Antonius, et, ut ad superiora conscendam, nceps Joannes Baptista fuit. Talem virum Jeremias descri-* , etc. » Quis hic non videat, quae apud S. Hieronymum juncta et clare distincta sunt, a Thomassino conjungi et ufundi? Quos auctorem atque illustratorem vitae *anacho- icae* praedicat Hieronymus Paulum et Antonium, dum de *nobiticae* vitae auctore ne verbulum habet quidem, eos omassinus pronuntiat omnium monachorum primos. Verba

(1) Ibid. col. 121. (2) Loc. cit. num. 12, pag. 665.

Jeremiae Prophetae anachoretis applicat S. Doctor, et Th massinus hoc ita intelligit quasi diceret Hieronymus tal fuisse Jeremiam quales sunt non solum anachoretae, sed omnes universim monachi. Haudquaquam igitur e S. Hier nymo confecit scriptor ille quod ex eo se confecisse gloriat nempe vitam monasticam non potuisse ante Ecclesiae pac imperio Constantini partam efflorescere, sed a SS. Paulo Antonio originem accepisse : ubi praeterea a vero aberr quantum ad Constantinum Magnum pertinet, qui anno ta tum 306 creatus fuit Imperator (1) et sexto post anno prin in favorem Ecclesiarum constitutiones emisit (2); quo te pore anachoreticum S. Antonii institutum jam evaserat fl rentissimum, licet interim Maximini persecutio Alexandri saeviisset, sub qua ad martyrii palmam cum suis monac frustra Sanctus contenderat (3).

25. Diximus *anachoreticum S. Antonii institutum :* na quantumvis connitaris, numquam ex Vita ejus a S. Athana scripta extuderis eum instituisse vitam *coenobiticam* prop dictam, talem scilicet quae multos monachos in unum col geret domicilium, ubi modo aliquo stabili sub uno rect legibusque communibus commorarentur. Quocirca non sa recta videtur Holstenii opinio (4) a R. D. Verhoeven desc pta, secundum quam SS. Pauli et Antonii « exemplis d genera monachorum informantur, alterum eremitaru seorsim sine arbitro degentium, coenobitarum alterum, domo communi conviventium. » Quippe potius dixerim utrumque Sanctum eremitis deputandum esse, quae est S. Hieronymi (5) et Cassiani (6) sententia. Unde pariter hac re errasse videtur P. Hélyot (7), a quo caeterum mult doctorum virorum de origine vitae religiosae hallucinatio atque antilogiae non male suggillantur. Nec tamen arbitr mur ab eremo S. Antonii abfuisse omnem plurium monach rum in uno asceterio commorationem; sed contra usuveni ut qui anachoresim auspicabantur, seniori alicui, a quo p

(1) Cfr. Baronius ad ann. 306, num. 14 et seqq.

(2) Cfr. Id. ad ann. 312.

(3) S. Athanasius, loc. cit. pag. 831.

(4) Codex regularum, tom. 1, Praef. pag. IX, edit. Brockie.

(5) Vide supra, pag. 69.

(6) Coll. 18, cap. 6, pag. 520.

(7) Op. cit. dissert. praelim. § pag. 37 et seqq.

militatis et obedientiae exercitationem in via perfectionis stituerentur, aliquamdiu se addicerent. Quo pacto per enses aliquot a S. Antonio exercitatum fuisse legimus Paulum cognomento Simplicem; donec sanctus Pater, mpertam habens insignem alumni sui animae puritatem, llam ei fecit aliquantum a sua cella dissitam : « Ecce, quiens (1), Christi virtute opem ferente, factus es monachus : ane deinceps seorsum, ut etiam facias periculum daemo- im. » Et S. Athanasius refert se non modico tempore ud Antonium fuisse eique manus lavanti aquam affu- sse (2) : quod editores Benedictini operum Athanasianorum itant fuisse tirocinium vitae asceticae a S. Doctore inde ab lolescentia cultae (3). Pariter S. Hilarion, cum e Palaestina rrexisset in eremum in qua S. Antonius degebat, « statim ut im vidit, mutato pristino habitu, duobus fere mensibus xta eum mansit, contemplans ordinem vitae ejus morumque avitatem » (4); deinde reversus in patriam, fundator et uditor ejusdem conversationis et studii in sua provincia it (5). Verum hic mos asceseos sub aliquo magistro addi- endae nonne idem erat quem ipse S. Antonius in juventute ia observarat? Quemadmodum eum quoque observavit S. Pa- omius, quando post suam ad fidem conversionem, suscepto x Baptismate, monasticae vitae desiderio incensus, Palaemo- em anachoretam adiit, ut ei se socium adjungeret; cumque res ejus pulsaret et monachum esse se velle diceret, nec roposito a sene vitae asceticae molestiis terreretur, tandem eo admissus et *monachi habitu* indutus fuit : mox vero in irtutibus omnigenis, et nominatim in patientia et *obedientia*, ntum profecit ut magno gaudio perfunderetur Palaemon, *alutem ejus in tuto collocari videns;* ubi contra alius frater, ui deinde venerat ut habitaret cum eis, diabolica tentatione eceptus misere cecidit, eo quod nimium arrogans Palaemo- em *recta omnia monentem audire noluerat* (6). Quae narratio Vita S. Pachomii desumpta eo forsitan majoris est momenti

(1) Acta SS. Martii, tom. 1, g. 647.
(2) Prolog. Vitae S. Antonii, loc. t. pag. 794.
(3) In Vita S. Athanasii, tom. 1 per. pag. III.
(4) S. Hieronymus, Vita S. Hilarionis, tom. 2 Oper. col. 14 et 15.
(5) Ibid. col. 20.
(6) Acta SS. Maji, tom. 3, pag. 297 et 298.

quod nullum apparet cujusquam inter S. Antonium et l
laemonem conjunctionis indicium; ut proin valde dubium
utrum hic inter illius discipulos ulla ratione numerari poss
Si autem S. Antonium non noverit, unde ei vitae monastic
ducendae et veste monachali utendi et tirones ad eam adm
tendi idea? Dicant qui pro explorato habent S. Antonium es
illius vitae auctorem.

26. Qui vero vitae quam *coenobiticam* dicimus, nativa
formam circa saeculi quarti initium in Aegypto quaesierit, n
apud S. Antonium, uti jam monebamus, sed apud S. Pach
mium eam inveniet. Hic nimirum Tabennae primum « jux
praeceptum Dei et Angeli, qui ob hanc ipsam institutionem mi
sus venerat, » ut loquitur S. Hieronymus (1), discipulos congr
gare et in contubernia distribuere, iisque regulam praescribe
atque oeconomos et praefectos horumque secundos designar
qui spiritalem et corporalem fratrum curam sub uno om
nium praeposito gererent, orsus est; deinde eamdem disc
plinam ad sex alias mansiones extendit tanto cum success
ut ante obitum suum tria monachorum millia viderit sub su
moderamine constituta (2). Caeterum non est quod de ha
vitae religiosae forma a S. Pachomio in Aegypto introduct
vel, ut aliis placet, instaurata, multis disseramus. Dicere su
ficiat eam magno plausu, propter innumeras suas utilita
tes (3), inter monachos fuisse receptam, ac labente tempor
tam in Oriente quam in Occidente passim ab omnibus fr
quentatam : adeo ut plerumque nemo jam anachoreta fier
nisi qui prius coenobitam satis diu egisset, atque ex anach
retis multi, quo securius animarum suarum saluti ac per
fectioni vacarent, non raro ad coenobia irent vel rediren
Verum, ut illud hic denuo repetamus, nullatenus inde dedu
debet veros perfectosque religiosos esse nequivisse eos qu
coenobiorum limina numquam triverant; quamquam id sil
persuasisse videatur R. D. Verhoeven.

Hactenus de vitae religiosae origine. De ejusdem vero pro
pagatione, quam declarat *salutarem,* non duxit R. D. Professo

(1) Praefat. in Regul. S. Pachomii, tom. 2 Oper., col. 53.

(2) Acta SS. Maji, tom. cit. pag. 294.

(3) Cfr. Cassianus, Collat. 19, cap. 5 et seqq., pag. 535 et seqq
S. Basilius, Regul. fus. tract. r
spons. 7, tom. 2 Oper., pag. 345
seqq.

i esse agendum, « quod ea, inquit (1), parum aut nihil ad
n nostram refert. »Quare nos etiam de ea tacere constitui-
us : quamquam nonnulla haberemus afferenda quae argue-
nt, contra R. Domini pronuntiatum, eam non nihil nec
rum ad rem nostram facere. Locus enim daretur expli-
ndi quid quarto v. g. saeculo SS. Athanasius, Basilius,
egorius, Joannes Chrysostomus inter Orientales Patres,
id item in Ecclesia Latina SS. Eusebius Vercellensis, Am-
osius, Hieronymus, Paulinus, Augustinus aliique de statu
igioso censuerint, quid pro eo illustrando, commendando,
omovendo, voce, scriptis, ope omni praestiterint; atque ita
rro loquendum foret de sanctissimis Pontificibus aliisque
tholicae Ecclesiae heroibus subsequentium saeculorum.
rum, uti duximus, ac ne in immensum excrescat labor
ster, studioso lectori de his inquirendi provinciam relin-
imus.

(1) Pag. 9.

CAPUT TERTIUM.

DE BONO STATUS RELIGIOSI.

Suppletur omissioni R. D. Verhoeven de fine religiosorum Ordinum.
Utilitates vitae religiosae.
Dignitas et jucunditas vitae religiosae.
Status religiosus non extensive tantum, ut vult R. D. Verhoeven, sed etiam intensive perfectior est statu vitae communis Christianorum.
Consilia esse perfectiora praeceptis ostenditur contra R. D. Verhoeven, ex SS. Patribus.
Confirmatur idem ex Concilio Tridentino, et affertur in hanc rem sententia S. Facultatis Theologicae Parisiensis.
Bellarmini consilia evangelica adversus Melanchthonem defendentis doctrina.

1. R. D. Professor, postquam satis se dixisse putavit ut monstraret statum religiosum non esse divinae institutionis,

deinde profitetur eum medium aptissimum esse ad attinge
dam perfectionem quam Christus commendavit (1) : que
admodum jam ante declaravit (2)« finem seu scopum omni
religiosorum Ordinum in Ecclesia semper fuisse, ut homi
qui hoc vitae genus amplecterentur, ad Christianam per
ctionem tenderent. » Verum, quamvis haec omnia dicta
se bona sunt, attamen haud satisfaciunt exspectationi qua
lectoribus suis fecerat, quando promittebat se *indagatur*
scopum seu finem ob quem religiosi Ordines in Ecclesia co
stituti sunt (3). Quamobrem *omissioni* ejus quadamtenus su
pleturi, pauca ex Suarezio allegabimus; qui, postquam di
statum religiosum pro fine intrinseco et proximo habere po
fectionem caritatis hujus vitae, pro fine remoto et extrinse
perfectionem caritatis patriae, in hunc modum sermone
prosequitur (4) : « Sub perfectione autem caritatis non solu
Dei, sed etiam proximi amorem comprehendimus... Et id
non repugnat statui religioso, imo est illi *maxime consent*
neum, non tantum ad Dei cultum, sed etiam *ad proximi sal*
tem et ad opera misericordiae ordinari; ut constat ex pluriu
Religionum institutis, praesertim vero Societatis nostrae,
qua in Bullis Pontificiis Pauli III et Julii III dicitur ad hu
potissimum finem institutam ut salutem animarum intenda
Nec hic finis a scopo propriae perfectionis est alienus ; qu
procurando aliorum salutem maxime perficitur qui tali mi
neri incumbit : nam per illud divinam gloriam potissimu
quaerere debet; ita ut ipsa misericordia erga proximum v
sit ad majorem unionem cum Deo, ut in praedictis Bul
dicitur. » Haec Suarezii doctrina si vera est, uti certi
sime est, obscurum esse nequit Ecclesiae mentem esse
regularibus illorum Ordinum qui ad proximi salutem pr
curandam, tamquam ad rem statui religioso maxime conse
taneam, sunt ordinati, *via illa ad majorem unionem cum D*
non praecludatur : quam tamen generatim iis praeclusa
idque quasi ex Ecclesiae mente, vellet R. D. Verhoeven (5
Jam vero tales Ordines in Dei Ecclesia non paucos esse m
minerit : nempe plures Religiones *canonicorum regulariu*

(1) Pag. 10.
(2) Pag. 3.
(3) Pag. 1.
(4) Tr. 7, lib. 2, cap. 1, num.
(5) Pag. 122.

m *clericorum regularium,* necnon Ordines quos vocamus *ndicantes*; qui omnes eo praecipue a *monachis* stricte dictis tinguuntur, quod illi ex instituto suo ab Ecclesia admisso approbato profitentur statum *vitae mixtae* ex contempla- ne et spirituali actione, praesertim circa proximum, dum *tus monachalis* stricto sensu acceptus de se *contemplativus* (1) : *de se,* inquam ; nam et monachi proprie dicti actio- n spiritualem cum contemplatione conjungere possunt, uti n solum nunc plurimi faciunt, verum etiam fecerunt anti- itus, et quanto cum successu ! Sed de hoc alibi latius.

2. Quare autem verus status religiosus ad attingendam fectionem medium sit aptissimum, ita R. D. Professor ex- cat (2) : « Ad perficiendam enim rem arduam toto vitae tem- e, cui corrupta hominis natura continuo resistit, multum ant certa vitae norma, certa officia et exercitia huic fini equendo accommodata ; multum juvat, ut in communitate istituti homines alii aliis exemplis praeluceant, et defi- ntem subinde fratris animum mutua exhortatione ad vir- is studium excitare possint. » Ad haec non repetemus od antea annotavimus (3), falli R. D. Professorem in eo od verum statum religiosum nusquam agnoscat existere se nisi in communitate. Solummodo hic lectores animad- tant quam parum vitam religiosam ille norit qui vix plures m duas in ea utilitates deprehendere potuit, atque in his illam quidem collocavit quam vota substantialia religionis pte natura secum afferunt, nimirum remotionem omnium edimentorum perfectionis (4). O si jejunis ejus phrasibus ammata Sanctorum de statu religioso loquentium verba adverso opponeremus! Ingens profecto describendum et volumen. Composuit P. Hieronymus Platus, Societatis u sacerdos, libros tres non medicos de Bono status reli- si, doctos pariter ac pios : quorum primus per quadraginta gra capita, testimoniis Sanctorum referta, in utilitate us status commendanda versatur, nec pauciores quam inti tres religionis fructus exponit; duo vero alii libri ue abundanter agunt de ejusdem dignitate ac jucunditate.

1) Cfr. Suarez, tract. 9, lib. 1, 5-9.
2) Pag. 10.
(3) Supra, pag. 10.
(4) Vide supra, pag. 3 et 4.

Docet ibi religiosum statum utilissimum esse, non solu propter duas illas quas R. D. Verhoeven allegat ration verum etiam propter remissionem peccatorum, quae profe sioni religiosae ex multorum non inani sententia annectitu propter vitae austerioris et poenitentiae exercitium, prop semotam magis peccatorum materiam, propter commoditat vacandi Deo, divinam voluntatem in omnibus exsequen facilius observandi praecepta divina, colendi humilitat cunctasque addiscendi virtutes; ad quae accedunt uberior i fluxus divinae gratiae, uberius meritum ex vi status, uberi auxilia ex ductu superiorum, ex mutua in omnibus rebus c et bonorum operum communione quae inter membra ejusd corporis religiosi exsistit; accedunt fructus singularis ex vi culo votorum, peculiaris Dei cura erga homines sibi peni devotos, quorum preces etiam facilius exaudit, speciale nique Deiparae Matris pro iis patrocinium; atque his o nibus coronidem imponit magna divinae praedestinatio fiducia et mortis securae atque tranquillae exspectatio.

3. Item ibi docet quantae sit praestantiae contemptus rer temporalium per paupertatem voluntariam, abjectio corpor rum voluptatum etiam licitarum per votum castitatis, ipsius continua abnegatio per obedientiam; quantae sit gnitatis per religiosam professionem fieri Christo simile fieri Martyribus aequalem, sin minus acerbitate cruciatuu certe diuturnitate tolerantiae, effici templum Dei, in quo p petuum Majestati ejus offeratur holocaustum; quantae glor sit consortem esse tot millies millium Dei electorum qu status religiosus coelo intulit, quique, dum in terris deg rent, omnigenis virtutibus et praeclarissimis laboribus divino obsequio fortiter susceptis Ecclesiam amplificarunt illustrarunt. Docet ibi tandem vitam religiosam esse *rem duam* quidem *corruptae hominis naturae,* sed hominibus bon voluntatis facilem fieri per gratiam, quemadmodum Salvat ait : *Jugum enim meum suave est et onus meum leve* (1); qu et delectabilem valde illam esse, quia caret saecularibus n lestiis, quia animi cupiditates mortificat, quia Deo summo Bo hominem arctius conjungit, quia homines *habitare facit un moris in domo* (2), de quibus canit Psalmista : *Ecce, qu*

(1) Matth. xi, 30. (2) Ps. lxvii, 7.

num et quam jucundum habitare fratres in unum (1)! verbo, ia secundum Domini Jesu sponsionem *centuplum* affert vel hac vita mortali, et promissionem habet mercedis magnæ nis in perpetuas aeternitates. En multa, nec tamen omnia, ae Platus egregie non exiguo volumine explanat (2).

4. At haec non attendisse R. D. Professorem utcumque to-abile est. Tolerari vero nequit quod antea de statu perfe-onis ex Halliero descripsit, quodque refutare hactenus distu-nus, ne orationis nostrae seriem nimis interrumperemus. t nimirum (3): « Status iste perfectionis dicitur, non ideo idem quod consilia perfectiora sint praeceptis divinis; l quod praecepta Dei simul et consilia in eo observentur; nsiliorum enim et praeceptorum observatio nobilior et per-ctior est sola praeceptorum observatione. » Cujus asserti tionem hanc subdit Hallierus, ab adversario nostro subin-lectam (4) : « Quippe cum bonum bono additum reddat totum elius. » Imprimis proinde videtur docere R. D. Verhoeven od saeculo decimo quinto docebant nonnulli religiosorum stes, quos in celebri suo Doctrinali antiquitatum fidei ca-olicae Ecclesiae contra Wiclefitas refellit Thomas Walden-, quando agit de eminentia perfectionis evangelicae reli-onis Christi, id est, status religiosi, supra religionem ejus lgarem, id est, statum communem Christianorum. Ait ille (5) : Dilapidator domus Ecclesiae, ut citius domum Christi sub-at, murum hunc et arcem ejus perfectionis declinat; et cit sine verecundia qualicumque religionem Christi peculia-m, virorum scilicet perfectorum, non esse majoris perfe-ionis quam sit communiter in fide Christi viventium religio pularis. Et sic dicentes trifariam dividuntur. Dicunt quidam n simpliciter quod non sit majoris perfectionis *intensive*, ilicet altioris gradus in bonitate morali, sed bene *extensive*, od est pluries bona, propter additionem plurium bonorum mandata Decalogi. Dicunt alii religionem vulgarem esse acumque religione peculiari simpliciter meliorem et essen-liter perfectiorem... Sed et tertius dicit religionem Christi

(1) Ps. CXXXII, 1.
(2) Editio Trevirensis anni 1593 postrema auctoris recognitione bet 703 paginas in-4°.
(3) Pag. 4.
(4) Defens. eccl. hier. lib. 4, cap. 8, § 2, num. 14.
(5) Doctrinal. lib. 3, art. 2, cap. 11, num. 2, col. 736, edit. Venet. 1757.

vulgarem esse perfectissimam, et omnem religionem pecul rem esse prophanam... Primi istorum mitius errant, secu insipientius, et tertios jam subvertit haeresis capitalis Consequenter R. D. Verhoeven ex numero est mitius erra tium, sed tamen errantium; contra quos Waldensis evi fieri non posse ut status religiosus sit *extensive* perfect quin simul sit etiam *intensive*, et antiquos Ecclesiae Doctor dum de perfectione status illius agunt, potius de ea loqui cundum intensionem *gradualem* quam secundum intension *numeralem* (1).

5. Sed et alius error, atque is quidem non aeque mitis, Hallierano asserto a R. D. Verhoeven adoptato includitu scilicet *consilia non esse praeceptis perfectiora*. Conciliari en hoc nequit cum verbis Christi de praeceptis dicentis : *Si ad vitam ingredi, serva mandata* (2), de paupertate vero v luntaria : *Si vis perfectus esse, vade, vende,* etc. (3), et de c stitate : *Non omnes capiunt verbum istud* (4); neque cum ver Apostoli : *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene fac et qui non jungit, melius facit* (5); neque cum doctrina SS. I trum, ex hisce aliisque Sacrae Scripturae textibus perfectione consiliorum supra praecepta passim extollentium. Audiam exempli causa S. Cyprianum de virginitate loquentem (6) : «N hoc jubet Dominus, sed hortatur; nec jugum necessitatis i ponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum. Sed cu habitationes multas apud Patrem suum dicat, *melioris* habit culi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petiti carnis desideria castrantes, *majoris* gratiae praemium in co lestibus obtinetis... O bonae virgines,... quae Deo et Chris vacantes, ad Dominum, cui vos devovistis, *et majore et m liore parte praeceditis.* » Item S. Ambrosium (7) : « Honorab itaque conjugium, sed *honorabilior* integritas... Quod igit bonum est, non vitandum est; quod est *melius*, eligendu est. Itaque non imponitur, sed *praeponitur*. Et ideo be Apostolus dixit : *De virginibus praeceptum Domini non h beo, consilium autem do*. Etenim praeceptum in *subditos* fe

(1) Ibid. cap. 14, col. 744, 745 et 746.
(2) Matth. XIX, 17.
(3) Ibid. 21.
(4) Ibid. 11.
(5) 1 Cor. VII, 38.
(6) De habit. virg. pag. 180 181.
(7) De viduis, cap. 12, tom Operum, col. 205, edit. Maur. 16

', consilium *amicis* datur. Ubi praeceptum est, ibi *lex* est; bi consilium, ibi *gratia* est... En tibi *distantia* praecepti que consilii... Qui praeceptum impleverint, possunt dicere : *rvi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Hoc virgo n dicit, non dicit ille qui bona sua vendidit; sed quasi re- sita exspectat praemia, sicut sanctus Apostolus, qui ait : *:ce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo bis erit?* Non quasi inutilis servus,... sed quasi utilis Do- no. » Sanctus vero Hieronymus, adversus Jovinianum ereticum, docentem « *virgines, viduas et maritatas,* quae mel in Christo lotae sunt, si non discrepent caeteris operi- s, ejusdem esse meriti (1), acriter suo more calamum strin- ns, cum alia multa, tum illa in rem nostram scribit (2) : « Pro- nit ἀγωνοθέτης praemium, invitat ad cursum, tenet in manu rginitatis bravium ; ostendit purissimum fontem, et clamitat : *ui sitit, veniat et bibat. Qui potest capere, capiat.* Non dicit : elitis, nolitis, bibendum vobis est atque currendum; sed : ui voluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincet, e satiabitur. Et ideo *plus amat* virgines Christus, quia onte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum. *Majorisque atiae est* offerre quod non debeas quam reddere quod exi- ris. » Ac paulo post ex verbis Apostoli jam a nobis allega- concludit (3) : « Tantum est igitur inter nuptias et virgini- tem, quantum inter non peccare et bene facere; imo ut le- us dicam, quantum inter *bonum* et *melius* . » Quo etiam fa- unt sequentia S. Doctoris verba (4) : « Apostoli et seniores de rosolymis litteras mittunt ut non amplius imponatur oneris his ui de gentibus crediderunt nisi ut abstineant se ab idololatria fornicatione et a sanguine et a suffocatis; et quasi parvulis que infantibus *lac* potum dant, non *solidum cibum :* nec aecipiunt de continentia, nec de virginitate significant, nec jejunia provocant, neque dicunt illud quod in Evangelio Apostolos dirigitur, ne habeant duas tunicas, ne peram, ne s in zonis, ne virgam in manu, ne calceamenta in pedibus. t certe illud : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia a,* etc. » Ex quibus liquet tantum, Hieronymo judice,

(1) Advers. Jovinian. lib. 1, m. 3, tom. 2 Op. col. 241, edit. llars.

(2) Ibid. num. 12, col. 257.
(3) Ibid. num. 13, col. 262.
(4) Ibid. num. 34, col. 290.

praestare consilia praeceptis quantum lacti cibus solid
Similia sunt apud S. Augustinum multis in locis; sed prae
pue in libro de Sancta Virginitate, ubi ait (1) : « Cum perpetu
continentiae professores se conjugatis comparantes secund
Scripturas compererint eos *infra esse* et opere et mercede
voto et praemio, statim veniat in mentem quod scriptum e
Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus. » N
non in Epistola ad Hilarium consilium Christi de rebus ter
poralibus relinquendis *grande* ac *praeclarum* vocat, et ha
ait *excellentiorem* esse perfectionem quam legis manda
cosque qui illud consilium susceperunt ut vendita sua paup
ribus distribuerent ac Christum sequerentur, id ex quad
mentis excellentia fecisse affirmat, alios qui id non perfec
runt, *infirmiores* appellans; quamquam et hos, si Dei praecep
servaverint, si divitiis recte usi fuerint, salutis aeternae pa
ticipes quoque fore dicit (2).

6. Huic igitur SS. Patrum doctrinae consona non est Ha
lieri propositio : *Consilia non sunt perfectiora praeceptis;*
qua sequeretur paupertatem voluntariam recto divitiaru
usu, virginitatem et continentiam bono matrimonio atq
debiti conjugalis secundum praeceptum divinum (3) redd
tione non esse perfectiorem. Imo Ecclesia olim damna
Eunomium, Vigilantium, Jovinianum, Helvidium, qui virg
nitati et coelibatui conjugium exaequarunt; ac nuperius S
crosanctum Concilium Tridentinum pronuntiavit (4) : « Si qu
dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virgi
tatis vel coelibatus, et *non esse melius ac beatius manere*
virginitate aut coelibatu quam jungi matrimonio, anathe
sit. » Quam utique sententiam non bene interpretaret
is qui diceret tantummodo anathema infligi asserentibus vi
ginitatem aut coelibatum meliorem esse matrimonio ma
inito aut peccaminoso matrimonii usu, negaret vero damna
eos qui honestas nuptias honestumque matrimonii usum
praecepti divini de reddendo conjugali debito impletione
tamquam res aeque bonas et beatas habent ac virginitatem
coelibatum. Quocirca, cum Claudius Seguenot, in annota

(1) De Sancta Virginit. cap. 31, tom. 6 Oper., col. 355.
(2) Epist. 157, alias 89, tom. 2, col. 553 et seqq.
(3) 1 Cor. VII, 3 et seqq.
(4) Sess. 24, can. 10.

l gallicam translationem libri S. Augustini de Sancta Virgi-
tate, scripsisset (1) : « S'il arrivait qu'une personne mariée
t si bien disposée, qu'elle fût non-seulement capable de vivre
nnêtement dans le mariage, mais que renonçant à tout ce
'il y a d'impur et de sensuel, et qu'étant mariée (pour user
s termes de l'Apôtre) comme ne l'étant point, elle conservât
ne pareille pureté de cœur et d'esprit dans le mariage,
oique non une telle pureté de corps, que les vierges hors
mariage, il n'y a point de doute que celle-là auroit le mé-
te des vierges, et qu'elle seroit non-seulement aussi sainte
aussi parfaite, mais même aussi pure et aussi chaste qu'elles;
rien n'empêcherait qu'elle ne le pût être davantage; »
si scriptor ille ita matrimonium quam posset optimum
lineare voluerit, nihilominus Sacra Facultas Theologica
risiensis die 3 Maii 1638 praedictam ejus sententiam hac
nsura confixit (2) : « Haec doctrina, qua dicit eos qui utuntur
njugio tamquam non utantur, habere meritum virginum et
elibem vitam agentium, et esse non solum *aeque sanctos* et
que perfectos, verum etiam *aeque puros* et *aeque castos,* hae-
sim sapit. » Plura insuper de *voto,* quae etiam res est
nsilii, et, si adjiciatur actis de se bonis et honestis, cum sit
ligionis actus, eorum pretium adauget, male effutierat Se-
enotus; quae exponuntur simul et repelluntur ab eadem
cra Facultate, nimiae erga regulares amicitiae non sus-
cta, sequentibus verbis (3) : « Haec doctrina, quam adstruit in
aejudicium votorum monasticorum et depressionem status
gularium, praesertim qua asserit *vota nihil addere perfe-
ionis,* esse tantum imperfectorum, saepe esse impedimenta
io vocantis Dei, abusive vocari consecrationes; obedientiam
n esse opus consilii et paupertatem voluntariam *ex voto*
cludi a paupertate evangelica, non tantum est destructiva
ncti regularium status et aversiva a proposito laudabilis
tae coenobiticae, verum etiam falsa, scandalosa, temeraria
erronea. » Consideret, quaesumus, haec paulisper
. D. Verhoeven, atque illud praeterea sciat, Hallierum
sum ea occasione consedisse inter Seguenoti judices; ut

(1) De la Sainte Virginité, etc. judiciorum de novis erroribus,
ris, 1638, Remarques, pag. 12. tom. 3, pag. 25.
(2) Duplessis d'Argentré, Collect. (3) Id. ibid.

adeo aliqua ratione censeri Hallierus possit rejecisse suam ipsius propositionem : *Consilia non sunt perfectiora praeceptis* (1).

7. Coronidis loco haec ex Bellarmino subjungimus, quibus sana theologorum de hoc argumento sententia lucide exponitur : « Melanchthon in locis communibus capite de discrimine consiliorum et praeceptorum dicit... deplorandam esse nostram caecitatem, quod mendicitatem aut simile opus non mandatum ornemus majoribus titulis quam legem divinam, cum nullum opus possit cogitari majus quam quod in primo praecepto flagitatur : *Diliges Dominum Deum tuum,* etc. Ad hanc calumniam breviter respondemus neminem esse catholicorum qui simpliciter praeponat consilia praeceptis; imo B. Thomas in 2. 2, q. 184, art. 3, contrarium docet : vult enim perfectionem Christianam essentialiter consistere in observatione praeceptorum, instrumentaliter in observatione consiliorum. Possumus tamen anteponere consilia praeceptis tribus modis. Primo, comparando singula consilia non cuicumque praecepto, sed praeceptis illis quae versantur circa eamdem materiam. Verbi gratia, circa materiam externorum operum versatur praeceptum : *Non furaberis;* circa eamdem versatur consilium : *Vende omnia, et da pauperibus :* certum est consilium hoc esse perfectius praecepto : *Non furaberis.* Similiter consilium virginitatis perfectius est praecepto : *Non moechaberis;* et sic de aliis. Secundo, comparando non consilia cum praeceptis, sed statum hominum servantium praecepta et consilia cum statu eorum qui solum observant praecepta. Neque enim dubitari potest quin sit res longe melior et perfectior status prior posteriore; quandoquidem ille istum includit, non contra : unde Dominus ei qui dicebat servasse se omnia praecepta, dixit : *Si vis perfectus esse, vende omnia quae habes,* etc. Tertio, comparando consilia cum quolibet praecepto, etiam cum illo : *Diliges Dominum Deum tuum;* sed considerando in consiliis non opera externa consiliorum, sed caritatem quam praesupponunt et ad quam ducunt. Illo enim praecepto : *Diliges Dominum Deum tuum,* non praecipitur caritas infinita, sed certus quidam gradus, nimirum tanta caritas ut per eam nihil Deo aeques vel anteponas; at major gradus caritatis requiritur ut propter Deum

(1) Cfr. Cellotius, de Hierarch. lib. 9, cap. 6, pag. 785 et 786.

renunties omnibus opibus et voluptatibus alioqui licitis : dicit enim Augustinus Serm. 18 de Verbis Apostoli, de virginibus loquens : *Major amor majus imposuit onus.* » Hactenus Bellarminus (1), cujus verbis plura a nobis adjici supervacaneum foret.

(1) De Monachis, cap. 6, col. 443 et 444.

CAPUT QUARTUM.

DE AUCTORITATE EPISCOPORUM IN MONACHOS NON EXEMPTOS, DEQUE REGULARUM APPROBATIONE.

1. *R. D. Verhoeven adstruit regulares non exemptos omnimode subjectos esse Episcopis in rebus disciplinaribus.*
2. *In hanc rem contendit S. Thomam, docentem monachos magis Abbati quam Episcopo obedire debere, loqui de exemptis, licet S. Doctor dicat se loqui de non exemptis.*
3. *Perperam invocat indolem regiminis ecclesiastici et illimitatam facit Episcoporum potestatem.*
4. *Male recurrit ad approbationem Regularum monasticarum, datam ab Episcopis.*
5. *Narrat Regulam S. Antonii approbatam fuisse, quae numquam exstitit.*
6. *Item Regulam S. Pachomii, quae coelitus delata est.*
7. *Ei non suffragatur Regula S. Basilii, tradita ab hoc S. Patre priusquam Episcopus foret.*
8. *Neque ei favet historia Regulae S. Benedicti. Citat apocryphum fragmentum.*
9. *Olim in Oriente et multo magis in Occidente non stabiles aut singulares erant Regulae.*
10. *Occasio et fata canonum Lateranensis et Lugdunensis de non fundandis novis Ordinibus absque pontificia licentia.*
11. *Hi non contra Episcoporum facilitatem statuti sunt.*
12. *Confundit R. D. Verhoeven approbationem Regulae cum approbatione Ordinis religiosi.*

1. Secundum capitis primi paragraphum inscribit R. D. Verhoeven : *De potestate et jurisdictione Episcoporum in religiosos, seclusis privilegiis et exemptionibus* (1) ; in quo sibi pro scopo proponit demonstrare « monachos et regulares quoad regularem observantiam Episcoporum jurisdictioni subesse, nisi ab ea privilegio sint exempti ; idque probatur, ait, ex indole et fine ecclesiastici regiminis, et ex antiqua Ecclesiae disciplina ; antiquitus enim Episcopi non tantum regulas monachorum approbabant, verum etiam regularis disciplinae observantia Episcopis erat commissa. Id quidem palam fit, subdit, ex canonibus Conciliorum, atque decretis summorum Pontificum. Neque alia fuit sententia S. Thomae. » Et demum « in iis, quae ad ecclesiasticam disciplinam et exercitium sacrorum munerum referuntur, religiosi omnes Episcoporum jurisdictioni subjiciuntur, nisi ab eadem vi privilegii eximuntur. »

Sane indubium est, monachos et regulares quosvis, exclusis exemptionibus, Episcopis subesse in his quae pertinent ad Christiani hominis officia ; unde etiam sequitur ecclesiasticae auctoritati potestatem inesse cogendi regulares, non exemptos, ad implenda vota, quibus se Deo obstrinxerunt ; et propterea illi etiam licet ea statuta condere quae necessaria videantur ut iidem regulares Deo fideles exsistant. Hanc itaque potestatem, consuetudine legitima et canonibus moderatam, Episcopi habent. Praeterea fieri potest, ut Episcopus, condens monasterium vel illud approbans, caveat ut ipse suique successores tamquam regulares praelati semper agnoscantur ; quod si fiat, dubium nullum est, quin Episcopus omnem in monachos habeat auctoritatem. Demum ecclesiasticis superioribus facultatem inesse condendi, sub moderamine summi Pontificis seu secundum vigentem disciplinam, ea statuta, quae ad regimen ovium suarum opportuna videantur in Domino, nullus catholicus ambigit.

Quum autem ex dictis et ex indole et fine ecclesiastici regiminis facile colligatur auctoritatem Episcoporum non esse magis absolutam erga monachos quam erga reliquos dioeceseon suarum fideles, eamque per canones et vigentem disciplinam restringi aut dilatari posse, quin ullis opus sit exemptionibus aut privilegiis ; superest quaestio an monachus, non

(1) Pag. 11.

exemptus, magis teneatur obedire Abbati quam Episcopo in illis quae ad statuta Regulae pertinent. Negat omnino Rev. Dominus; et tres paginas (1) adhibet ad ostendendum falso dici affirmantem sententiam a S. Thoma traditam fuisse.

2. Audiamus initium ejus argumentationis : « Contra hanc, inquit (2),de subjectione monachorum doctrinam opposita quidem fuere verba S. Thomae, haec scribentis : *Monachus magis tenetur obedire Abbati quam Episcopo, in illis quae ad statuta Regulae pertinent; in his autem quae ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, magis tenetur Episcopo, quia in his Abbas est Episcopo suppositus.* Operae pretium videtur, ad haec Angelici Doctoris verba doctissimi Hallier responsum proferre, in quo multa docet, quae ad rem nostram pertinent. « Primum, » inquit, *D. Thomas loquitur tantum de statu regularium, po-* » *sitis nempe privilegiis et exemptionibus*, in quo, nempe ex » privilegio, Abbatibus permittitur monachos ad professionem » recipere absque Episcopi consensu, in quo statu non repro- » banda est D. Thomae sententia. Sed non sequitur sententiam » D. Thomae veram esse, loquendo de statu religioso, seclusis » omnibus privilegiis et exemptionibus, in quo statu nemini » licebat Abbati ad professionem recipere, nisi ex conscientia » Episcopi. » Dein pergit Rev. Dominus per sequentes paginas multis argumentis (quae inferius examinabimus) probare S. Thomam in citato loco agere de regularibus, *exemptionibus et privilegiis* munitis.

Sed quid haec ad rem facere possunt? Ad destruendas omnes adversarii rationes nobis satis erit verba S. Thomae, omissa a R. D. Professore, allegare. Ex textu scilicet Magistri Sententiarum deduxerat S. Doctor *magis obediendum majori potestati quam minori;* adversus quam propositionem plures dein movet difficultates, quas inter haec est : « Abbates monasteriorum subduntur Episcopis, NISI SINT EXEMPTI; ergo potestas Episcopi est major, quam potestas Abbatis. *Sed monachus tenetur plus obedire Abbati quam Episcopo;* ergo non semper majori potestati obediendum est magis. » Ad quam difficultatem, ubi manifeste agitur de monacho *non exempto,* respondet S. Doctor : « Ad tertium dicendum, quod *monachus magis tenetur obedire Abbati quam Episcopo in illis, quae ad statuta*

(1) Pag 17 et seqq. (2) Ibid.

Regulae pertinent; in his autem, quae ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, magis tenetur Episcopo, quia in his Abbas est Episcopo suppositus. » Neque hic lapsus varietate editionum excusari potest; nam, licet Rev. Dominus ad imam paginam citaverit editionem, sesqui saeculo circiter posteriorem Halliero, his notis : *In II lib. sent. Dist. XLIV, quaest.* 2, *art.* 3, *in fin. Oper. tom. X, col.* 567, *edit.* 1777; eadem editione aliisque nos usi sumus, et ubique reperimus ea S. Thomae verba, quae descripsimus.

Indubia itaque est S. Thomae sententia et plane contraria Rev. Domino : ast an itidem contraria sit monumentis et rationibus ab eodem adductis, ut ostendat regulares non exemptos magis teneri obedire Episcopis quam suis superioribus in his quae ad statuta Regulae pertinent, seu an haec monumenta conficiant Episcopos regularium, non exemptorum, non tantum qua clericorum aut Christianorum, sed etiam qua regularium esse proprios superiores, adeoque eis praecipere posse ut Abbates aliosque praelatos regulares, investigandum superest.

3. Invocat imprimis R. D. Professor ecclesiastici regiminis indolem et finem, propter quae « IN IIS OMNIBUS, *quae ad felicitatem supernaturalem conducunt, oves omnes Episcopi curae subjiciuntur* (1). » Verum principium istud latius patere quam par est, quis non videat? Nam ut nihil dicam de celeberrima quaestione, ardentissime olim agitata, an Episcopus possit in sua dioecesi quod potest Pontifex in universa Ecclesia, nisi prohibeatur; cui haec altera ut fundamentalis solet praemitti, an Episcopus accipiat suam auctoritatem immediate a Christo, an vero immediate a Summo Pontifice; quae ex principio Rev. Domini contra communem Romanorum mentem solvendae videantur; sufficit ad nimiam ejus extensionem manifestandam pauca adducere, *quae ad felicitatem supernaturalem conducunt,* et in quibus tamen *oves omnes Episcopi curae* non *subjiciuntur*. Eleemosynae scilicet, jejunia et orationes *liberae* conducunt ad felicitatem supernaturalem, neque tamen in iis quispiam subjicitur curae Episcopi, seu etiam Papae. Consiliis quidem juvare possunt, sed id commune habent cum ipsis laicis adeoque gentilibus. Praeterea non arbi-

(1) Pag. 12.

tror Rev. Dominum ullum in ecclesiastica historia repertu-
rum esse tempus, quo in usu non essent aliquot statuta
disciplinaria, et brevi post Ecclesiae initium legitimae non-
nullae consuetudines, quibus Episcoporum spiritualis juris-
dictio inter certos contineretur fines, et quibus cavebatur ut
absoluta auctoritas, quam Rev. Dominus Episcopis adscribit,
eis interdiceretur (1).

Ex his deducimus principium R. D. Professoris ultra veri-
tatis limites vagari; et, quod ad rem nostram pertinet, aucto-
ritatem Episcoporum in disciplinam regularem ex canonibus
et ecclesiasticis consuetudinibus, non vero ex quocumque ge-
nerali principio etiam vero dimetiendam esse; idem enim id
foret ac in contractibus, praescriptione, omnique principum
regimine unum jus naturale considerare, nulla habita ratione
legum civilium, aut consuetudinum, quae jus istud determi-
nant. Insuper, quum quis olim religiosus esse posset quin
subjiceretur disciplinae regulari, ut alibi jam ostendimus (2);
adeoque quum in ipsis monasteriis nulla alia interdum vige-
ret Regula quam voluntas Abbatum, ut inferius dicemus,
non video quomodo ex indole ecclesiastici regiminis monachi
teneri potuerint magis obedire Episcopo quam Abbati in iis
quae ad statuta Regulae nullius seu *voluntatis Abbatum* per-
tinerent.

4. His itaque assertis omissis, veniamus ad examen con-
suetudinum et legum quas Rev. Dominus sibi in subsidium
adsciscit; et quarum prima in Regularum approbatione posita
est.

« Age vero, inquit (3), ex quo tempore Ordines monastici
in Ecclesia institui et monasteria per varias regiones exstrui
coeperunt, Episcoporum curae ac regimini monachi ita qui-
dem fuerunt subjecti, ut eorum Regulae et Constitutiones non
nisi ab Episcopis dioecesanis approbarentur. »

Ad hanc generalem propositionem tria animadvertimus:
primum nos non recte videre quomodo ex *approbatione* alicu-
jus Regulae necessario sequatur monachos, qui eam profiten-
tur, in ejus *exsecutione* teneri Episcopo magis obedire quam

(1) Cfr. Card. Gerdil, Esame de' motivi del opp. alla bolla *Auctorem fidei*, art. 13, tom. 14 Operum, pag. 217 et seqq. Romae. 1809.
(2) Vide supra, pag. 10 et 23
(3) Pag. 13.

Abbati; deinde non satis secum constare Rev. Dominum, qui multum in hoc insistit, quod Episcopi dumtaxat, non vero Summi Pontifices, veterum Regulas approbabant, et qui tamen brevi post approbationem aliquam Regulae S. Benedicti S. Gregorio M. tribuit, quin fassurus sit adauctam fuisse ex hac approbatione Pontificum in monasteria Benedictina potestatem, imminutam vero jurisdictionem Episcoporum; tertio demum eum hoc loco flocci fecisse dicta Thomassini, qui, licet totus sit in adinveniendis rationibus monachos Episcopis subdendi, non potuit tamen non scribere (1) : « Quum ergo fundationis jure omnia prorsus monasteria subjecisse non possint sibi Episcopi, quum rursus antiquissimi illi monachi illiterati et rudes maxima ex parte essent; ideoque a clericatu alieni, nec eo nomine Episcopis subjiciendi : *venandum* nobis est fundamentum aliud generalius, quo subjectio haec tam necessaria universim adstruatur. In mentem venire non injuria posset, Regulas monachis ab Episcopis traditas, qui illorum proinde ut legislatores ita et magistri ac parentes fuerunt... At *quo argumento extundemus* authores fuisse earum legum... Ut summum *conjecturae* sunt non aspernandae. » Haec Thomassinus.

5. Quod vero Thomassinus vix timide et dubitanter tamquam conjecturam proponit, hoc fidenter affirmat R. D. Professor hisce verbis (2) :« Antonii, Pachomii aliorumque priorum monachorum Regulae ab Episcopis Alexandrinis aliisque Aegyptiacis probatae fuerunt, et ab Episcopis permissum fuit monachis secundum illas vivere. Certo frustra de his Regulis affirmaretur eas statim ab initio a Summo Pontifice approbatas fuisse, quandoquidem Romae non innotuerunt nisi per Athanasium et Petrum, Episcopos Alexandrinos, cum persecutionem Arianae haereseos declinantes, Romam confugerant.» Quoniam igitur R. D. Professor timidam conjecturam Thomassini tamquam rem certam et indubitatam tradebat, operae pretium fuisset indicare fontes, unde factum historicum gravissimum hauserat. Ast nihil hujusmodi nobis occurrit, nisi tamquam documentum accipiamus citatam a R. D. Verhoeven epistolam ad Principiam, quae solum agit de itinere Romano SS. Athanasii

(1) Vet. et nov. eccl. discip. part. 1, lib. 3, cap. 26, num. 6, tom. 1, pag. 714.
(2) Pag. 13.

et Petri. Imo S. Hieronymus, mentionem tantum septem epistolarum S. Antonii faciens (1), monstrat se Regulam aliquam ab eodem conscriptam prorsus ignorasse. Insuper refert S. Athanasius (2), S. Antonium, aliquando a discipulis rogatum λόγον, seu, ut habet ejus interpres coaevus Evagrius, *institutoria praecepta,* respondisse, sufficere Sacram Scripturam. Tertio quae sub nomine S. Antonii circumferuntur monasticae vitae monita, non ad suos discipulos, sed ad solitarios Nacalonenses directa, criticis habentur aut S. Antonio recentiora (3) aut saltem dubiae fidei (4). Demum qui inter Orientales monachos a S. Antonio nuncupantur, istam appellationem sortiti sunt non a Regula, quae numquam exstitit, sed a veneratione erga sanctum virum; quin etiam Regulam S. Basilii observant (5). Quae cum ita sint, manifestum est S. Antonium non potuisse Regulam suam Episcopis Alexandrino aliisve Aegyptiacis probandam offerre.

6. Idem judicium esto de Regula S. Pachomii, delata, ut traditur, ab Angelo (6) : nam sanctus vir, visione communicata cum magistro suo Palaemone, monacho, neutiquam vero Episcopo, ab eoque animatus, missionem coelestem exsecutus est, quin ulla in ejus Vita, a suppare conscripta, mentio fiat approbationis episcopalis (7). Restat igitur, ut R. D. Professor nobis exhibeat documentum, quo assertum suum de approbatione episcopali nobis demonstret. Quas alias monasticas Regulas, praeter Pachomianam, inter Aegyptios exsistentes, R. D. Professor intelligat, plane ignoramus.

7. Pergit R. D. Verhoeven, et post monachos Aegyptios profert continuo S. Basilium, qui, ut ait (8), plerisque monachis Orientis Regulas tradidit; ergo ex hoc quoque exemplo confirmatur Episcopos olim approbasse, atque adeo tradidisse monachis suas Regulas et Constitutiones.

(1) De illustr. script. cap. 88, ap. Fabricium, Biblioth. eccles. pag. 178, Hamburgi, 1718.

(2) Vit. S. Antonii, num. 16, tom. 1, part. 2, opp. pag. 808, edit. 1698.

(3) Holstenius, Codex regul. observ. crit. tom. 1, pag. 3, edit. Brockie.

(4) Tillemont, Mém. pour serv. à l'hist. eccl. tom. 7, part. 1, pag. 234, edit. 1715. Bulteau, Hist. monast. d'Orient. pag. 49.

(5) Holstenius, Cod. Reg. tom. 1, pag. 3, edit. Brockie. Hélyot, Hist. des Ord. Relig. tom. 1, pag. 80.

(6) Liber singul. pag. 6.

(7) Act. SS. XIV Maji, tom. 3, Maji, pag. 298.

(8) Pag. 13.

Ast corruit, ni fallor, haec argumentatio, si obvii libri aperiantur. Etenim de Regulis seu Asceticis S. Basilii in Vitis Sanctorum Butleri haec reperiuntur (1) : « *Ascetica.* Sub hoc titulo intelliguntur tres Sermones distincti, vocati *ascetici;* Tractatus de judicio Dei et fide; *Moralia; Majores Regulae,* numero quinquaginta quinque, trecentae tredecim *Minores Regulae.* Variis temporibus S. Basilius composuit haec opera ad edocendos eos, qui se in suum secessum (scilicet ante episcopatum) secuti fuerant, aut suo ductui semetipsos subjecerant. *Moralia* nihil aliud sunt quam collectio locorum S. Scripturae de poenitentia et praecipuis vitae Christianae officiis. In eodem volumine duo sunt *Sermones* absque titulo singulari; *Ordinationes* aliquot de puniendis monachis et monialibus; necnon *Constitutiones monasticae.* Dubium est an Sermones hi S. Basilii sint; et *Ordinationes* non secus ac *Constitutiones monasticae* nequaquam ei tribui possunt. » Ex quibus evidens est a Rev. Domino agi tantum posse de Majoribus et Minoribus Regulis; de quibus, licet eas nonnulli tribuant Eustachio Sebasteno (2), audiendi sunt eruditi, qui eas adscribunt S. Basilio. Tillemontius haec habet (3) : « *Majores* et *Minores Regulae* sunt mera S. Basilii responsa ad varias quas Fratres ei proponebant quaestiones et propterea formam dialogi retinent. Ex Sermone, qui *Majoribus* praemittitur, videtur S. Basilius *tunc temporis solummodo Monachorum institutionis munus gessisse.* Sed ex prooemio *Minorum* patet illum, dum eas congereret, officio annuntiandi Verbi Dei, et quidem in templo coram populo, functum fuisse, adeoque *vel Episcopum vel certe Caesaraeensem fuisse presbyterum.* » Idem habet Hélyot (4). Videat jam lector utrum sententiae R. D. Verhoeven faveat vera S. Basilii Regulae historia.

8. Sed properemus ad tertium adversarii argumentum, quod sic sonat (5) : « S. Benedicti Regula sola Episcoporum auctoritate multis in locis erat recepta, antequam S. Gregorius eam laudavisset et approbasset. »

(1) Vies des Pères, des Martyrs, etc. S. Basile, 14 juin. Notice de ses écrits, tom. 8, pag. 359, edit. Lovan. 1830.

(2) Cfr. Catalanus, Comment. in Concil. Oecumenica, tom. 3, pag. 275.

(3) Mémoires ecclés. tom. 9, part 1, pag. 82 et seqq.

(4) Hist. des Ordres relig. tom. 1 pag. 178.

(5) Pag. 13, continenter pos verba citata.

Quibus assertis opponimus frustra a nobis inquisitum fuisse in horum Episcoporum nomina; Haeftenus (1) fuse de Benedictinae Regulae approbatione agit, et *supponit* eam approbatam fuisse a Siciliae Galliaeque Episcopis, quum huc S. Maurus, illuc profectus est S. Placidus; sed argumenta refert nulla. Et quidem paucissima certa de S. Placido cognoscuntur (2); et tantum abest ut liquidum sit tempore S. Mauri Regulam S. Benedicti ab Episcopis Galliae approbatam fuisse, ut nonnulli contendant eam primum in Concilio Augustodunensi anni 674 fuisse receptam; quos Mabillonius (3) confutat non vetera allegando monumenta, sed animadvertendo canone XV hujus Concilii statui Regulam *implendam* et *custodiendam* esse, non vero tunc primum *recipi*.

De approbatione S. Gregorii subdit dein adversarius (4) : « Quam approbationem refert Alteserra ex Baronio, Annal. tom. VIII, his verbis : « Ego Gregorius S. R. E. Praesul scripsi » Vitam beati Benedicti, et legi Regulam, quam ipse Sanctus » manu propria scripsit; laudavi eam et confirmavi in sancta » Synodo, et per diversas partes Italiae, et ubicumque latinae » litterae legerentur, praecepi, ut diligentissime observarent » quicumque ad conversionis gratiam accessuri essent ad » finem mundi. » Hactenus Rev. Dominus.

Imprimis, licet Baronius ad hoc diploma alludat (5), nequaquam tamen illud edidit; unde fieri non potest ut id ab Alteserra ex tomo VIII Annalium depromptum fuerit; verum oportet ut Alteserra id descripserit vel ex Disquisitionibus Monasticis Haefteni (6), vel ex Bullario Casinensi.

Verum Papebrochius, de hoc documento agens, « Casinense Bullarium, inquit (7), Venetiis editum anno 1650, initium sumit AB INSIGNI FIGMENTO, quod ait in Sublacensi archivio haberi. » Recitat dein fragmentum, adductum a Rev. Domino, et quaedam alia ab hoc omissa, concluditque omnino istud diploma *aberrare a vero S. Gregorii stylo;* inferius

(1) Disquisit. Monast. tract. 5, disq. 1, pag. 156 et seqq.

(2) Mabillonius, Annales Benedictini, tom. 1, passim.

(3) Ibid. ad annum 674, num. 37, pag. 478 et seqq.

(4) Pag. 13.

(5) Annales Eccles. ad annum 595, num. 59, tom. 10, pag. 595, edit. Mansi.

(6) Tract. 5, disq. 1, pag. 157.

(7) Propylaeum Maji, ad S. Gregorium M. pag. 90*.

vero notat cavisse doctissimum Angelum de Nuce, Abbatem Casinensem, in suis ad S. Benedicti Vitam et Chronicum Casinense notis, et Mabillonium in Praefatione ad Acta Sanctorum Benedictinorum, ne, quum de Sublaco, de Vita S. Benedicti, deque ejus Regula agerent, hujus spurii foetus facerent mentionem. Quibus addimus eumdem deinde Mabillonium in Dissertatione de Gregorii Magni monastico instituto, inserta Veteribus Analectis (1) et Annalibus Benedictinis (2), ejus tantum meminisse, ut ostenderet quam parum fidei ei haberet (3); Edmundum Martenium (4), Calmetum (5), Gattolam (6), Legipontium et Ziegelbauer (7) collegisse veterum de S. Benedicti Regula testimonia; sed ne verbum quidem fecisse de hac approbatione; idemque affirmandum esse de Tosti, nupero historico abbatiae Casinensis, de D. Josepho Mège (8), de editoribus Maurinis operum S. Gregorii (9), aliisque multis (10), quibus satis est narrasse Regulam S. Benedicti a S. Gregorio nuncupatam fuisse in Dialogis (11) *discretione praecipuam, sermone luculentam*, seu, secundum concilii Duziacensis anni 874 testimonium, auctoritate ejusdem Pontificis *inter canonicas scripturas et Catholicorum doctorum scripta teneri decretam esse*. Seponendum itaque est figmentum istud, ab omnibus eruditis jam pridem repudiatum.

9. Continuo post subjungit adversarius (12) : « Haec de Regularum approbatione ad rem nostram sufficiunt; » quae verba nobis etiam liberet adhibere, nisi lector a nobis exigeret, ut, dispulsis nebulis, rerum veritatem paucis indicaremus. Admittimus videlicet Episcopos susceptum vitae institutum approbare potuisse; verum hanc approbationem nequaquam

(1) Pag. 504, edit. 1723, dissert. 5, part. 2, num. 6.

(2) Tom. 1, pag. 608, Append. prima, num. 2, Dissert. 5, part. 2, num. 6.

(3) Cfr. Editores Maurini Opp. S. Gregorii, tom. 2, col. 1286.

(4) Commentarius in Regulam S. Benedicti, pag. 13.

(5) Commentarius litteralis historico-moralis in Regulam S. Benedicti, pag. 6, edit. Linciens.

(6) Hist. abbat. Cassin. tom. 1, pag. 1 et 5 et seqq. Venetiis, 1733.

(7) Hist. rei litt. Ord. S. Ben. tom. 2, pag. 193, Herbip. 1754.

(8) Vie de S. Benoît avec explicat. pag. 448 et seqq.

(9) Opp. S. Gregorii M. tom. 4, pag. 207.

(10) Intelligo eruditos SS. Gregorii M. et Benedicti biographos.

(11) Lib. 2 Dialog. cap. 36, tom. 2 Opp. col. 272.

(12) Pag. 14.

fuisse necessariam, dummodo vitae genus non improbarent. Constat porro eos illa potestate uti solitos non fuisse, vel quia nulla certa eis subministraretur materia, vel quia id inutile videretur. Satis erit in hanc rem exhibere brevem historicum conspectum.

Ut de monachis Orientalibus, nullis certis legibus adstrictis, prius faciamus sermonem, vix aliquid addendum videtur iis, quae de S. Antonii discipulis supra (1) statuimus. Cum peritissimis tamen harum rerum scriptoribus generatim de monachis Orientalibus dicamus, « *aliis pro Regula fuisse voluntatem Abbatis, aliis modum vivendi majorum usu ac traditione confirmatum*, plerisque leges scriptas impositas (2); » praeterea « non ita passim addicta fuisse uni Regulae monasteria, quin vel aliam inducerent, vel superinducerent pro sui Abbatis arbitrio (3); » demum « teste Cassiano (4), in coenobiis Orientalibus tot propemodum typos ac Regulas fuisse, quot monasteria; quod de monastica seu regulari disciplina, *quae pro nutu praepositorum variabat,* non de Regulis scriptis intelligendum est (5); unde per illa tempora nec mutatio Regularum statum mutabat, *nec status forma pendebat ex Regulis* (6). » Haec Mabillonius; quocum conferri potest Hélyot (7) et ipse Thomassinus (8). Quae omnia, ut id obiter annotemus, parum conveniunt cum doctrina Rev. Domini, qui ad statum religiosum *praescriptas Regulas* requirit (9).

Neque magis ei favet historia Occidentalium monachorum, utpote qui omnium maxime nulla certa Regula passim uterentur. Quod ut liqueat, eruditorum audiamus sententias. Plurima paucis complexus est D. Josephus Mège in Commentariis in Vitam S. Benedicti, conscriptam a S. Gregorio Magno; quae ex gallico idiomate in latinum convertimus. Post relatas varias de tempore, quo S. Benedictus Regulam suam

(1) Vide supra, pag. 88 et seqq.
(2) Mabillonius, Annal. Benedict. lib. 1, num. 13, tom. 1, pag. 6.
(3) Ibid. loc. cit.
(4) Lib. 2 Institution., cap. 2, pag. 18, edit. Atrebat. 1628.
(5) Annal. Bened. lib. 4, num. 41, tom. 1, pag. 93.
(6) Ibid. loc. cit.
(7) Hist. des ordr. relig. tom. 1, pag. 161.
(8) Vetus et nov. disciplin. eccl. part. 1, lib. 3, cap. 25, num. 13 et cap. 26, num. 6, tom. 1, pag. 712 et pag. 714.
(9) Cap. 1, § 1, num. 3, pag. 3 et alibi.

conscripsit, sententias : « Videtur mihi, inquit (1), dici posse ad finem vitae Regulam a S. Benedicto scriptam aut perfectam fuisse; maximam vitae ejus partem fuisse positam in ea meditanda ejusque legibus in usum inducendis; qua ratione, plures annos probans, quid filiis suis ad finem usque mundi observandum relinquere deberet, melius utilitatem et incommoda praescribendarum Constitutionum cognosceret. Constat quippe ex prooemio Majorum ejus Regularum ita egisse S. Basilium. Ita quoque S. Augustinus commisit suas moniales earum praepositae ductui, quin ullam eis praescriberet Regulam; quam tantum exaravit, postquam diu eam ex usu et consuetudine observassent. Demum S. Bruno, admirabilis auctor sacri Carthusianorum Ordinis, nullam suis discipulis dedit Regulam. Ipsimet sibi in suis capitulis statuta condiderunt; et Guigo, quintus eorum generalis Praepositus, illa in corpus quoddam compilavit, quam jam Regulam Carthusianam dicere licet. » Similia tradunt Mabillonius (2), Thomassinus (3) aliique.

Quis porro in media ista varietate et mobilitate Episcoporum approbationi locus esse potuit? Nonne illa ipsa mobilitas et continua variatio omnem approbationem excludunt? Ad quid enim haec valuisset, quum penes superiorum, maximeque fundatorum arbitrium esset Regulas et Statuta mutare?

10. Ad verba, quae supra retulimus (4) et quibus generatim adstruit R. D. Professor initio vitae monasticae « monachos ita curae ac regimini Episcoporum fuisse subjectos, ut eorum Regulae et Constitutiones non nisi ab Episcopis dioecesanis approbarentur (5), » subjungit ad imum marginem sequens annotatum : « Disciplina, juxta quam Regulae et Constitutiones religiosorum per Episcopos approbari poterant, usque ad saeculum XIII in Ecclesia viguit. Cfr. *De religiosis domibus, ut episcopo sint subjectae,* cap. ult. *Ne nimia.*

(1) Vie de S. Benoît avec explications, pag. 451 et seqq.

(2) Annal. Bened. lib. 3, num. 36, pag. 66, lib. 4, num. 41, pag. 95 et passim.

(3) Vet. et nov. discip. eccles. part. 1, lib. 3, cap. 24 et seqq. tom. 1, col. 1504 et seqq. Paris. 1725.

(4) Vide supra, pag. 87.

(5) Pag. 13.

lib. III, tit. 36). *De religiosis domibus, in sexto*, cap. un. *Religionum diversitatem* (lib. III, tit. 17). »

Ne autem quis arbitretur hos canones nobis adversari et vel minimum Rev. Domino favere, utile erit eos hic proferre et historice exponere : quo fiet, ut lector synopsim habeat generalis historiae Regularum.

Prior itaque canon, qui allegatur, sic sonat (1) : «Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de caetero novam Religionem inveniat : sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, Regulam et institutionem accipiat de approbatis. Illud etiam prohibemus, ne quis a diversis monasteriis locum monachi habere praesumat, nec unus Abbas pluribus monasteriis praesidere.» Hic canon, qui in concilio Lateranensi IV anno 1215 sub Innocentio III conditus est, anno 1273 sub Gregorio X in Concilio generali Lugdunensi II renovandus fuit; quae renovatio alter canon est, a Rev. Domino allegatus. In hoc canone (2), « quia non solum importuna petentium inhiatio *Religionum* postmodum multiplicationem extorsit, verum etiam aliquorum praesumptuosa temeritas diversorum Ordinum, praecipue Mendicantium, quorum nondum approbationis meruere principium, effrenatam quasi multitudinem adinvenit, repetita constitutione districtius inhibetur, ne aliquis de caetero novum Ordinem vel Religionem adinveniat, vel habitum novae Religionis assumat; et cunctae affatim Religiones et Ordines Mendicantes, post dictum Concilium (*Lateranense IV*) adinventi, qui nullam confirmationem sedis apostolicae meruerunt, perpetuae prohibitioni subjiciuntur, et quatenus professerant revocantur; » statuitur dein omnes Ordines Mendicantes, etiam a Sancta Sede approbatos, paulatim per saecularum mortem exstinguendos esse, exceptis Ordinibus Fratrum Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini et Carmelitarum.

In utroque vero hoc canone nulla fit mentio de Episcopis,

(1) *De relig. dom. ut episc. sint obj.*, cap. ult. *Ne nimia*, (lib. 3, tit. 36.)

(2) *De religios. domibus, in sexto*, cap. un. *Relig. diversit.* (lib. 3, tit. 17.)

neque eorum in approbandis religiosorum Ordinibus facilitas carpitur. Et certe dum alii dicuntur per importunas petitiones extorsisse novorum Ordinum approbationem, alii absque ulla approbatione ex praesumptuosa temeritate Ordines novos adinvenisse : haec probra ad homines privatos, non vero ad Episcopos, spectare nemo non videt; similiaque in Lateranensi canone animadverti queunt.

Huic autem ferendo canoni occasionem datam fuisse a Pauperibus Catholicis, qui Lugdunensium seu Valdensium partes deseruerant, communis scriptorum sententia est (1). Ast, quum Conradus de Lichtenau, vulgo dictus Abbas Urspergensis, tradidisset (2) frustra ab eis petitum fuisse ut societas sua religiosa ab Innocentio III recognosceretur; inde factum est ut iidem scriptores velle videantur, jam tum ab Innocentio III agnitum fuisse nimium Religionum numerum. Verum multo rectius docet Hélyot (3) eos ab Innocentio III fuisse approbatos, siquidem duas Bullas approbationis adhuc habeamus inter hujus Pontificis epistolas (4), et tertiam ad Episcopum Helenensem (5), qua similis religiosa societas Pauperibus Catholicis subjecta, ab Episcopo Helenensi, si sociandos vere Catholicos repererit, nomine Pontificis confirmanda decernitur. Neque prohibuit Pontifex, ut id alicubi traditum reperimus, quominus hi Pauperes communes domos haberent : nam ex his aliisque Bullis patet clericos, non tamen laicos, prioris societatis communem vitam duxisse; posteriori vero socii aperte dicuntur communem domum inhabitaturi et reapse aliquandiu exstiterunt harum societatum coenobia (6).

Dubium itaque nullum est Pauperes Catholicos ut vere religiosos approbatos fuisse; sed, quod maxime ad praesens argumentum pertinet, ex universa horum Pauperum histori

(1) Cfr. Suarez de relig. tom. 3, lib. 2, cap. 15, num. 15; Bellarminus, Controv. 5, lib. 2, cap. 4; Catalanus, Comment. in Concil. OEcumen. tom. 3, pag. 275 et alii.

(2) In Chronico ad annum 1212; ita apud citatos auctores et ap. Alteserra, Asceticum, lib. 1, cap 18, tom. 2 Opp. pag. 44, edit. 1777.

(3) Hist. des Ordres relig. tom. : pag. 22 et seqq.

(4) Lib. 11, epp. 196 et 19 edit. Baluzii, tom. 2, pag. 238 seqq.

(5) Lib. 15, ep. 82, tom. 2, pa 630 et seqq.

(6) Hélyot, Hist. des Ordr relig. tom. 3, pag. 22 et seqq.

et maxime ex Bulla, concessa Durando de Osca, prioris societatis auctori, manifestum est Pontificis approbationem non petitam fuisse ut necessariam, sed ne quis novum Ordinem perturbaret. En verba Innocentii (1) : « *Ne quis de caetero conversationis vestrae propositum calumnietur injuste,* maxime circa illos, qui secundum formam, quam in aliis litteris nostris expressimus, (*in Bulla scilicet ad Archiepiscopum Tarraconensem, quae continet formulam abjurationis Valdensium errorum, oblatam a Pauperibus Catholicis,*) reconciliati fuerint ecclesiasticae unitati, nos illud auctoritatis nostrae munimine approbando, praesenti pagina duximus annotandum. » Sequitur dein forma instituti, quod sub tutela Sanctae Sedis amplecti cupiebant.

11. Quod si haec rite considerentur, et simul attendatur iis temporibus maximo aestu populum incitatum fuisse ad paupertatem evangelicam laudandam et austerum vitae genus assumendum; quumque ii praesertim, qui a Valdensibus deficiebant, ferrentur ad nova religiosa instituta adinvenienda, ut vel ex duplicis istius societatis origine liquet; facile unusquisque concedet Lateranensem canonem latum fuisse non contra Episcoporum in approbandis religiosis coetibus facilitatem, (qui nedum faverent, obstabant potius (2),) sed contra privatorum imprudentiam et temeritatem, qui, alio quam divino Spiritu ducti, et minoris facientes Episcoporum prohibitiones, novos Ordines moliebantur. Sed frustra speraverunt Patres Lateranenses hoc pacto vesanum istum novos Ordines condendi pruritum exstinguere; adeo ut Matthaeus Parisius, (qui tamen, qualiter editus est, propter odium in Ordines Mendicantes caute legendus est,) in Historia Anglicana ad annum 1258 non veritus sit scribere (3) : « Tot autem Ordines exorti sunt, quod hi hos et e converso supplantant, nec sufficit, ut consuevit, populus eis plebeis eleemosynis sustentare. » Unde intelligitur quare necessarius fuerit canon Lugdunensis; quo Gregorius X ex Ordinibus Mendicantium « aliquos, ut habet Thomas Walsinghamus (4), re-

(1) Epist. 197 supra citat.
(2) Cfr. Hélyot, Hist. des ord. relig. tom. 3, pag. 22 et seqq. et Hurter, Hist. d'Innocent III, tom. 2, pag. 279 et seqq. edit. Brux.
(3) Cit. a Catalano, in Comment. in Concil. oecum. tom. 3, pag. 274.
(4) Ad annum 1275, citat. a Catalano, tom. cit., pag. 275.

probavit, ut Saccinos, qui intitulantur de Poenitentia, seu de Valle Viridi, et consimiles. » Attamen non continuo deleti fuerunt Saccini, ut constat ex eorum historia, quam texuit Helyotus (1).

Melius ab hoc tempore servatus fuit canon Lateranensis, ita ut congregatio aliqua non censeatur religiosa, quae a Romano Pontifice approbata non fuerit. Sunt auctores (2), qui velint hoc canone vetitum esse quascumque pias congregationes tum virorum tum mulierum erigere absque Pontificis licentia; sed alii id negant; et certe consuetudo contraria, in Belgio, Germania et Gallia vigens, legitime contra hanc legis extensionem praescripsisse censenda est.

12. Tandem silentio premere non possumus singularem opinionem R. D. Professoris, nempe antiqua monasteria et coenobia, quae diversas sequebantur Regulas, ad diversos Ordines religiosos spectasse; adeoque *Regulam* et *Ordinem religiosum* unam eamdemque rem esse; quocirca huc retulit canones Lateranensem et Lugdunensem, prohibentes novum *Ordinem* seu *Religionem* condere absque auctoritate pontificia, silentes vero omnino de novis *Regulis*. Verum haec ita sunt distincta, ut nunc etiam Pontifex approbet novum *Ordinem*, et deinde facultatem faciat ejus professoribus *Regulas* et necessarias *Constitutiones* conscribendi; ut, licet nunc ingens sit *religiosorum Ordinum* numerus, fere omnes tamen, si excipias Clericos Regulares, sub *quatuor* principalioribus *Regulis*, S. Basili videlicet, S. Augustini, S. Benedicti et S. Francisci militent (3) et ut olim *numerus Regularum maximus* esset (4), et tamen *unus* tantum exsisteret *Ordo* monasticus, ut jam dictum est (5) et inferius fusius dicetur. Hactenus de Regularum approbatione.

(1) Hist. des Ordres relig. tom. 3, pag. 177 et seqq.

(2) Suarez, de relig. tom. 3, lib. 2, cap. 16, contra Cajetanum. Catalanus Comm. in Conc. oecum. tom. 3, pag. 276.

(3) Barbosa, lib. 2, jur. eccles. univ. cap. 41, num. 20; Layman, lib. 4, tract. 5, cap. 2, num. 3; Pi hing, lib. 3 decret. tit. 31, num. 2 Reiffenstuel, ibid. num. 34, cit. Ferraris Biblioth. canonica, *Relig regular.* art. 1, num. 35, et auc passim.

(4) Vidé supra, pag. 93.

(5) Vide supra, pag. 23.

CAPUT QUINTUM.

DE AUCTORITATE EPISCOPORUM IN MONACHOS NON EXEMPTOS, DEQUE ADMISSIONE NOVITIORUM.

1. *Omnimodam monachorum subjectionem perperam adstruit R. D. Verhoeven exemplo presbyterii Vercellensis. Lapsus chronologicus.*
2. *Nil elicere potest ex conditione monasterii Mediolanensis. Alter lapsus chronologicus.*
3. *Valde infeliciter allegat monasteria Africana, quum nulla liberiora fuerint.*
4. *Exponitur primaeva monachorum libertas secundum Van Espen, Maurinos, De Roye, etc.*
5. *Restringitur haec libertas in Concilio Chalcedonensi; cujus tamen canonem, omnino luxatum, frustra allegat R. D. Verhoeven.*
6. *Incassum refert plures alios canones.*
7. *Ad rem non facit Epistola S. Gregorii M. ad Vitalem.*
8. *R. D. Professor parum feliciter allegat exemptionem monasterii Classitani ad probandam omnimodam monachorum subjectionem.*
9. *Non minus errat, quum textus ex Pelagio et Urbano II putat a se referri.*
10. *Perperam citat locum ex Innocentio III, omnino luxatum et corruptum; e loco genuino exponitur doctrina contraria. Refert textum Card. Petra sibi adversantem.*
11. *Episcopi non poterant monachis imponere opera servilia, licet haec ad Regulam pertinerent.*
12. *Quae esset olim Episcoporum potestas in monachos non exemptos.*
13. *Quae nunc sit.*
14. *Ex comparatione cum societate civili, ex conditionibus professionis et ex examine admittendorum, quae omnia erroribus non vacant, perperam deducit R. D. Verhoeven ex privilegio tantum licere Abbatibus novos admittere monachos.*

15. *Episcopis non licet neque umquam licuit impedire clericos et laicos, ne vitam monasticam amplecterentur.*
16. *In hanc rem plura Pontifices ediderunt diplomata.*
17. *Iidem vetuerunt ne se parochi opponerent admissioni paroecianorum.*

1. Licet Rev. Dominus jam ad *Ecclesiae traditionem* retulisset (1) quae asserenda duxit de Regularum approbatione; nihilominus, ad alia argumenta pergens, sic exorditur numerum III (2) : « *Si vero traditio Ecclesiae consulatur,* quomodo religiosi Episcopis essent subjecti in observanda regulari disciplina, patebit quidem, eos hac in re ordinariae Episcoporum jurisdictioni omnino subfuisse, nisi privilegio ab eadem essent liberi. » Quod dein tribus exemplis, pluribus canonibus Conciliorum et aliquot Pontificum rescriptis probare tentat. Sed haec jam explicatius videamus.

Ait itaque R. D. Professor (3) hanc « omnimodam religiosorum subjectionem quoad regularem disciplinam patere (nisi privilegio ab eadem sunt liberi) primo ex eo quod S. Ambrosius refert (4) monasterium Vercellense sub disciplina fuisse S. Eusebii, Episcopi Vercellensis, cujus opera e multorum scriptorum sententia, monachorum Ordo in Italia primum institutus est (*a*); secundo, ex eo quod S. Augusti

(*a*) Paucis lineis ante retulit R. D. Verhoeven textum S. Hieronymi, quo traditur ante Romanum iter S. Athanasii, anno 339 susceptum (5), *monachorum nomen propter rei novitatem ignominiosum et vix in populis* Romae fuisse; sed, Alexandrino Patriarcha *vitam* S. Antonii et *disciplinam* S. Pachomii enarrante, factum esse ut plures matronae vitam monasticam amplexatae fuerint. Porro quae a S. Hieronymo dicuntur de contemptu, quo monachalis status apud laicos laborabat, haec ad Pontificem et clerum Romanum R. D. Professor transtulit : unde diceres ei tunc in mente fuisse opera S. Athanasii monachorum Ordinem primum in Italia institutum fuisse. Ast nunc jam primum in Italia instituitur opera S. Eusebii Vercellensis, idque ex multorum scriptorum sententia. Sed en quid rei sit : *multi* isti scriptores videntur esse *unus* D. Nourry, operum S. Ambrosii editor, perperam ab adversario intellectu

(1) Pag. 13.
(2) Pag. 14.
(3) Ibid. loc. cit.
(4) Epist. 63, ad eccles. Vercellens. num. 66, tom. 2 opp. col. 1038, edit. Maurin.
(5) Cfr. Vallarsius in annot. epist. 117, alias 16, S. Hieronymi tom. 1 opp. col. 954.

aus (1) narrat monasterium Mediolanense, quod eodem fere tempore fundatum est, « plenum bonis fratribus extra urbis » moenia sub Ambrosio nutritore fuisse. » In Africa dein S. Augustinus monachos non tantum Episcopis, sed et presbyteris curatis subjecit.

Quum enim Maurinus ille monachus ad indicatum a Rev. Domino S. Ambrosii locum in notula subjecisset (2) : « Hanc institutionem Baronius ad annum 328 ab Eusebio *tum* factam censet, *cum* ab Aegypto ad suos rediit. Sed... nihil prohibet quominus conjunctionem hanc ea legatione *seu reditu ab Aegypto*) priorem arbitremur; » intellexit R. D. Professor hanc legationem seu reditum affigi a Baronio anno 328; quum tamen Baronius ad hunc annum hujus institutionis tantum meminerit, quod ibi de propagatione Ordinis monastici generatim ageret, alibi (3) cum omnibus historicis triginta quatuor annis post dictum annum 328 S. Eusebii legationem et reditum statuens. Quoniam autem non placeret D. Le Nourry strictiorem cleri Vercellensis disciplinam anno 362 postponere, quum jam vulgo anno 355 anteponitur (4), recte annotavit nihil impedire quominus vitae clericalis cum monastica conjunctio, a S. Eusebio procurata, ante annum 362 statuatur. Contra R. D. Verhoeven, reputans ex sententia Le Nourry hanc conjunctionem ante annum 328 figi posse, et ex altera parte memoria adhuc tenens secundum Vallarsium S. Athanasii Romanum iter anno 339 contigisse, hinc deduxit« ex sententia multorum, *id est D. Le Nourry,* monachorum Ordinem in Italia primum institutum esse opera S. Eusebii. » Sed brevibus ostendemus fieri non posse ut ante annum 328 S. Eusebius clerum Vercellensem ad regularem disciplinam informarit, et *multos* istos scriptores, quos laudat R. D. Verhoeven, nuspiam reperiri. Etenim, quemadmodum ex S. Eusebii Vita colligitur, in pueritia sua anno 310 a S. Eusebio Papa Romae baptizatus fuit (5), et, ut traditur a S. Hieronymo, anno 370 diem obiit (6), post diu exantlatas aerumnas ut Martyr ab Ecclesia dici meruerit; quocirca non immensam egisse vitam reputandus est. Praeterea traditur a hagiographo lectorem et presbyterum Romanum et demum Episcopum Vercellensem ordinatum fuisse a S. Julio I Papa (7), qui Petri cathedram ab anno 336 usque ad annum 352 occupavit. Quum itaque haec ita inter se cohaererent, ut nihil in iis occurrat quod suadeat a vita S. Eusebii discedere, manifesto impossibile est ut is clerum Vercellensem ad monasticam seu regularem vitam ante annum 328 traduxerit, qui inter annum 336 et 352 Episcopus Vercellensis fuit creatus.

(1) Confess. lib. 8, cap. 6, tom. 1 opp. col. 130 edit. Maurin.

(2) Opp. S. Ambrosii, tom. 2, col. 1038.

(3) Annal. eccles. ad annum 362, num. 182, tom. 5, pag. 109, edit. Mansi.

(4) Tillemontius, Mémoir. ecclés. tom. 7, part. 2, S. Eusèbe, art. 2, vol. 20, pag. 931, edit. 1715. D. Ceillier, Hist. génér. des auteurs sacrés, tom. 5, pag. 439.

(5) Cfr. Tillemontius, Mémoir. ecclés. tom. 7, part. 2, S. Eusèbe, art. 1, vol. 20, pag. 917.

(6) Ibid. art. 16, pag. 979.

(7) Ibid. art. 1, pag. 927.

Porro, licet tria exempla peculiaria parum faciant ad disciplinam generalem comprobandam, ne tamen certamen vitasse videamur, illa ad trutinam revocanda censemus. Imprimis profecto erroneum est « referri a S. Ambrosio monasterium Vercellense *sub disciplina fuisse S. Eusebii Vercellensis.* » Verumtamen, licet id non referat S. Ambrosius, lubentes hoc concedimus, quoniam Vercellense monasterium nil aliud erat quam presbyterium Vercellense, quod nunc capitulum cathedrale nuncuparemus, quodque S. Eusebius ad vitam monasticam traduxerat. Ea verba S. Ambrosii, ad quae

Affirmamus deinde *multos* istos scriptores, qui invocantur, apud Rev. Dominum solum exsistere; sed eos, quos adivimus, vel nude cum S. Ambrosio tradere, a S. Eusebio primum in Occidentis partibus *vitam clericalem cum monastica fuisse conjunctam*, vel simul expresse asserere jam antea in Italia exstitisse monasteria. In quibus affirmandis ne videamur mera verba dare, ipsos auctores indicabimus, Baronium (1) scilicet, Spondanum (2), Natalem Alexandrum (3), Fleurisium (4), Tillemontium (5), Berrault-Bercastel (6), Delsignore (7), Galandium (8) Ceillier (9), Mabillonium (10), Holstenium seu Possinum (11), Thomassinum (12), Lecuy (13), Muratorium (14), Hélyot (15), Butlerum (16), Saccarellum (17) aliosque. Brockie (18) praetermitto, quum in ejus dictis vel naevus typographicus vel contradictio lateat.

(1) Annales eccles. cum critice Pagii ad annum 328, num. 22, tom. 4, pag. 215, edit. Mansi.

(2) Ann. eccles. ad annum. 328, num. 4, tom. 1, pag. 375, edit. 1660.

(3) Hist. eccles. saec. IV, cap. 5, art. 9, tom. 4, pag. 263, edit. Mansi.

(4) Hist. eccles. liv. 13, num. 14, tom. 2, pag. 476, edit. 1777.

(5) Mém. ecclés. vol. cit. art. 2, pag. 931.

(6) Hist. eccles. liv. 8, tom. 2, pag. 173, edit. Gand. 1829.

(7) Institut. hist. eccles. cum notis Vincentii Tizzani, cap. 5, §. 15, tom. 1, pag. 255, Romae 1839.

(8) Bibliothec. veter. Patrum, tom. 5, proleg. pag. 13.

(9) Hist. génér. des auteurs sacrés, tom. 5, pag. 439.

(10) Annal. Benedict. lib. 1, num 9, tom. 1, pag. 5.

(11) Codex regular. monastic. edit. Brockie, tom. 1, praef. cap. 2, pag. 9.

(12) Vet. et nov. discipl. eccl. part. 1, lib. 3, cap. 4, num. 2, tom. 1, pag. 627.

(13) Biographie univers. v. *Eusèbe de Verceil*, tom. 13, pag. 528, Paris, 1815, etc.

(14) Antiquit. italic. med. aev. Dissertat. 65, de monaster. erect. et monachor. institutione, tom. 13, col. 171 et seqq. edit. 1778.

(15) Hist. des ordres relig. tom, pag. 13.

(16) Vies des Pères, des Martyrs, etc. S. Eusèbe, 16 décemb.

(17) Histor. ecclesiast. ad a. num 341, num. 22, tom. 5, pa. 228, Romae, 1777.

(18) Codex regular. monast. ed. Brockie, tom. 1, praef. cap. 3, nu. 25, pag. 13.

illudit R. D. Professor, et quae sanctus Mediolanensis Antistes post obitum S. Eusebii ad clerum Vercellensem scripsit (1) : « Quod si in aliis Ecclesiis tanta suppetit ordinandi Sacerdotis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, ubi duo pariter exigi videntur ab Episcopo, monasterii continentia et disciplina Ecclesiae? *Haec enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctae memoriae conjunxit, ut et in civitate positus instituta monachorum teneret et Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.* Multum enim adjumenti accedit ad Sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiae et ad normam integritatis juventutem adstringat, et versantes intra urbem abdicet usu urbis et conversatione.... (2) Haec igitur patientia in monasterii coaluit usu et durioris observationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Namque haec duo in attentiore Christianorum devotione praestantiora esse quis ambigat, *clericorum officia et instituta monachorum?* » Sed quid, quaeso, ad praesens argumentum facere potest capitulum cathedrale, secundum monasticas leges institutum? Quis, nisi Episcopus, dum ipsemet monachus est, caput foret ejuscemodi capituli cathedralis?

2. Secundum exemplum suum desumit R. D. Professor a monasterio Mediolanensi, eodem fere tempore, ut vult, ac Vercellense fundato (*a*) : de cujus monasterii regimine bis S. Augustinus loquitur. In libris Confessionum, quæ Mediolani viderat et expertus fuerat, studiose referens (3) : « Erat

(*a*) Re quidem vera tradit Ughellus (4) monasterium Mediolanense fundatum fuisse a Mirocle, id est ante annum 313 (5), sed nullo fundamento haec niti affirmant Saxius (6) et Mabillonius (7). Sane multo certior est Muratorii (8) sententia, qui ex apertis verbis S. Gregorii Turonensis (9);

(1) Epist. 63, alias 82, vel. 25, tom. 2 opp. col. 1038, edit. Maurin. 1690.

(2) Ibid. col. 1039.

(3) Lib. 8, cap. 6, tom. 1 Opp. col. 150.

(4) Italia sacra, Mediol. Archiep. num. 8, tom. 4, pag. 40, edit. 1719.

(5) Ibid. et ap. Mabillonium, Act. SS. Ord. S. Bened. sacc. 1, praef. §. 1, pag. 7 et seqq.

(6) Series Archiepisc. Mediolan. tom. 1, pag. 49.

(7) Annal. Bened. lib. 1, num. 9, tom. 1, pag. 5.

(8) Antiquit. Italiae, dissert. 65, tom. 13, col. 171 et seqq. Arretii 1778.

(9) Hist. Francor. lib. 1, in fine et lib. 10, cap. 31. Biblioth. max. Patrum Lugdunensis, tom. 11, pag. 718 et pag. 813.

monasterium, inquit, Mediolani plenum bonis fratribus extra urbis moenia sub Ambrosio nutritore; » et in libro de Moribus Ecclesiae (1) : « Vidi ego diversorium sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus unus presbyter praeerat, vir optimus et doctissimus. » De presbytero monachis praefecto alibi dicemus. Quod autem istud monasterium dicitur sub Ambrosio nutritore fuisse, non video hinc sequi monachos omnino subjectos fuisse Episcopo, ita ut in his quae ad Regulam pertinerent magis obedire deberent S. Ambrosio, quam suo Abbati aut presbytero; quod si etiam daretur, quid ex singulari specimine, ubi Episcopum nutritorem monasterii cernimus, colligi queat ad generalem disciplinam stabiliendam, non omnes satis perspicient; demum nunc etiam plura monasteria sunt subjecta Episcopis, quin tamen monachi in his, quae ad regularem disciplinam pertinent, obedire magis debeant Episcopis quam Abbatibus suis.

3. Tertium demum affert exemplum Rev. Dominus : « In Africa, inquit (2), S. Augustinus monachos non tantum Episcopis, sed et presbyteris curatis subjecit. » Quod duplex assertum cum historica veritate aperte pugnare ostendemus. Nam, ut ea quae ad presbyteros curatos pertinent, seorsim examinanda reservemus, constat ex Concilio Carthaginensi anni 525, inferius referendo, in Africa *omnia omnino monasteria semper fuisse a conditione clericorum*, id est ab imperio Episcopi, *modis omnibus libera, sibi tantum et Deo placentia;* adeoque pro hac asserenda libertate invocatum fuit in isto

S. Sulpicii Severi (3) et Paulini Petricordii (4), quibus addere potuisset Sozomenum (5), constructionem suburbani Mediolanensis monasterii adscribit S. Martino Turonensi, qui illuc post exilium S. Hilarii seu post annum 356 (6) appulit. Sin autem minus placet Muratorii sententia, qui monasterium Mediolanense, quod tempore S. Ambrosii exstabat, a S. Martino constructum sentit, superest ut ejus aedificatio tribuatur S. Ambrosio (7); in qua sententia multo magis disceditur ab anno 328.

(1) Cap. 33, tom. 1 Opp. col. 711.
(2) Pag. 14.
(3) Vit. S. Martini, cap. 4, Bibl. maxima Patrum Lugd. tom. 6, pag. 350.
(4) Vit. S. Martini, lib. 1 Bibl. max. Pat. Lugd. tom. 6. pag. 300.
(5) Histor. eccles. lib. 3, cap. 14, pag. 522, Moguntiae, 1677.
(6) Baronius, Annal. eccles. ad an. 356, num. 109, tom. 4, pag. 387 edit. Mansi.
(7) Cfr. Saxius, series Episcop Mediolan. tom. 1, pag. 88 et 182

Concilio S. Augustini testimonium. Quum autem S. Augustinus vitam coenobiticam primus in Africam introduxisse viderur (1), satis verisimile est id ab eo fuisse factum secundum exemplar Mediolanense, quod adeo miratus erat : unde denuo intelligere datur, quomodo Mediolanense monasterium sub Ambrosio nutritore satis independens esset. Hinc tamen non negamus a SS. Ambrosio et Augustino suppleri potuisse praepositorum negligentiam, ut Archiepiscopi supplere poterant negligentiam Episcoporum.

4. Ast tempus jam est paulo nitidius veterem libertatem monachorem exponere.

Van Espen, qui Episcoporum auctoritatem ultra limites extendit, ut difficultates regularibus crearet (2), pristinam tamen monachorum conditionem ita describit (3) : « Quum monachi non de clericorum, sed laicorum (*seu potius media*) sorte essent, etiam Episcopis non aliter quam reliqui laici subdebantur : nec in ipsos majorem quam in caeteros laicos auctoritatem primis saltem tribus saeculis Episcopi habuisse videntur : nec canon aliquis reperitur, qui eos primis illis saeculis peculiari ratione Episcopis subjecerit, aut aliquam nominatim in monachos auctoritatem Episcopis dederit. » Idem tradunt auctores Novi Tractatus de re Diplomatica in hac ipsa de exemptionibus regularium dissertatione, quam laudavit Pius VI in apostolicis litteris (4), quibus constitutionem civilem Cleri damnavit; juvat ipsa verba gallica referre : « Suivant la plus ancienne discipline, inquiunt (5), le gouvernement des abbayes fut abandonné aux supérieurs réguliers. » Quibus praeiverat Franciscus de Roye, doctissimus jurisconsultus, scribens (6) : « Quum olim monachi ex primaeva origine essent omnino liberi et exempti a potestate et jurisdictione dioecesanorum Episcoporum ; eo tandem fluxit ecclesiastica disci-

(1) Act. Sanct. ad 16 Octob. Commentar. praev. ad Passion. SS. Martiniani et soc. § 3, num. 20 et seqq. pag. 829 et seqq.

(2) Revue Cathol. de Louvain, nov. 1846, pag. 499, Critique du discours de M. de Bavay, par M. Verhoeven.

(3) Jus eccles. univ. tit. 12, *de exemptione*, cap. 1, num. 7, tom. 2 Opp. pag. 407, edit. 1753.

(4) Breve *Quod aliquantum differre*. Collect. Brevium, tom. 1, pag. 90, edit. Belgic. 1800.

(5) Nouv. traité de diplomat. tom. 5, pag. 376.

(6) De missis dominicis, cap. 7, in Nouv. Traité de diplomat. tom. 5, pag. 378.

plina, ut iis jure communi subjaceant. » Quod quidem satis liquet tum ex vetustissima disciplina Africana, quam modo invocavimus, tum ex querelis S. Basilii quod nullum Episcopis esset adminiculum corripiendi pravos monachos, quandoquidem absque ulla solemnitate propositum monasticum amplexi fuerant, tum potissimum ex litteris S. Hieronymi (1), Ecclesiae Doctoris et Bethleemitici monachi, quae libertatem arguunt quali ne nunc quidem gaudent regulares exempti.

5. « Verum, inquit Espenius (2), quum, multiplicato monachorum numero et per varias regiones exstructis monasteriis, ipsi monachi a reliquo populo externo vitae genere magis continuo distingui et insuper ecclesiasticis negotiis ac Ecclesiae regimini se immiscere coeperunt; visum fuit monachos, tamquam a reliquo populo singulari vivendi ratione sejunctos, et Deo ac religioni specialiter consecratos, Episcopis amplius subjicere; ipsisque Episcopis in monachos et monasteria ampliorem auctoritatem attribuere. »

« Id primum, sic pergit (3), in Synodo Chalcedonensi a piissimo Imperatore Marciano suggestum fuit. »

Allegat Rev. Dominus canonem, qui tunc conditus fuit : « Oecumenica Synodus Chalcedonensis, inquit (4), habita anno 451, constituit (5) : « Monachos vero per unamquamque civita-
» tem aut regionem subjectos esse Episcopo, et quietem dili-
» gere, et intentos esse tantummodo jejunio et orationi, in
» locis in quibus renuntiaverunt saeculo permanentes; nec
» ecclesiasticis vero, nec saecularibus negotiis communicent,
» vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes;
» nisi forte his praecipiatur (*seu* permissum fuerit *secundum*
» *versionem Gentiani Herveti, quam laudat Espenius* (6),)
» propter opus necessarium ab Episcopo civitatis. »

Ast tria hic omittit adversarius : primo non indicat hunc canonem per se nullius roboris fuisse in Ecclesia Latina; dein

(1) Lib. contra Joannem Jerosolym. ad Pammachium, num. 41 et seqq. Opp. S. Hieronymi edit. Vallarsii, tom. 2, col. 451 et seqq. item epist. 82 ad Theophilum, num. 8, tom. 1, col. 517 et seqq. Cfr. Epist. S. Epiphanii ad Joannem Jerolymit. interpr. S. Hieronymo, tom, 2 Opp. S. Epiphanii, pag. 312 et seqq. Coloniae 1682.

(2) Cap. cit. num. 8.

(3) Ibid. num. 19.

(4) Pag. 14.

(5) Can. IV, Acta Concil. Harduini, tom. 2, col. 602.

(6) Cap. cit. num. 10.

ilet adversus quos hic canon conditus sit, licet inde verus ejus sensus peti debeat; et tertio demum verba, quae ad monachorum aestimationem faciunt, nullatenus profert. Quas omissiones operae pretium videtur supplere.

Quod enim ad primum caput attinet, sententia longe communior et probabilior est nullum canonem disciplinarem Chalcedonensem a S. Leone Magno fuisse comprobatum. De qua re Catalanus, pro more suo Christiani Lupi in Concilia commentarios usui suo apponens, sic scribit (1): « Sequi et in hac controversia lubet opinionem clarissimorum virorum Baronii, Bellarmini, Binii, Lupi et aliorum complurium, ajentium aequaquam fuisse memoratos canones a S. Leone Magno confirmatos, sed robur tantum habuisse, quatenus a Romanis deinde Pontificibus, vel aliis Conciliis renovati essent; » quod multis dein probat. Quocirca non invocanda est Chalcedonensis Synodus, sed adeunda sunt decreta Pontificum et posteriorum Conciliorum statuta, quibus hic canon renovatus fuit. Nos latet insuper secundum quae principia adversarius Chalcedonense Concilium, *de rebus disciplinaribus agens*, nuncupet *oecumenicum*, quum ei utique notum sit vetuisse S. Leonem, ne de aliis rebus quam de dogmatibus fidei in eo agerentur (2), et canones, ibidem conditos, ab Episcopis Graecis, post discessum legatorum studiose vafreque subsistentibus, furtim subscriptos fuisse (3).

Secundo loco, occasionem conditi hujus canonis excipiamus etiam a Catalano, iterum Christiani Lupi vestigia premente : « Improbum, inquit ille (4), Dioscori satellitem et Eutychianorum Archimandritam, Barsumam, occasionem huic canoni sanciendo praebuisse docet nos Actio quarta Concilii Chalcedonensis : ibi enim dicitur, ipsum non modo occidisse sanctissimum Praesulem Flavianum, sed etiam una cum suis adversus Episcopos conspiravisse ; » adeoque ab eo eversam fuisse totam Syriam, et mille monachos, Eutychetis asseclas, adversus Episcopos ab eo ductos fuisse, ut eos e sedibus suis pellerent et Monophysitas eis substituerent, quasi universum Ecclesiae regimen penes ipsos fuisset. Et quidem haec indi-

(1) Concil. oecumen. illustrat. tom. 1, pag. 270.
(2) Epist. 106, cap. 3, epist. 119, p. 5, tom. 1 opp. col. 1163 et 1217, edit. FF. Ballerin.
(3) Catalanus Concil. oecumenic. illust. tom. 1, pag. 239.
(4) Ibid. pag. 288.

cantur in verbis canonis, a Rev. Domino omissis : « Quoniam vero, (haec sunt canonis verba), quidam utentes habitu monachali ecclesiastica negotia civiliaque conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, necnon et monasteria sibi instituere tentantes, placuit quidem nullum usque aedificare aut constituere monasterium, (*ergo antea non erat vetitum*), vel oratorii domum, praeter conscientiam civitatis Episcopi : monachos vero, etc. » ut supra.

Omittit insuper Rev. Dominus verba, quibus incipit et desinit canon, et quae ita sonant : « Qui vere et sincere singularem (*seu monasticam*) sectantur vitam, competenter honorentur.... Verumtamen Episcopum convenit civitatis competentem monasteriorum providentiam gerere; » ub vocabulum *verumtamen* opponitur subjectioni monachorum praeceptae sub anathemate. Ad quae postrema verba annota Catalanus (1), Episcoporum tunc fuisse sua sollicitudine a providentia monachis ita prospicere, ut non modo necessaria parce et ad scrupulum, sed etiam *large*, ut habent Concilia praeberentur; et laudari S. Joannem Chrysostomum a Sozomeno (2) quod « sollicite procuraret, ut monachi necessaria haberent et a nemine laederentur. » Saepissime autem contrarium in usu fuisse, et proin non inutiliter hunc canonem latum esse, ex alibi dicendis satis apparebit.

Verum, etiamsi haec omnia mittamus, quis non videri nequaquam ex hoc canone sequi, monachos magis obedire debere Episcopo quam Abbati in his quae ad statuta Regulae pertinent? quae tamen unica proposita quaestio est.

6. Neque magis id elicitur ex canone XIX Concilii Aurelianensis I seu anni 511, quo statuitur, ut Rev. Dominus habet (3) : « Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant; et, si quid extra Regulam fecerint, a Episcopis corrigantur : qui semel in anno in loco, ub Episcopus elegerit, accepta vocatione, conveniant (4). » Contra sequentia hujus canonis verba, omissa a Rev. Domino subdunt omnino monachos Abbatibus, non vero Episcopis sonant enim : « Monachi autem (*vox* autem *oppositionem*

(1) Ibid. pag. 297.
(2) Hist. eccles. lib. 8, cap. 9, pag. 312.
(3) Pag. 15.
(4) Harduini Acta Concil. tom. 2 col. 1011.

ndicat ad Abbates, qui Episcopis subjiciebantur), monachi autem Abbatibus omni se obedientiae devotione subjiciant. Quod siquis per contumaciam exstiterit indevotus, aut per oca aliqua evagari, aut peculiare aliquid habere praesumserit; omnia quae acquisierit, ab Abbatibus auferantur, ecundum Regulam monasterio profutura. Ipsi autem, qui uerint pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio Episcopi amquam fugaces sub custodia revocentur. Et reum se ille bba futurum esse cognoscat, qui in hujusmodi personas non regulari animadversione distrinxerit, vel qui monachum usceperit alienum. » Omnino adhuc obtinet hodiedum universa haec disciplina, licet monachi teneantur Abbati magis quam Episcopo obedire in his, quae ad disciplinam regularem pertinent.

Concilium Aurelianense II anni 533, quod dein objicitur (1), non magis ad rem facit, quum de solis Abbatibus tatuat (2) : « Abbates, qui Episcoporum praecepta despiiunt, ad communionem nec penitus admittantur, nisi contumaciam, suscepta humilitate, deponant. »

Canon II Concilii Arelatensis V anni 554, continuo post ab dversario (3) allegatus, constituit (4) : « Ut monasteria vel monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta, » non vero ad alium Episcopum, ut observabatur in Africa et dein, etiam post hoc Concilium Arelatense, nonnumquam in Gallia, Belgio et Italia; adeo ut hic canon vim legis non habuerit. Praeterea nihil in hoc decreto reperitur, quod ad praesentem quaestionem faciat.

Concilium Vernense anni 755, quod dein adducit Rev. Dominus (5), decrevit (6) : « Ut monasteria tam virorum quam puellarum secundum ordinem regulariter vivant; et, si hoc facere contempserint, Episcopus in cujus parochia (*id est dioecesi*) esse videntur, hoc emendare debet. » Hactenus adversarius; sed Concilium dein Episcopo adimit validiora ejus jurisdictionis adminicula, ut ea ad synodum provincialem transferat. Subdit nempe : « Vel, Episcopo non valente,

(1) Pag. 15.
(2) Can. XXI, Harduini Act. Concil. tom. 2, col. 1176.
(3) Pag. 15.
(4) Harduini Act. Concil. tom. 3, col. 328.
(5) Pag. 15.
(6) Can. V, Harduini Act. Concil. tom. 3, col. 1995.

Metropolitanus; vel denique synodus, quae bis singulis annis fieri praecipitur. Si vero illi synodum non audierint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur; et tales in eorum loco in ipsa synodo constituantur cum voluntate Regis et consensu servorum Dei, id est aliorum monachorum, *qui ipsum gregem secundum ordinem sanctum regant* (1). » Ex quibus ultimis verbis denuo liquet totum hunc canonem ad supplendam negligentiam Abbatum pertinere.

Demum Concilia Arelatense VI anni 813 et Aquisgranense II anni 836 hortantur Episcopos ad disciplinam regularem in monasteriis promovendam, decernitque Aquisgranense Abbates et priores cellis praepositos (ut ex contextu colligitur) Episcopis mancipandos esse; sed nihil ibidem reperitur quod ad praesentem a Rev. Domino motam difficultatem faciat.

7. Allegat dein R. D. Professor Romanorum Pontificum diplomata, primoque loco producit (2) epistolam S. Gregorii Magni ad Vitalem, Defensorem Sardiniae. Ast haec eum pars praeteriit, ex qua clare patet potissimum curasse S. Gregorium, ne monasteria opprimerentur. En textus integer S. Gregorii, prout in ejus Regesto (3) et in Decreto Gratiani (4) occurrit : « Cognovimus etiam quod monasteria servorum Dei vel etiam feminarum pro suo quisque libitu et diversarum causarum exsecutione perturbent : quod omnino graviter suscepimus, tuamque experientiam ex hoc commonemus ne quemquam hoc usurpare denuo accepta nostra auctoritate permittas : sed (*hic incipit citatio Rev. Domini*) Episcopis loci, sub cujus degunt moderamine, curae sit eorum causas utilitatesque disponere. Valde enim est incongruum ut, omisso eo, alius quilibet eorum causis se admisceat; sed ille eorum vitam competenti regularique debet moderatione disponere, qui pro commissis eorum sibi animabus compellitur reddere rationem. »

8. Exhibet continenter post R. D. Professor fragmentum epistolae ejusdem Pontificis (5) ita luxatum, ut nullatenus mentem S. Gregorii referat : quocirca integrum lectori

(1) Cfr. Mabillonius, Annal. Benedict. lib. 23, num. 18, pag. 164.
(2) Pag. 16.
(3) Lib. 9, epist. 64, tom. 2 Opp. col. 981.
(4) Caus. 18, q. 2, cap. 19, *Cognovimus.*
(5) Pag. 16.

sistemus locum hujus epistolae, quae apud Maurinos editores summatur his verbis : *Monasterio Sanctorum Johannis et Stephani multa concedit privilegia.* Exorditur itaque S. Gregorius effundendo querelas de illatis ab Episcopis Ravennatensibus Classitano monasterio gravaminibus, et dein sequentia praecipit (1) : « Nullus igitur ultra audeat de reditibus vel chartis praedicti monasterii, vel de loco aliquo, qui ad ipsum pertinet, quocumque modo qualibet exquisitione minuere, nec immissiones vel dolos aliquos facere, sed siqua forte causa inter Ravennatem Ecclesiam et praefatum monasterium evenerit, et pacifice non potuerit ordinari, apud delectos a partibus timentes Deum, sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Evangeliis, finiatur. Defuncto vero Abbate, non extraneus nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate congregatio elegerit, et qui electus fuerit sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur : quod si aptam inter se personam invenire nequiverint, solerter de aliis monasteriis sibi similiter eligant ordinandum. Neque venienti Abbati quaecumque persona qualibet occasione in suo monasterio praeponatur, nisi forte exstantibus, quod absit, criminibus, quae sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, ut, invito ejusdem monasterii Abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Sed, si abundantes fuerint et ad celebrandas Dei laudes vel utilitates monasteriorum complendas sufficiant, Abbas cum devotione de his, qui superfuerint, offerat, quos dignos coram Deo invenire potuerit. Quod si sufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennas Episcopus ad ordinanda alia monasteria de his, qui supersunt, tollat. Ad ecclesiasticum tamen officium nullus exinde producatur, nisi quem Abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex praedicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem (*foris obeundum*) pervenerit, ulterius illic nec aliquam habeat potestatem, nec licentiam habeat habitandi. Observandum quoque est, ut descriptio rerum aut chartarum ejusdem monasterii ab ecclesiasticis fieri non debeat, siquando res exigit : sed Abbas loci cum Abbatibus

(1) Ad Marinianum, Ravennatem episc. lib. 8, ep. 15, tom. 2 Opp. S. Gregorii M., col. 905 et seqq.

aliis rerum inventarium faciat. Quoties autem pro utilitate monasterii sui ad Romanum Pontificem Abbas venire vel transmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat. Praeterea cum Episcoporum adventus desideranter a monasteriis debeat exspectari, quia tamen hospitandi occasione praedictum monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nuntiatum est praegravatum : oportet ut hoc sanctitas vestra decenter debeat temperare, ut (*hic tantum incipit adversarii citatio*) ut visitandi exhortandique gratia ad monasterium quoties placuerit, ab ejusdem civitatis Antistite accedatur. Sed sic caritatis officium illic Episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. (*Hic desinit citatio Rev. Domini.*) Vestram vero fraternitatem praedictus Abbas non solum non metuit ad monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscit : sciens quod per vos substantia monasterii omnino gravari non possit. Data etc. » Videat jam lector an haec S. Gregorii epistola, quae vulgo *exemptio* monasterii Classitani appellatur, ad sententiam R. D. Professoris fulciendam valeat.

9. Sed subdit (1) : « Pelagius et Urbanus II eamdem potestatem Episcopis asseruerunt ; » non indicans neque decreta, neque ubi reperiantur. Ast quum initio hujus numeri scripserit citanda « Pontificum decreta in Corpore juris contineri (2), » nullus dubito quin indicare voluerit Causae XXVIII. Quaest. II, canonem 30, *Eleutherius* et canonem 31, *Servitium,* in quorum priore statuitur « non debere Episcopum aliquid pecuniae a monasterio exigere praeter conditiones, quae dedicationis tempore constitutae sunt ; » et in altero conceditur Episcopis « servitium (*agitur iterum de pecunia aliisque temporalibus rebus*), quod monasteria aut eorum Ecclesiae a tempore Gregorii VII usque ad hoc tempus fecerunt. »

Manifestum est parum recte talia citari, quum demonstrandum est monachos non exemptos magis obedire debere Episcopo quam Abbati, in his quae ad statuta Regulae pertinent ; neque apte asseri eadem, quae a S. Gregorio M., a Pelagio et Urbano II constitui, quum ille omnem pecuniariam exactionem vetabat, hi pecuniam aliquam ab Episcopo accipi et exigi permittunt.

(1) Pag. 16. (2) Loc. cit.

Insuper, judice Carolo Berardo (1), prior canon, Pelagio I vel II adscriptus, incertae omnino originis est, adeoque « ipse stylus et sermo parum politus, caeterisque Pelagii I vel II monumentis prorsus inconveniens, posteriorem auctorem fuisse indicat. » Inserit dein Berardus quaedam aperte falsa, ut ex alibi dicendis liquebit, de novitate exemptionum, et pergit : « Id ipsum ostendunt conditiones, quae ibidem memorantur adjectae tempore dedicationis monasterii, juxta quae dicuntur privilegia quaedam aut jura concessa monasterio fuisse. Ast hae fundationum conditiones post octavum saeculum fieri demum consuevisse nemo ignorat, qui in monasteriorum juribus discernendis vel mediocriter versatus est. » Conditiones scilicet, de quibus agitur, hae erant ut ex his, quae die dedicationis vel natalis Martyrum, monasterii patronorum, fideles elargiti fuerint, medietas penes monasterium foret et altera medietas Episcopo offerretur. Equidem fateor nuspiam a me repertas in diplomatibus horum temporum easdem prorsus conditiones ; sed occulendum non est similes non ita raro occurrere, v. g. ut Episcopus semel tantum in anno cathedram suam in monasterio, id est ecclesia, poneret ; hinc semel tantum reciperet jus, dictum cathedraticum ; seu etiam ad prandium cum suis adhiberetur. Praeterea dubium nullum est quin jam ineunte saeculo VI lites exstiterint Episcopos inter et monachos de oblationibus fidelium. Canone enim III concilii Ilerdensis, in Hispania Tarraconensi anno 546 (2) celebrati, vetitum est (3) ne ea, quae in jus monasterii a fidelibus de facultatibus suis offerebantur, in nullo, dioecesana lege, ab Episcopis contingerentur : ferebat enim lex dioecesana, quemadmodum ex concilio Carpentoractensi anni 527 intelligimus, ut si Episcopus minus facultatum habuerit, parochiis vero largior fuerit collata substantia, hoc tantum quod clericis et sartis tectis rationabiliter suffecerit reservato, reliquum Episcopo concederetur (4). Quod si easdem, ut dixi, Episcopos inter et monasteria pactas conditiones nuspiam reperimus, certum tamen ex

(1) Gratiani canon. genuini ab apogryphis discreti, part. 2, tom. 1, pag. 510.

(2) España sagrada, tom. 46, pag. 170 et seqq.

(3) Collect. Concil. Labbe, tom. 4, col. 1611.

(4) Ibid. tom. 4, col. 1663 et seq.

S. Gregorio Magno testimonium habemus non insolitum tunc temporis fuisse ut de eis presbyteri plebani seu parochi cum monasteriis paciscerentur. Scribit enim ad Stephanum Chartularium (1) : « Asserit autem praedictus Abbas (monasterii S. Georgii, siti in massa seu manso Marato) presbyterum praedictae massae novas monasterio ipsi velle imponere consuetudines, quae ex tempore conditi monasterii per triennale tempus hactenus non fuerunt : siquidem siquid Deo illic munificentiae gratia a fidelibus viris oblatum fuerit, portionem se asserat debere percipere. Quod magnitudo vestra studeat diligenter agnoscere : *et si hoc ab initio non fuit,* etiam labentibus temporibus aliud noviter imponi non concedat. » Quamobrem nihil video in recitatis conditionibus, quod moribus saeculi VI adversetur, et proin ex hoc capite non ausim canonem *Eleutheriuus* spuriae originis accusare; sed argumentum pro decreti falsitate, ex rescripti forma et stylo petitum, cum Carolo Berardo inconcussum arbitror.

Non est quod inhaeream textui, quem Rev. Dominus Urbano II attribuit; quum extra omnem controversiam positum sit eum non esse hujus Pontificis, sed depromptum ex canone XIX Concilii Lateranensis, celebrati sub Paschali II, quemadmodum clare ostendit Berardus (2).

10. Ultimo loco refert adversarius cum Halliero fragmentum epistolae Innocentii III, qui Archiepiscopo Auxitano rescripsit, « quatenus monachos, canonicos et alios regulares suae provinciae vagantes *auctoritate sua comprimeret, et ex consilio Abbatis eos in disciplina regulari contineret;* quod si praelati eorum post ipsius commonitionem exsequi negligenter omitterent, per suspensionem officii et beneficii, et appellatione remota, compelleret. »

Verum in errorem inductus fuit ab Halliero Rev. Dominus; nam textus ille per additionem et detractionem plurimum luxatus est, ita ut ea, quae alio charactere hic descripta sunt, non veniant ex calamo Innocentii III, quemadmodum lector videre poterit legendo ipsam epistolam, quae est LXXX libri I

(1) Lib. 2, epist. 28, tom. 2 Opp. S. Gregorii M., col. 590.

(2) Op. cit. part. 2, tom. 2, pag. 445 et ultimo tomo, pag. 561.

hujus Pontificis (1), seu decretalem, quae hinc desumpta est et inserta Corpori Juris (2).

His praemissis, lectorum oculis sistimus secundum Paulum Laymannum (3) historiam et mentem hujus pontificii rescripti : « Religiosi quidam, inquit, quum pecuniam collegissent ex reditibus beneficiorum, quae, ut obedientiarii, administraverant, a claustro se subducentes, in principum ac potentum virorum curiis vagabantur. Eo intellecto, Innocentius III scribit Archiepiscopo Auxitano, si tales in provincia sua repererit, quod monere debeat Abbates, ut illos ad claustrum reducant, et quae ut propria possidebant, in manibus ipsorum resignent, convertenda in utilitatem monasterii, secundum eorumdem Abbatum consilium. Sin autem Abbates post monitionem id facere neglexerint, tum ipsemet Archiepiscopus, tamquam ordinarius loci, monachos per suspensionem officii ac beneficii, ad ea quae dicta sunt, remota appellatione compellat. » Dein in hoc caput, collatum cum Clement. 1 § *Quia vero, De statu monachorum,* sequentia tradit Laymann cum universis fere juris canonici Doctoribus : « I. Quae religiosus etiam propria parsimonia acquirit, absque praelati rationabili licentia servare non potest. II. Correctio regularium primo loco ad Abbatem aliumve praepositum regularem spectat, eoque negligente, ad Episcopum. III. Exempti regulares in omnibus causis criminalibus subsunt jurisdictioni et correctioni praelatorum regularium, exceptis quibusdam specialibus casibus. IV. Regulares non exempti duos superiores habent, Ordinis praelatum et Episcopum; *illi quidem ratione voti obedientiae in iis, quae regularem observantiam et disciplinam concernunt; huic autem subsunt, ut alii clerici legi jurisdictionis.* » Haec ex genuino Innocentii III rescripto eruunt canonistae; ex corrupto autem nihil stabiliri posse res evidens est.

Concludit nihilominus R. D. Professor (4) : « Haec sane tot Conciliorum et Summorum Pontificum canones et decreta probant abunde, SEMPER Ecclesiae mentem fuisse, monachos et regulares, seclusis privilegiis, Episcopis dioecesium, in qui-

(1) Regest. Innocentii III, edit. Baluzii, tom. 1, pag. 44.

(2) *De officio judicis ordinarii,* cap. VII. *Quanto,* (lib. I, tit. 31).

(3) Commentar. in tres priores libros decretalium, tom. 1, pag. 707 et seqq.

(4) Pag. 16.

bus degunt, *subjectos esse quoad observantiam disciplinae regularis.* » De Rev. Domini probationibus satis diximus, ut nihil hic animadvertendum supersit. Ast, quod vix intelligimus, ad ostentendum revera *semper* hanc Ecclesiae fuisse mentem, invocat auctoritatem Cardinalis de Petra, qui quidem tradit hanc *aliquando* Ecclesiae fuisse disciplinam, sed subdit (1) : « Licet in his institutis (*regularibus*) inceperint postea (*regulares*) praelatis regularibus esse subditi, scilicet circa disciplinam regularem. »

11. Ex his, quae hactenus de adversarii probationibus disseruimus, concedet facile quotusquisque sincerus lector, nequaquam a Rev. Domino ostensum fuisse, monachos non exemptos in his, quae ad statuta Regulae pertinent, magis Episcopis quam Abbatibus suis obedire debere.

Haec tamen non scripsimus, quasi mens nostra esset praesentem in hoc negotio disciplinam semper, ubivis et ab omnibus servatam fuisse. Quum enim per canonem IV Chalcedonensem data fuisset Episcopis aliqua in monachos auctoritas : atque hic canon in Hispania (2) servandus praescriptus esset, fuere nonnulli Episcopi, qui se non tantum praelatos regulares sed et dominos monachorum factos crediderint. Hinc, ut habet Concilium Toletanum IV anni 633 (3), « nuntiatum est praesenti Concilio, quod monachi episcopali imperio servili operi mancipentur, et jura monasteriorum contra constituta canonum illicita praesumptione usurpentur; ita ut paene ex coenobio possessio fiat, atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutemque perveniat. Quapropter, sic pergunt Patres Toletani, monemus eos, qui ecclesiis praesunt, ut ultra non praesumant; sed hoc tantum sibi in monasteriis vindicent Sacerdotes (*id est Episcopi*), quod praecipiunt canones, id est, monachos ad conversationem sanctam praemonere, Abbates aliaque officia instituere, atque extra Regulam facta corrigere. Quod si aliquid in monachis canonibus interdictum praesumpserint, aut usurpare quippiam de monasterii rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se deinceps nequaquam sustulerint ab illicitis. »

(1) Pag. 17.

(2) Collect. maxima concilior. Hispan. pag. 161 et 166. Matriti, 1784.

(3) Labbe, Collect. Concil. tom. 5. col. 1717.

In hoc autem Toletano canone insigne exemplum habemus, quo plane destruitur principium adversarii : « Monachos in his, quae ad statuta Regulae pertinent, magis Episcopo quam Abbati obedire debere. » Etenim ad statuta Regulae pertinebat labor manuum, qui complectebatur, ut expresse docet Regula Cassiodori (1), « hortos colere, agros exercere et pomorum foecunditate gratulari, » totidem opera servilia; item, ut traditur in Libello Supplici monachorum Fuldensium, Carolo Imperatori anno 811 porrecto, « ipsa monasterii ministeria, id est pistrinum, hortum, braciariarium, coquinam, agriculturam et caetera (2); » insuper pascebant monachi oves (3), colligebant fruges (4), adeoque lapides, calcem et arenam portabant, aedificandis basilicis necessaria (5); demum, ut alia multa omittam (6); Regula S. Isidori, quae in Hispania cum aliis Regulis Orientalibus et Latinis (7) servabatur, omnigena fere opera praescribit monachis (8). Ex his itaque patet Abbatibus licitum fuisse operibus servilibus monachos mancipare, Episcopos vero vetitos, ne idem facerent.

12. Per Capitulare Aquisgranense primum anni 789 (9) in Gallia quoque receptus est canon Chalcedonensis, et jam antea in Synodo Vernensi anni 755 Episcopis potestas facta fuerat (10) « in sua parochia tam de clero quam de regularibus vel secularibus, ad *corrigendum* et *emendandum* secundum ordinem canonicum spiritualem, ut sic vivant qualiter Deo placere possint, » negata tamen censuras ferendi facultate; per capitulare anni 833 (11) jussum est ut Abbates in gubernandis monasteriis regiis libenter Episcoporum monita audirent, quemadmodum in eumdem finem Abbates Hispani ad

(1) Mabillonius, Annal. Benedict. lib. 3, num. 25, tom. 1, pag. 113.

(2) Ibid. lib. 27, num. 83, tom. 2, pag. 369.

(3) Vit. S. Benedicti Anianens. num. 38, saeculi. IV Bened. part. 1, pag. 206.

(4) Conv. Aquisgran. anni 817, cap. 17; Annal. Bened. lib. 28, num. 33, tom. 2, pag. 402.

(5) Notkerus Balbus, cit. a Mabillonio, Annal. Bened. lib. 31, num. 36. tom. 2, pag. 532.

(6) Cfr. Martenius, Comment. in Regul. S. Benedicti, pag. 623.

(7) Mabillonius, Annal. lib. 3, num. 36, tom. 1. pag. 66.

(8) Reg. S. Isidori, cap. 6; Codex Regular. Holstenii, tom. 1, pag. 190 et seq.

(9) Cap. XXII, Baluzii Capitular. reg. Francor. tom. 1 col. 222.

(10) Ibid. tom. 1, col. 169.

(11) Cap. VIII, ibid. col. 635.

Synodum cum saecularibus clericis venire cogebantur (1); quod interdum alibi quoque servatum est; atque haec quidem omnia satis ostendunt Episcopis, eam tunc fuisse in monasteria auctoritatem, qualem fere habent seu potius olim habuerunt Metropolitae in suffraganeorum dioeceses, videlicet eis licuisse praemonere Abbates eisque jubere ut regularem disciplinam sartam tectam servarent, per Abbates monachorum delicta emendare, eisque operam suam negantibus, negligentiam eorum supplere; verum haec non *omnimodam*, ut Rev. Dominus habet (2), eis conferebant auctoritatem in disciplinam regularem, neque faciebant ut monachi in his quae ad Regulam pertinebant magis Episcopo quam Abbati obedire deberent; quandoquidem nunc quoque illa omnia possit Episcopus, quin tamen dici queat monachos in iis, quae ad regularis observantiam disciplinae spectant, Episcopis subesse.

Quum autem Episcopi ea, quam directe in Abbates, indirecte et in casu negligentiae in monachos adepti erant potestatem, mirum in modum abuterentur (3); hinc factum est, ut quam aegerrime sanctissimi viri monasteria conderent absque certis privilegiis (4), vel ea niterentur Regibus aut Pontificibus Romanis subjicere.

Alii tamen Episcopi multo rationabilius auctoritatem suam in subdita sibi monasteria exercebant, recte canonum sensum intelligentes et observantes. Audiamus videlicet Jordanum, Episcopum Lemovicensem, qui in frequenti Concilio Lemovicensi II, habito anno 1031, ita diseruit (5) : « Ago Deo gratias, quia in dioecesi Lemovicensi plura monasteria recto tramite incedunt et boni odoris de se exemplum latius diffundunt... Quantum in oculis omnipotentis Domini ad intercedendum pro salute populorum congregationes valeant servorum Dei, beatus Gregorius, de congregatione sancti-

(1) Concil. Oscens. anni 598, can. 1, Collect. Max. concil. Hispan. pag. 167.

(2) Pag. 12 et seq. 14, 16 et seq., etc.

(3) Cfr. Concil. Romanum v sub S. Gregorii VII, can. 9, Labbe Collect. Concil. tom. x, col. 373; Ep. S. Gregorii VII ad Cunibertum Taurinensem, lib. 2, ep. 69, ibid. col. 120; Concil. Bracarens. ann. 675, can. 7, Labbe, tom. 6, col. 566, etc.

(4) Cfr. responsum S. Lantberti Abbatis Fontanellensis, ad nuntio Episc. Namnet. ap. Mabillonium Annal. Bened. lib. 16, num. 55 tom. 1, pag. 485.

(5) Labbe, Collect. concilior tom. 9, col. 900.

monialium locutus, ostendit, inquiens (1) : « Inter tot Lon-
» gobardorum gladios his nostris temporibus Roma nequa-
» quam subsistere posset, nisi virginum sanctimonialium in
» hac urbe Romana congregationes suis orationibus tantae
» hostilitati resisterent. » Et item (2) : « Ideo inquit, provi-
» dendum nobis monasteriis ancillarum Dei, quatenus eis
» abundanter subsidia ministremus : ne qua forte penuria
» gravatae, a suo proposito vel aliquantulum succumbant. »
Nam monasteria monachorum idem Gregorius per universum mundum libera et quieta esse volebat : ut siquem Episcopum comperisset aliqua ratione ea excommunicare, vel inquietare, graviter in eos vindicaret, quod in epistolis suis facile perspici poterit. Nos quoque monasteria servorum Dei defensa, quieta et tuta esse desideramus, tanti Patris vestigia sequendo. Verumtamen si culpa superbiae, vel inobedientiae in Abbatibus inventa fuerit, eam canonice insequi oportet. Hoc dixi propter Abbatem monasterii Usercensis, quem dicunt hoc anno instituta sancti Concilii contempsisse. Quidam enim narraverunt nobis, quia excommunicatum vicecomitem Albuciensem, interfectum in praeda, ipse apud suum monasterium sepelierit. Super qua re, si vera est, cor meum contristatur. »

Idem paulo ante, quum de renovanda duodecies per annum sacra Eucharistia ageretur, dixerat (3) : « Monasteria vero monachorum regularia, quia diligentius et nitidius omnia ad cultum altaris procurant, *in Abbatum suorum arbitrio de his, sicut de aliis regulis, permittimus.* Illi enim nostris legibus constringi non debent, qui ultra nos per arctam et angustam portam vitae ingredi appetunt, qui voluntatem propriam frangunt, qui jugum ab adolescentia portant, qui Episcoporum jussis summopere in omnibus obediunt. Tales, inquam, legibus non oportet subjici conciliorum, nisi forte reprehensioni vel contemptui patuerint... Nam et Abbates regulares non ideo ad Synodum venire cogo hujus sedis, ut arguantur : sed ut mihi de rebus ecclesiasticis moderandis consultum praebeant, » Ex quibus denuo colligere est Episcopis rem fuisse

(1) Lib. 7, epist. 26, tom. 2 Opp. col. 872.
(2) Lib. 2, epist. 4, tom. 2 Opp. col. 571 et lib. 4, epist. 9, col. 688.
(3) Labbe, Concil., tom. 9, col. 897.

cum Abbatibus, non cum monachis; adeoque, ut inferius dicemus, multum quidem laborarunt Episcopi ut Abbates sibi obedientiam profiterentur, sed numquam ad id inducere voluerunt monachos, qui secundum canones eis tantum subdebantur, quum e monasteriis digrederentur, aut delinquentes Abbas non corrigeret.

Animadvertendum etiam est nobis hic sermonem esse de monachis, qui ad certum coenobium pertinerent et regularem haberent superiorem. Ut enim alibi dictum est (1), medio aevo saepius contingebat, ut quis solitarie vestem monasticam assumeret, et vitam religiosam profiteretur : quo casu Episcopus et presbyteri loci superiores ejus regulares erant, quemadmodum sacrae primorum saeculorum virgines speciatim subjiciebantur Episcopis (2). Quem morem medio aevo adhuc exstitisse manifeste colligitur ex his S. Liutbergis reclusae, et saeculo IX viventis (3), dictis (4) : « Ego, inquit sanctissima virgo, *absque licentia Pontificis nostri, aut presbyterorum jussione nihil aliud, quam quod mihi praeceptum est, agere praesumo;* prius ab eis consilium capere necnon et eorum ut liceat consilio necesse est procurare : praesertim *quum praecepto coacta sum me nihil ex meo facere arbitrio;* sed, aliis concedentibus, non resisto. »

13. His de veteri ecclesiae disciplina praemissis, placet redire ad Laymannum, dum praesentem disciplinam, a veteri non dissimilem, paulo latius declarat : « Quod vero attinet, inquit (5), ad regulares non exemptos, ii duos superiores habent, Ordinis praelatum et Episcopum. Sed discrimen est, quod praelato Ordinis obedire teneantur ratione voti obedientiae, in iis videlicet, quae ad regulares observationes et disciplinam monasterii pertinent : quare in his magis est obediendum praelato quam Episcopo, juxta doctrinam S. Thomae (6), Innocentii (7) et Abbatis (8); et explicant Sylvius (9), Sanchez (10) et dixi de

(1) Vide supra, pag. 17 et seqq.
(2) Vide supra, pag. 46.
(3) Pez, Nov. Thesaurus Anecdot. dissert. isagog. in tom. 2, observ. praev. in 3 part. num. 4, pag. LI et seq.
(4) Vit. S. Liutbergis. reclusae, cap. 15, ap. Pez, Thes. Anecd. tom. 2, part. 3, pag. 171.
(5) Comment. in tres lib. decretal. lib. 1, tit. 31, cap. VII, tom. 1, pag. 710.
(6) In 2. Dist. 44 in fine, in expositione literae ad 3.
(7) Cit. cap. *Quanto.*
(8) Num. 5.
(9) De vera obedientia quaest. 9.
(10) Lib. 6 Moral. cap. 1, num. 12.

oc in cap. *Ad aures*, 5, *de tempore ordinat.* (1) Atque adeo raelatus Ordinis potestatem habet subditos suos regulares ad egularem disciplinam adigendi, ut contumaces et incorrigiiles ejicere queat, uti Innocentius, Abbas et Sylvius tradunt it. loc. At vero Episcopo regulares subsunt non ratione voti, ed ut alii clerici jurisdictionis legi subjecti sunt. Quare in iis uae ad ecclesiasticam disciplinam attinent, et quoad punitioem criminum graviorum, praesertim quae depositionem meentur, proprie et directe subjiciuntur Episcopo, quum etiam osi praelati non exempti in his subsint, uti advertit Sylvius (2), bbas (3), Sanchez (4) et alii.

« Caeterum, si praelatus monasterii non exempti negligens it in regulari disciplina conservanda et quotidianis lapsibus uniendis, nemo dubitat, ad Episcopum pertinere jurisdictioiis hujus exercitium. Nam ob eam causam monasteria visitat t inquirit, utrum regula ordinis observetur, morum ac disciinae integritas vigeat : alioquin frustranea ferme esset subjetio monasteriorum erga Episcopum, nisi tali potestate praediis esset, sicut recte ostendit Suarez (5). Quod vero ibidem it, quamvis dubius, religiosos non exemptos Episcopo subesse on tantum secundum potestatem jurisdictionis, quam habet rga omnes ecclesiasticas personas, ut eas ad officium et quae d salutem convenientia sunt adigat; sed etiam ratione voti bedientiae, quod probabiliter arbitratur, non tantum Ordinis raelato fieri, sed etiam Episcopo; id a Doctoribus aliis non ecipitur (6); quare nec credibile est, talem esse voventium tentionem aut Ecclesiae praxin. »

Contra hanc communem (7) canonistarum Ecclesiae Latinae octrinam opponit Rev. Dominus (8) cum Halliero, infensiimo regularium hoste, « expresse docere (*schismaticum*) Balmmonem, apud Orientales monachos magis subesse Episcopo

(1) Tom. 1, pag. 508.

(2) De vera obedient. quaest. 10, ict. 2.

(3) In cap. *Si quis contra*, num. 1, *de foro competenti.*

(4) Cit. loc.

(5) De relig. tom. 3, lib. 10, ap. 11, num. 15.

(6) Cfr. Benedictus XIV, De syodo dioecesana, lib. 13, cap. 11, tom. 12, pag. 129, edit. Bassan.

(7) Cfr. Lauretus de Franchis, Observat. in part. 2 Controv. inter Episcop. et regul. quaest. 1, pag. 449, edit 1654; Laymann, Opp. cit. tom. 1, pag. 708, et Theolog. Moral. part. 2, lib. 4, tract. 5, cap. 9, num. 3.

(8) Pag. 19.

quam suis praelatis.» Sed quid haec ad disciplinam Ecclesiae Latinae?

Quae hactenus diximus, generalia sunt : animadvertendum autem est cum Laymanno (1), Sanchezium citante, fieri posse ut Episcopo magis quam alii superiori in rebus disciplinaribus parendum sit, quum scilicet « personae religiosae obedientiam in manibus Episcopi, tamquam proprii praelati, emiserint, ut quaedam moniales solent ; » quemadmodum id olim faciebant in Belgio moniales Benedictinae, ut constat ex earum professionis formula, quam refert Haeftenus (2).

« At vero, pergit Laymannus, Summo Pontifici, tamquam supremo omnium Ordinum regularium Generali, ex obedientiae voto obedire debent in iis praeceptis, quae sunt secundum Regulam, seu conformia Regulae. Secus, si alia praecipiat, quamvis ex justa causa : tunc enim obedire quidem debent, sicut alii fideles et ecclesiasticae personae : sed non ratione voti sui, ita ut transgressio praecepti sacrilega exsistat. »

Ex hactenus stabilitis ruunt, quae dein ex Halliero docere pergit adversarius, nimirum ex sententia S. Thomae, de regularibus non exemptis intellecta, « inferre posse monachos se magis obedire debere Abbati suo, cui obedire se voto promiserunt, quam ipsi Pontifici, *cui se voto minime obstrinxerunt* (3); » quum certum sit jam pridem Pontificem omnium regularium praelatum agnosci, eique proin ex voto deberi obedientiam : adeoque non stat Rev. Domini et Hallieri conclusio (4) : « Sicut in voto, quo Abbati se obstringunt, excipitur Summus Pontifex, cui contraria Abbatis jussionibus imperanti potius obedire tenentur quam Abbati, ita et excipitur Episcopus, cui pariter contraria sancienti magis obedire monachus obligabitur quam Abbati ; » neque valet ratio, cui hanc conclusionem innixam volunt, ajentes (5) : « Eodem modo quo, qui in aliquod collegium et confraternitatem admittuntur, jurant se obedituros praefecto collegii et reverentiam exhibituros ; quod scilicet intelligitur, quamdiu praefectus a principe probatur, nec contraria ejus legibus statuat. » Nam, si *praefectus,* seu Abbas *non amplius probatur,* id est legitime deponitur; tum, quem

(1) Theologia Moralis, loc. cit.
(2) Disquisit. monast. lib. 4, tract. 5, disq. 4, pag. 409.
(3) Pag. 19.
(4) Loc. cit.
(5) Pag. 20.

admodum non Episcopo, sic etiam Abbati, legitime deposito, in his, quae ad statuta Regulae pertinent, parendum non est, siquidem neuter sit praelatus regularis; sed obedientia erit praestanda vel priori, vel seniori monasterii, prout Regulae seu Ecclesiae leges ferunt. Similiter Abbas, non depositus, *contraria* Episcopi *legibus* in his, quae ad statuta Regulae pertinent, *statuere* seu praecipere nequit; quoniam, ut contraria statuere posset, oporteret ut Episcopus valida daret praecepta, seu ut legitimus princeps esset in his, quae ad statuta Regulae pertinent. Demum hinc quoque convelluntur, quae ex eodem Halliero Rev. Dominus similiter depromit, nempe (1) « majorem esse obligationem praecepti quam voti, (*id est*, praecepti, *cujus origo est vel jus divinum vel humanum, quam praecepti, cujus observandi obligatio oritur ex* voto); praecepto autem tenentur monachi Episcopis obedire, voto tantum Abbatibus; » quandoquidem, ut toties diximus, Episcopus non sit praelatus regularis, nullamque proin praecipiendi habeat facultatem.

His tamen nequaquam impeditur Episcopus, quin monasteria non exempta visitet, ibidem exhortetur, abusus corrigi jubeat, Regulam servandam indicat, aliaque id genus peragat.

Sed, quod ad correctionem attinet, observanda est theologorum et canonistarum doctrina, jure et consuetudine probata, quam ita exponit Laymannus (2) : « Praelati Ordinum alii sunt exempti a jurisdictione Episcoporum... alii sunt praelati non exempti, qui nihilominus ordinarii judices suorum regularium exsistunt, saltem in causis pertinentibus ad regularia statuta et disciplinam (3). Quamobrem illos punire, incarcerare, excommunicare possunt (4); et intellige id *privative*, ut Episcopus in tali causa se immiscere non debeat, nisi ob negligentiam praelati regularis; vel si regularis a praelato suo

(1) Pag. 19.

(2) Theol. Mor. tr. 4, cap. 4, num. 27.

(3) Arg. cap. *Quanto, de offic. judic. ordinar.* (lib. 1, tit. 31. cap, 7), ubi id notat Abbas, num. 5, S. Thomas in 2, dist. 44, quaest. 2, art. 3; Navarrus in Commentar. 2, de Regular. num. 63.

(4) Juxta cap. *Quum in ecclesiis, de major et obed.* (lib. 1, tit. 33, cap. 10); Abbas in cap. *Quum ab ecclesiarum*, num. 10, *de offic. judic. ordin.* (lib. 1, tit. 31, cap. 3), *Quum contingat*, num. 21, *de foro competenti* (lib. 2, tit. 2, cap. 13). Glossa et Innocentius III, in cit. cap. *Quanto*, Covarruvius cap. *Alma*, pag. 1, § 12, num. 3.

multum distet, sicuti notat Abbas (1). » Ex quibus liquet S. Thomam, dum theologum ageret, egisse simul optimum canonistam.

14. Hinc gradum facimus ad aliam multo majoris momenti quaestionem, quam itidem suscitavit adversarius.

In verbis, superius ex libello adversarii, Hallierum describentis, adductis, animadverterit sane lector mentionem fieri de *consensu Episcopi, sine quo Abbati seu praeposito, saltem sine privilegio, nefas esset virum aliquem ad religiosa castra admittere;* idemque inferius pluribus inculcatur (2). Quae omnia sua fecisse videtur Rev. Dominus, quum praemisit *multa* in his *doceri,* quae ad rem suam pertineant, et in fine subjiciens, *Hallieri verba ita clara esse, ut explicatione non indigeant.* Et quidem clarissima esse ultro fatemur; utrum autem vera sint, restat indagandum.

Ante omnia Hallieri et R. D. Professoris argumenta expendamus. « Quemadmodum, inquiunt (3), in republica civili nemo sine privilegio principis politici collegio ulli politico adscribi potest, nec superior collegii, nisi potestate sibi a principe concessa, potest illum in collegium, ad finem politicum ordinatum, cooptare ac referre; ita in quacumque dioecesi, cujus caput est Episcopus, nemo potest in societatem spiritalem ullum cooptare ac referre, nisi accepto privilegio a principe, puta ab Episcopo. Quare, cum per professionem religionis aliquis in collegium et societatem quamdam spiritalem et corpus ecclesiasticum cooptatur, oportet ad hoc adesse privilegium Episcopi, quo Abbati liceat in religionis corpus et societatem ullum admittere. »

Nolumus quidem severius investigare, utrum hujusmodi comparationes, ut vulgo dicitur, non claudicent; et utrum quis societatem spiritalem, quamdiu et lege communi uti velit, et ejus leges nihil contineant contrarium fidei et bonis moribus, condere sociosque sibi aggregare non possit, sine venia Episcopi quemadmodum suo jure quisque societatem artium, etc. erigere posset in statu civili. Certe in similibus casibus nemo facile privilegium aut Episcopi aut principis requisierit. Caeterum quam parum recte privilegium necessarium dicatur ut admitti

(1) In cit. cap. *Quum contingat.* num. 14.

(2) Pag. 18 et seq.

(3) Ibid. loc. cit.

ssit monachus ad professionem, liquet ex doctrina Pontifi-
im, qui solum afflatum Spiritus Sancti requirunt. Ne autem
ida verba dedisse videamur, audiamus celeberrimum sae-
uli XII epistolographum, olim praepositum S. Genovefae
arisiis, dein praestantissimum in Belgio Episcopum, Stepha-
im (1):« Lege communi canonum, sine licentia Episcoporum
iorum, quibus obedientes esse debent (*presbyteri parochia-
s*), nec ipsi recedere nec alii recipere eos debent. Lege autem
ivata, quae instinctu Spiritus Sancti in corde scribitur, si ad
onasterium vel canonicam regularem transierint, tales, etiam
ntradicentibus Episcopis, recipi possunt. Ait enim Urbanus
apa (II) : « Si quis in Ecclesia sua sub Episcopo populum
retinet, si afflatus Spiritu Sancto in aliquo monasterio vel
regulari canonica salvare se voluerit, etiam Episcopo suo
contradicente, eat liber auctoritate nostra. *Justo enim non
est lex posita.* Sed *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et *si
spiritu ducimini, non estis sub lege.* » Ecce quomodo nec
edientia Episcopo promissa, neque Ecclesia commissa pres-
tero, ad frugem melioris vitae transire volentem potuerunt
pedire. » Haec Stephanus Episcopus, haec Urbanus Papa,
iusquam Sancta Sedes sibi reservasset approbationem Ordi-
im religiosorum : nituntur scilicet principio, superius a
bis adstructo, statum religiosum esse de jure divino, et
opterea declarant justo non esse legem positam, quoniam
x humana praevalere non potest juri divino. Ast Rev. Domi-
is statum religiosum de jure ecclesiastico facit, et propterea
quirit privilegium. Ex quo falso consequenti, iterum falsi-
s positi principii manifestatur.

Secundum suum argumentum repetit R. D. Professor ex
nditionibus validae professionis; Hallieri verba, quae in
inc finem recitat, alibi jam retulimus (2). Secundum haec
mpe ad validam professionem requiritur votum solemne,
u acceptatum ab Ecclesia, id est vel a Summo Pontifice vel
Episcopo, quum hic suam specialem, ille universalem Ec-
esiam repraesentet : unde vel Papae vel Episcopi privi-
gium requiritur, ut Abbas possit quempiam ad validam
ofessionem admittere.

(1) Epist. 1, Bibl. max. Patt. (2) Vide supra, pag. 27.
gd. tom. 25, pag. 3.

Has conditiones ad validam professionem (dummodo haec in sensu stricto sumitur, non vero pro statu religioso, quem Scholastici Societatis Jesu per vota simplicia, aeque ac quicumque alii religiosi, amplexi sunt) secundum praesentem Ecclesiae disciplinam requiri libenter concedimus. Sed quid inde? Papam nempe, quoniam solus approbat Ordines regulares, etiam solum potestatem facere praelatis regularibus admittendi novitios ad professionem. Ipse insuper, ut supra diximus (1), generalis Ordinum regularium praelatus est. Liquet igitur istiusmodi argumentum minime favere effato R. D. Professoris in praesenti disciplina Ecclesiae.

Quod si ad antiquam disciplinam recurratur, neque hae quidquam efficit pro sententia Rev. Domini : ut enim fus alibi (2) monstravimus, sufficiebat olim ad statum religiosum profitendum assumptio signi cujusdam externi, quin prohibitiones Episcoporum vel minimum obstarent. Adversus hum profitendi modum, in universa Ecclesia frequentatum, statu poterat, ut reapse statutum fuit, impedimentum invalidan actum, quemadmodum nulla facta sunt matrimonia clandestina; sed, quamdiu lex promulgata non fuit, valebant et pro fessio, signo externo manifestata, et nuptiae, nemine praesente contractae.

Tandem, istis omnibus omissis, quis privilegium dixer facultatem admittendi religiosos, quum Episcopus, ut vidimu latiusque infra videbimus, ne clericum quidem suum, arcti simis licet vinculis sibi obligatum, numquam a monaster septis arcere valuerit? Si hujusmodi facultates privilegia ap pellentur, aperte dicamus benedictionem aquae sanctae, qua singulis presbyteris, benedictionem nuptialem, quae omnibu parochis, contractus matrimonii, qui universis fidelibus, no impeditis, competit, totidem esse privilegia.

Necessitatem consensus aut privilegii episcopalis stabili conantur Hallierus et R. D. Verhoeven (3) tertio argument videlicet antiquitus oportuisse examinari ab Episcopo rec piendos ad professionem et ab iis probari, ut canones antiq docent. Haec ita asserit R. D. Professor, nullum praeter Ha

(1) Vide supra, pag. 122.
(2) Vide supra, pag. 16 et seqq.
(3) Pag. 18.

erum dictorum suorum vadem designans. Privilegio ergo, oncludit, opus fuit, ut ab hoc onere eximerentur : quasi raeter privilegium, abrogatio, desuetudo, etc. non essent iae legitimae, quibus a lege aliqua liberari quis potest.

Praeterea magno nos labore levasset R. D. Professor, si tiusmodi privilegium episcopale nobis indicasset. Scimus uidem ex praescripto Concilii Tridentini (1) examinandas sse ab Episcopis foeminas ante professionem, ut, quemadodum Synodus ait, libertati professionis virginum, Deo icandarum, prospiciatur. Verum similem legem aliquando tam fuisse pro viris, nemo est, quantum scio, qui id affiret. Profecto Haeftenus, qui ex regulis, tum Orientalibus, m Occidentalibus, et Constitutionibus Pontificum, fuse agit e examine novitiorum (2), Martenius (3) et Calmetus (4), qui isciplinam admittendi novitios enucleate examinant, Mabilonius, qui in Annalibus sui Ordinis accurate recenset vetera statuta, usus et consuetudines monasticas alto premunt sintio id genus examinis, ab Episcopis faciendi. Et ne domeicos tantum citare videamur, simile silentium agunt Catanus, multa ex Christiano Lupo referens de novitiorum robatione (5); Van Espen, qui antiquitatem sacram, quando e onerandis regularibus agitur, libentissime citat (6); et homassinus, qui quaecumque reperit de consensu princium, parentum, Episcoporum atque adeo parochorum necesario ad amplectandum statum religiosum studiose refert (7). uod si omnes hujusmodi examinis obligationem ignorarunt, on aegre certe feret R. D. Professor, si canonem aliquem ndicatum nobis cupimus. Certe huc non referet canonem XL rullanum, a Middendorpio allegatum (8); nam praeterquam uod Concilium istud anno Christi 692 habitum, schismatium sit, nec ad Ecclesiam Latinam umquam spectarit, in isto

(1) Sess. XXV. De Regul. cap. 17.
(2) Disquisit. monast. lib. IV, Tr. , Disquis. II, pag. 366 et seq.
(3) Comm. in Reg. S. Ben. pag. 38 et seq.
(4) Comm. litt. in Reg. S. Ben. g. 211 et seq.
(5) Comment. in Conc. Oecum. tom. II, pag. 118 et seq.
(6) Jus Eccl. univ. part. I, tit. XXV Opp. tom. I, pag. 242 et seq.
(7) De vet. et nov. Discipl. part. I, lib. III, cap. 40 et seq.
(8) Silva Anachor. cap. XII, pag. 201.

canone solum agitur de aetate, qua pueri ad monasteria admitti queant (1).

15. Discussis adversarii argumentis, Ecclesiae doctrina illustranda remanet : in quam rem utilis nobis imprimis es epistola S. Anselmi, tunc quidem electi Archiepiscopi Cantuariensis, ad Goffridum, Parisiensem Episcopum, qui Wallerannum, Cantorem Ecclesiae suae e monasterio S. Martini de Campis, ubi vitam monasticam profiteri intendebat, vio lenter abstraxerat. In hac porro epistola sequentia legimus (2) « Didici quod Dominus Wallerannus, charissimus amicu noster, Cantor Ecclesiae vestrae, Deo inspirante, habitum sanctae conversionis studiose et intensissime petens, in mo nasterium S. Martini de Campis, eo gandio, quo debuit, si susceptus : et inde violenter a vobis, et quemadmodum no necesse fuerat, abstractus. De qua re, quamvis prudenti vestra meo consilio non egeat, cogunt tamen fidelitas dilectio (quas vobis et illi debeo) mentem meam, ut vestra reverentiae aliquid suggerat. Non loquor sapientiori me quasi docendo, sed velut ea, quae melius me scit, brevito commemorando. Mi Pater, si omnia facienda sunt cum co silio, cujus magis consilio, quam ejus, qui Admirabilis, Deu Fortis dicitur? Ipse quippe consulit ad perfectionem nitent bus, ut omnia relinquant et se sequantur. Ipse omnia reli quentibus et sequentibus se promittit, quia sedebunt cum il in judicio judicantes duodecim tribus Israel. Ipse est, q invitat laborantes et oneratos amore et curis saecularibus, ad se veniant et requiescant. Hoc consilium magis in mon chico, quam alio vitae proposito impleri Sancti Patres inte lexerunt. Beatus namque Gregorius in Lib. XIV Registri (scitis, quid mandet Desiderio, Episcopo (Viennensi), de qu dam, qui divina inspiratione compunctus, gratiam monachic conversationis appetierat; quomodo scilicet hortetur eumde Episcopum, ut propositum ejus nullo modo impediat; s magis eum, quantum valet, pastorali admonitione succenda ne fervor conceptus in eo tepescat, nec ullatenus debere eur qui monasterii portum petiit, rursus ecclesiasticarum curaru

(1) Labbe. tom. VI Conc. col. 1161.

(2) Lib. III, epist. XII, Opp. pag. 369. Edit. Gerberon.

(3) Edit. Maur. lib. XII, E XXXV, tom. II Opp. col. 1205.

erturbationibus implicari. In Toletano Concilio IV (1) legistis
lericos, monachorum propositum appetentes, quia meliorem
itam sequi cupiunt, liberos esse debere ab Episcopis ad
ıonasteriorum ingressus. Pauca dixi de multis. Si ergo di-
ere contra Dominum et contra tot Sanctos Patres, dicta
)omini veraciter intelligentes, est peccatum; facere contra
ıanibus, non dico, quomodo scio, sed quomodo vos scitis,
uid est?... Mi Reverende Pater, ne sit molestum reverentiae
estrae, quod sic loquor. Non enim hoc dico, quia velim
tendere, quod hujusmodi sitis; sed quia desidero, ut hu-
ısmodi non sitis. Consideret et retractet prudentia vestra,
ıod fecit de praedicto suo canonico : et si quid fecit, quod
lutandum intelligat, non eam pudeat facere, quod magis
eceat. Non enim adeo mirandum, si subito motu de tam
renui clerici amissione aliquid non praemeditate fecistis, sed
)c valde est laudandum, si mutatis, quod mutandum intelli-
tis. »

S. Anselmi monitis non continuo cessit Goffridus, ut videre
t ex epistola, quam idem Sanctus paulo post dedit ad Walle-
ınnum, quando scilicet jam Cantuariensis Archiepiscopus
erat consecratus. « Timeo, inquit, ne diaboli calliditas
rimam tuam dilectam mihi decipiat; ne tibi, quoniam vi
ıstraheris et nolens a sancto proposito, posse in clericatu
ite et sine culpa, ut olim, permanere persuadeat. Certus
to, charissime, quia nullo modo hoc potest anima tua sine
i reprobatione suscipere, quamvis hoc Episcopi sui aucto-
tate velit defendere. Christus enim dicit : *Nemo mittens
anum suam ad aratrum et retro respiciens aptus est regno
elorum.* Mens tua ab aratro Christi retro respicit, si a pro-
sito, ad quod te vocavit Christus et quod incepisti, aliqua
casione tepescendo deficit. » Dein postquam dixisset Sanctus
)iscopum non esse audiendum, quando ejus verba non con-

(1) Labbe tom. v, Conc. col. 1717. ınc canonem 1 Concilii Toletani anno 633, sub S. Isidoro Hispa- si celebrati, inserui suae Collec- ni S. Abbo, Floriacensis Abbas, ınones D. Abbonis Abbatis, n. 23, ap Mabillonium, Veter. alect. pag. 140 et seq. edit. 1723), et Gratianus suo decreto (Can. *Clerici* 19, quaest. 1 et can. *Alienum*, quaest. 2). eumdemque innovarunt Episcopi Itali et Germani, qui anno 952 in Synodum Augustanam convenerunt (Mabillonius, Annal Bened. lib. 45, num. 62, tom. 3, pag. 481).

cordant cum Christo vocante, allegat easdem auctoritates, quas jam in epistola ad Goffridum citaverat.

Quae quum ita sint, quumque manifestum sit semper liberum fuisse clericis, Episcopo contradicente, monasteriorum ingressum, clarum est eamdem libertatem laicis denegari numquam potuisse. Et quidem quum olim multo magis, quam nunc clerici suae dioecesi et suo Episcopo devincirentur, adeo ut eis non liceret sine consensu Episcopi *extra* dioecesim, pro qua ordinati erant, monasticam vitam amplecti, laici tamen nequaquam hac lege constringebantur. Hujus rei exemplum habemus in epistolis S. Augustini; ad quem quum venisset extraneus quidam, Privatianus nomine, atque dubitaretur clericusne esset an laicus, in hunc modum rescripsit ad Quintianum, Privatiani episcopum (1) : « Miror prudentiam tuam quod me admonueris, ut jubeam non recipi eos, qui ad nos a vobis ad monasterium veniunt, ut, quod statutum est a nobis permaneret.... Recense ergo Concilium, et omnia, quae ibi legeris, commenda memoriae; et ibi etiam reperies de *solis clericis* fuisse statutum, *non etiam de laicis*, ut undecumque venientes recipiantur in monasterium (2). Non quia monasterii facta est mentio; sed quia sic institutum est, ut clericum alienum nemo suscipiat.... Si ergo de Privatione te aliquid movit, scias eum a nobis nondum esse susceptum in monasterium, sed causam ipsius ad senem Aurelium misi, ut quod de illo statuerit, hoc faciam. Miror enim utrum jam potest lector deputari, qui nonnisi semel scripturas etiam non canonicas legit. »

16. Verumtamen licet haec tam manifesta sint, saepenumero tamen voluere Episcopi aliique obicem opponere iis, qui monasticum propositum amplecti cuperent; quae reniten saeculo XII et sequenti maxime exstitisse videtur, adeoc saeculo XVIII exeunte Scipioni de Ricciis per Pistoriens suam Synodum jus veniae et licentiae dandae assertum fui

Etenim, ut a posteriori hoc ausu incipiamus, tulerunt rochi Pistorienses cum suo Episcopo sequens decretum (« Si quis ea vota (*religiosa*) aut omnia aut aliqua facere

(1) Epist. LXIV, num. 2, tom. II Opp. col. 153. Edit. Maur.

(2) Alludit S. Doctor ad Can. XXI Conc. Carth. III. Labbe, tom Conc. col. 1170.

(3) Prop. 84, art. VI. Bulla *ctorem fidei.*

erit, *consilium et veniam ab Episcopo postulabit*, qui tamen ımquam permittet ut perpetua sint, nec anni fines excedent; ntummodo facultas dabitur ea renovandi *sub iisdem condi-ɔnibus*. » Et dein (1) : « Omnem Episcopus habebit inspectio-ɜm in eorum vitam, studia, progressum in pietate; ad ipsum ertinebit monachos *admittere* et expellere, semper tamen ac-ɜpto contubernalium consilio. » Ast haec omnia cum reliquo onastico systemate multis censuris confixit Pius Papa VI.

Quod attinet ad anteriora tempora, munimine quoque suae ıctoritatis circumdederunt Pontifices religiosa instituta. uamobrem saepius in chartis libertatis seu protectionis id ıiuscujusque Christiani et monasterii jus adstruxerunt, ɔdem modo quo in eis cavebant ne quis monasteriorum villas vaderet. Id autem fiebat his similibusve formulis : « Laicos ne seu clericos, saeculariter viventes, ad conversionem sus-pere, nullius Episcopi vel praepositi contradictio vos inhi-ɜat; » vel : « Liceat vobis clericos vel laicos, a saeculo fu-ɜentes, liberos et absolutos ad conversionem vestram recipere retinere; » ut videre est in litteris apostolicis Paschalis II, tis anno 1114 ad Joannem Priorem ecclesiae B. Petri de ıleriis in Septimania (2); in diplomate Alexandri III, edito no 1172 in favorem monasterii S. Salvatoris et S. Rotrudis pago Tervanensi (3); in bulla Lucii Papae, quam Can-us (4) in opere de Metropoli Salisburgensi (5) exstare ait; confirmationibus libertatis, quas ab Innocentio III obtinue-nt monasterium S. Salvatoris Karoffense (6), Dolense (7) et mplura alia; item in diplomatibus Cisterciensium et Prae-onstratensium, ut liquet ex Chronico Andrensi (8) et ex epi-ɔla quadam Innocentii III (9); demum in confirmatione ıcentiorum institutorum similem formulam adhiberi vulgo tis notum est : quod nunc fit, tum ad praecavendas difficul-ɜes, tum quod admissiones nomine Pontificis fiunt. Ut autem

(1) Ibid. art. VII.

(2) Baluzii Miscell. lib. II, pag. 8 et tom. 3, pag. 12, edit. Mansi.

(3) Chronic. Andrense, ad ann. 172, ap. Dacherium, Spicilegium, n. 9, pag. 461, edit. 1669.

(4) Glossarium med. et inf. lati-. v. *Confessus*.

(5) Tom. 3, pag. 157.

(6) Lib. 14, epist. 18 Regesti Innoc. III edit. Baluzii, tom. 2, pag. 517.

(7) Ibid. lib. 15, epist. 143, pag. 664.

(8) Ad annum 1172, ap. Dacherium, Spicil, tom. 9, pag. 460.

(9) Lib. 13, epist. 166, tom. 2, pag. 487.

hae declarationes et leges libere a regularibus servari possen excommunicationis sententiam tulerunt nonnulli Pontifice adversos eos, qui quovis modo aliquem impedirent ne certo ingrederentur Ordines, ut sunt Ordines Mendicantium, con gregatio Casinensis (1), aliaeque.

17. Verumtamen culpare non ausim Rainaldum, Archie piscopum Ravennatensem, virum (quantum colligere potu decoris domus Dei amantissimum, qui in Concilio Ravenn tensi III, anno 1317 apud Bononiam celebrato, ordinavit (« quod de caetero nullus instituatur vel recipiatur in fratre et canonicum alicujus cathedralis ecclesiae, vel collegiatae, v monachum alicujus monasterii, vel canonicum regularen sine licentia speciali Ordinarii loci vel Metropolitani; » tu quoniam id omnino necessarium videbatur ad sartam tecta servandam libertatem admissionis, adeoque universam dis plinam regularem, ut ibi videre est; tum quod haec tantu fierent, salva auctoritate Sanctae Sedis, ut saepius in suis co ciliis protestatus est Raynaldus; et haec quidem statuta tri nium tantum duratura decernebantur.

17. Fuere quoque parochi, qui contenderent neminem suis paroecianis monachum fieri posse absque sua licent sed egregie eos prohibuit Innocentius III, rescribens ad L canum, Archidiaconum de Losco, et magistrum Hugonem, nonicum Cabilonensem, in haec verba (3) : « Dilecti filii Ab et conventus Cisterciensis, transmissa nobis petitione, mo strarunt quod quidam rectores ecclesiarum provinciae Lug nensis ab eis, qui vivi et incolumes ad eorum Ordinem tra eunt, sibi fieri exigunt testamentum, et in eos, quos iid relinquunt in saeculo, propter hoc ecclesiasticam exerc censuram; ac capitulum illud, quo eis a sede apostolica ind getur ut licite liberos et absolutos a saeculo fugientes recipi interpretantes sinistre, asserunt eos, licet alias absoluti ex stant et liberi, sine ipsorum licentia non posse ad Religion transire, pro eo quod jure parochiali eisdem obligati tenent Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta praecipie mandamus, quatenus praesumptores praedictos a praesu

(1) Alviset, Murenula vermiculata, pag. 186.

(2) Can. 5. Collect. Concil. edit. Venet. 1782, tom. 25, col. 60 seq.

(3) Regest. lib. 13, epist. tom. 2, pag. 487.

one hujusmodi, monitione praemissa, per censuram ecclesticam, sublato appellationis obstaculo, compescatis. Datum terani IX kalend. novembris, pontificatus nostri anno XIII.»
ec Innocentius III.

Intercessit tamen aliquando quaedam compositio, alias numam obtentura locum, nisi hoc pacto diuturnis litibus finis ponendus visus fuisset. Videlicet Hugo, Archiepiscopus Lugnensis et Paschalis II Papae legatus, ut pacem componeret er monachos S. Benigni et canonicos Bisuntinos, plurimum ecclesiis Salinensibus litigantes, anno 1106 (1) statuit ut nbenigniani « parochianos Salinenses, nec vivos nec mortuos cipiant. Quod si aliquis parochianorum Salinensium, in ritudinis lecto positus, monachus pro metu mortis effici vorit, non nisi presbytero, cujus parochianus est, annuente, n suscipiant (2). » Ast jura funeralia huic constitutioni isse locum satis patet; quum ii, qui ita habitum in mortis iculo assumpserant, veri monachi essent, a suis sodalibus eliendi. Talia vero, quae e judiciaria sententia originem m ducunt, ad consequentiam trahi non posse, nemo non et.

Porro ex his, quae hactenus collegimus, satis superque in patulo est quarta sit in Ecclesia libertas amplectendae religiae vitae; nullus ad id requiritur consensus, nullum privilem, adeoque hic status ipso matrimonio liberior est, quum eum unum Christus adhortatus sit fideles, eum solum conerit et persuaserit : removentur tantum ab eo Episcopi et juges, hi ob vinculum carnale, illi ob ligamen spirituale, Ecclesiae aut comparti connectuntur, aut siqui alii imiuntur jure naturali. Reliquos omnes, si caeterum idonei , nihil remoratur.

licet autem ex epistolis S. Anselmi aliisque monumentis, e adduximus, satis constet clericos omnes, si solos Episco- excipias, tam libere religiosum statum amplecti posse m laicos, neque eis ullo modo necessarium esse Episcopo-

(1) Cfr. Mabillonius, Annal. d. lib. 71, num. 19, tom. 5, 465.

(2) Pérard, Recueil pour l'hist. Bourgogne, pag. 209, cit. a massino, de vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 62, num. 2. tom. 1, pag. 837. Cfr. Dunod, Hist.. de l'Église de Besançon, tom. 1, pag. 149 et seq. Besançon, 1750.

rum consensum; quoniam tamen id aliquando in quaestionem vocatur, juverit annotasse eamdem doctrinam stabilitam fuisse a Benedicto XIV constitutione *Ex quo dilectus* (1), in qua auctoritas S. Gregorii Magni, Urbani II, S. Thomae, S. Antonini, Sylvii et Concilii Toletani invocatur, necnon postea a S. Alphonso de Liguorio (2).

(1) Bullar. Bened. XIV, tom. 2, constit. 25, edit. Mechlin. vol. 4, pag. 357 et seqq.

(1) Theol. Moral. lib. 4, cap. num. 74 et seq. tom. 3, pag. 45 et seq. Mechlinae, 1828.

CAPUT SEXTUM.

DE AUCTORITATE PAROCHORUM IN MONACHOS; MENTE ECCLESIAE CIRCA ORDINES ACTIVOS.

1. *Monachos presbyteris curatis a S. Augustino subjec fuisse perperam colligit R. D. Verhoeven ex Regula ad S vos Dei.*
2. *Haec enim Regula non est S. Augustini opus.*
3. *Sed, etiamsi foret, ex eo quod ibi dicuntur subjecti p* sbytero, *non sequitur eos subjectos fuisse* presbyt curato.
4. *Non potuit S. Augustinus monachos Hipponenses pres tero curato subjicere, quum nullus Hippone curatus ex ret, ut probatur ex disciplina horum temporum.*
5. *Praeterea, si ullus exstitisset, non tamen potuit S. Augu nus, salvis Ecclesiae legibus, ei subjicere monachos.*
6. *Presbyter, de quo in Regula S. Augustini pro moniali omnino proprius erat monasterii.*
7. *Praepositus, de quo in Regula ad Servos Dei, erat pr et presbyter erat Abbas.*
8. *Incuriose loquitur R. D. Verhoeven de Ordinibus act*
9. *Mire adstruit regularibus locum non esse in hierar ecclesiastica.*
10. *Quis sit Hallierus, ex quo doctrinam suam depron R. D. Verhoeven.*

l. Non satis fuit R. D. Professori auctoritatem Episcopo-
n in monachos indebite extendere; sed affirmat insuper (1)
n Africa monachos non tantum Episcopis sed et *presbyteris*
atis a S. Augustino subjectos fuisse. » Quod assertum
olici de causa in examen vocandum videtur, tum quoniam
itati suus debetur honor, tum quoniam hic loci scopus
ptoris videtur totus eo collimare, ut persuadeatur olim
achos in statu omnimodae subjectionis degisse; unde
or colligere posset non tantum Episcopis verum etiam
sbyteris *curatis* pristina sua in monachos jura erepta esse.
rius itaque Rev. Domini probationem inspiciamus, quae
lo inferius (2) inter Hallieri excerpta legitur : « Verba
Augustini sunt : « Praeposito, inquit, tamquam patri obe-
atur, multo magis presbytero, qui omnium vestrum cu-
m gerit; » deinde : « Ad praepositum praecipue pertine-
t, ut ad presbyterum, cujus est apud nos *lege* apud vos,
contextus satis indicat, et ut habet editio Maurinorum (3)
ajor auctoritas, referat, quod modum vel vires ejus exce-
t. » Quae deprompta sunt ex scriptione, quae inter opera
ugustini sub titulo *Regulae ad Servos Dei* excusa est (4).
. Ast miramur dissentire R. D. Professorem ab eruditis
omnibus, qui passim docent hanc scriptionem non recte
ugustini dici : nam licet hausta sit ex epistola, quam qui-
voluni (5) ex duabus conflatam esse, quamque S. Pa-
6 scripsit ad *sanctimoniales*, quae, dum studerent mutare
positam, indecenter fuerant tumultuatae, quasque proin
ncordiam revocat et servanda Regula adornat; ipse tamen
Augustinus non est auctor mutationum, quibus haec
otio postea aptata fuit *viris* : quod satis manifestum est
umque consideranti S. Augustinum, non ita suo stylo
ere solitum fuisse, ut quae pro feminis scripsisset, dein
ot tantum mutatis locis, viris accomodaret; et, quod po-
num est, nullam a Possidio mentionem fieri Regulae pro
is Dei, dum Regulae pro monialibus meminisse videatur (7).

(1) Pag. 14.
(2) Pag. 19.
(3) Opp. S. Augustini, tom. 1, 94.
(4) Ibid. tom. 1, col. 790 et seqq.
(5) Tillemontius, Mémoires eccle-siast. tom. 13, pag. 162 et seq. edit. Venet. 1732.
(6) Opp. S. August. tom. 2, col. 781.
(7) Cfr. Tillemontius, loc. cit.

Sed haec omnia mittamus, et audiamus Tillemontium, cujus verba latina facio : « Reperitur, inquit (1), haec eadem pro monialibus Regula, seorsim ab Exhortatione ad concordiam in alio loco operum S. Augustini, atque ibi viris accomodata est. Sed *distinctio,* quae in ea cernitur *inter presbyterum et praepositum, et subordinatio, qua hic illi subjicitur, satis indicant eam non fuisse conscriptam pro viris,* ut plures eruditi annotarunt. » Intelligit scilicet vir eruditus per *presbyterum* clericum, qui simul non sit Abbas; et ita omnino procedere suam argumentationem perspiciebat, quoniam recte noverat tunc temporis presbyteros saeculares nondum se immisisse in regimen monachorum, ut inferius explicabimus.

Audiamus quoque Hélyot, quo nemo ferme magis in rebus monasticis versatus fuit. « Quod attinet ad Regulam, ait (2) quam primi S. Augustini discipuli sequebantur, valde verisimile est eos aliam praeter Evangelium secutos non esse; quandoquidem epistola CIX S. Augustini, quae est CCXI in editione Maurinorum, et quae nunc loco Regulae est in variis utriusque sexus congregationibus, quae S. Doctore tamquam parente gloriantur, anno tantum 423 ad moniales, quas Hippone instituerat, data fuit. Quo vero tempore viris accommodata fuerit, in qua regione et a quo haec commutatio fuerit facta plurimum ambigitur; neque huc usque viri eruditi hanc difficultatem solvere potuerunt. »

Audiamus etiam Mabillonium : « Nec minus certum est, inquit (3), Regulam, quam profitentur canonici regulares, epistolam tantum esse ab Augustino scriptam ad religiosas feminas, quibus ejus soror praefecta erat; nec ullum certum apparet vestigium, quo probetur eam Regulam in monasterio a S. Augustino condito servatam, aut ab aliis virorum collegiis per Africam sparsim florentibus. Nec Concilia Africana, nec Acta Sanctorum ejus aetatis, qualia sunt Gesta S. Fulgentii, nobis antiquitatis monumentum, nec Victor Uticensis ejus regulam meminerunt. Nullae occurrunt congregationes clericorum canonicorum, quos ea Regula ad certa vota constrinxerit. » Et inferius (4) : « Ea epistola in formam Regulae redacta

(1) Mémoir. ecclés. tom. 13, pag. 163, edit. cit.

(2) Hist. des Ordres relig. tom. 3, pag. 6 et seq.

(3) Gemina apolog. Benedict. pag. 10, edit. Constantiens. 17[illegible]

(4) Ibid. pag. 11.

n usum virorum, mutatis verbis sexuum discrimen notanti-
us, rescissisque iis quae Episcopi correctionem innuebant.
Ex ea monachi Ternatenses decem ultima suae Regulae
apita transcripserunt, eamdemque Benedictus, Anianae Ab-
as, in concordia Regularum in genere masculino citat. Per-
uasum nobis est, non posse ante saeculum undecimum, aut
plurimum concedemus, ante decimum ostendi ullam con-
regationem, in qua haec Regula ceu fundamentum vitae ca-
onicae et regularis fuerit observata. »

Audiamus demum Brockie : « In hoc, ait (1), collimant
nnes viri docti, S. Augustinum numquam pro viris Regulam
ripsisse, quamvis tres Regulae sub ejus nomine circumferri
leant ; » dein citat Bellarminum, alibi (2) vero Bellarminum
editores operum S. Augustini Lovanienses. Quibus adjun-
ndi sunt Stiltingus (3) et Papebrochius (4), qui omnium
sissime hanc quaestionem tractavit.

Dissentit tamen ab his Christianus Lupus, ex Ordine Ere-
itarum S. Augustini et quondam in universitate Lovaniensi
signis professor ; sed non aliud affert argumentum quam
iod in Regula ad Servos Dei sermo fiat de opere manuali,
quod idem laudat S. Augustinus in aliquo Sermone. Sane
leret id argumentum, si in utroque eadem adhiberentur
rba (5) ; verum quum ipse Christianus fateatur verba
versa esse, nihil hinc deduci potest : quoniam eo tempore
nes monachi operi manuum incumbebant, idque proin
idandum erat S. Augustino, sive monachi sui uterentur
gula S. Pachomii, sive sua, sive nulla prorsus.

3. Sed demus Tillemontium, Helyotum, Mabillonium,
iltingum, Papebrochium, De Brockie, Bellarminum et
vanienses editores operum S. Augustini aliosque eruditos
rasse, adeoque ipsum S. Augustinum scripsisse de monachis
t clericis suis : « Praeposito tanquam patri obediatur,

(1) Codex Regularum Holstenii, t. Brockie, tom. 2, additament. observ. crit. pag. 120.

(2) Tom. 1, pag. 347.

(3) Comment. praev. ad Vit. Augustini, § 26, num. 371, Act. ad 28 Augusti, pag. 284.

(4) Responsio ad exhibit. errorum, art. 12, § 6, num. 71, Act. SS. Vindicata, pag. 422, Antverpiae, 1735.

(5) Cfr. Quaest. quodlib. de orig. eremit., cleric. et Sanctimonial. S. August. cap. 24, tom. 12 Opp. pag. 64, Venetiis, 1729.

multo magis *presbytero,* qui omnium vestrum curam gerit ; » nullatenus tamen inde sequetur « in Africa a S. Augustino monachos non tantum Episcopis sed et *presbyteris curatis* subjectos fuisse, quemadmodum statuit R. D. Verhoeven.

Hic sane nobis dabit, quum haec quaestio apud Catholicos jam liquida sit, non consentiendum esse iis, qui, ut loquitur Marius Lupus (1), « ubicumque in antiquis documentis *presbyter* occurrit, eumdem parochum (seu *presbyterum curatum*) fuisse somniantur, » quosque etiam Nardi, parochus et bibliothecarius Ariminensis, vir inexhaustae eruditionis plurimum culpat (2). Ex eo itaque, quod vocabulum *presbyter* in Regula ad Servos Dei occurrit, non sequitur id de *presbytero curato* intelligendum esse.

4. Sed reponet forsan adversarius : Esto, non omnes presbyteros fuisse *curatos ;* verisimile tamen est monachorum gubernium non alii presbytero a S. Augustino concreditum fuisse quam *curato.* Neque haec Rev. Domino concedi possunt. Nam, ut mittam nomen *parochi, curati* et similia recentioris aevi esse (3), adeoque diploma, quo abbas Beccensis et prior *de Meulent* anno 1212 parochiam S. Joannis *in Grè* erexerunt, vetustissimum aut certe inter vetustissima censeri ubi vox *curatus* occurrat (4) ; ipsum munus certe ineuntis saeculo v non exstabat Hippone, ubi S. Augustinus alterum coenobium in aede episcopali, alterum in horto ecclesiae cathedralis, verisimillime ecclesiae claustris adhaerente (5) habebat. Atque hic monasteriorum situs animadvertendus est tum ut ea quae dicenda sunt facilius intelligantur, tum videat lector parum recte ab Rev. Domino totius *Africae* mentionem injectam fuisse, quasi aliqua S. Augustino potestas fuisset extra dioecesim Hipponensem.

Ut autem lector clare perspiciat parochos seu presbyteros curatos Hipponenses, quos adversarius inducit, expungendos esse, nequaquam necessarium est ut hic in examen vocetur sintne parochi de jure divino an de jure ecclesiastico ; in de versanda quaestione nullus forte majorem sibi laudem p

(1) De parochiis ante annum 1000, praef, pag. xi, ap. Nardi, Dei parrochi, tom. 1, pag. 151.

(2) Dei parrochi, tom. 1, pag. 151.

(3) Ibid. tom. 1, pag. 343 et passim.

(4) Cfr. Nouv. Traité de diplo tom. 4, pag. 344.

(5) Cfr. Hélyot, Hist. des Or relig. tom. 3, pag. 4.

ruit quam Cardinalis de la Luzerne, cujus opus nuperius tum fuit (1) : neque inquirendum nobis est an parochiale nus et officium ortum sit sub lege naturae (2), quin etiam in tu innocentiae (3), ut nonnulli voluere; an ex institutione risti Domini (4); an saeculo III (5); an vero saeculo IV ae Christianae (6) : haec, inquam, problemata historica theologica omnino praetermittere licet, quoniam omnes iores critici in hoc conveniunt haec tantum quaeri posse parocciis ruralibus et oppidis, quae Episcopum non habent; nequaquam vero de civitatibus episcopalibus, sicuti de ppone, sede S. Augustini. Porro de paroeciis, in ejuscemodi itatibus erectis, nonnulla quoque inter eruditos controrsia est.

Thomassinus (7) et Natalis Alexander (8 volunt saeculo IV mae et Alexandriae plures fuisse paroecias ; licet iidem iptores nonnihil inter se pugnent de officiis parochorum, os his civitatibus assignant. Ad eamdem fere classem refedus videtur doctissimus Binterim (9), qui, etiam antiquibus temporibus, in patriarchalibus civitatibus, Romae, exandriae et Antiochiae paroecias exstitisse contendit.

Ast Antiochiam expungendam esse ex S. Chrysostomi iptis ostendere conantur Tillemontius (10) et Cardinalis de Luzerne (11). Neque magis admittendos esse veteres Roma-

1) Des droits et des devoirs des ques et des prêtres. Cfr. praeser- dissert. 2 et 3, Paris, Migne, 4.

2) Genes. 4, 26, ap. Ver- ersch, Verheventheydt der paroekerken, cap. 1, pag. 26 et seq. vanii, 1735. Cfr. Specimina catis et doctrinae, etc. cap. 9, g. 121, Coloniae, 1738.

3) Richart, Pastor primit. ex iptura et canonibus, part. 1, 3, num. 5, tom. 1, pag. 38, odii, 1726.

4) Gersonius et Facultas Theo- Parisiensis, ap. de la Luzerne, its et devoirs des prêtres et des ques, chap. 3, col. 178 et seqq. gne, 1844.

5) Binterim, Denkwürdigk. der katol. Kirche, tom. 1, part. 1, pag. 539 et seqq.

(6) Wilmet, Institutiones canonicae, lib. 1. tit. 3, sect. 10, § 87, num. 239, pag. 80.

(7) Vet. et nov. discipl. part. 1, lib. 2, cap. 21, num. 10 et seqq. tom. 1, pag. 289 et seq. et cap. 22, num. 1, et seqq. pag. 290 et seq.

(8) Hist. eccles. saec. IV, art. 7, tom. 2, pag. 260, edit. Mansi.

(9) Denkwürdigk, der katol. Kirche, tom. 1, part. 1, pag. 534 et seqq.

(10) Mémoir. ecclés. hist. de S. Alexandre, év. d'Alexand. art. 12, tom. 6, part. 1, pag. 398, edit. 1709.

(11) Des droits et des devoirs des év. et des prêt. col. 153.

nos parochos inter plerosque catholicos constat; quando quidem paroeciae, quas in hac civitate quidam reperire voluerunt, nihil aliud sunt quam tituli cardinalitii; adeoque Cardinales Romanos numquam fuisse parochos fuse inter alios demonstrat eruditissimus Nardi (1).

Cardinalis de la Luzerne (2) concedit saeculo IV Alexandriae parochos exstitisse; sed neque id admittit laudatus Nardi statuens contrarium verisimilius esse (3); atque hic (4) cum Mario Lupi (5) doctissimo viro, contendit in civitatibus episcopalibus nullas paroecias exstitisse ante annum Christi 1000 adeoque primum hujus consuetudinis, deinceps passim introductae, mentionem fieri in concilio Lemovicensi anni 1032 (6). Quae sententia, utut primo conspectu incredibilis videatur in dies plures nanciscitur asseclas, neque huc usque felicit tentata fuit ejus confutatio. Et quidem, quum nuspia aliquid umquam reperire nobis obtigit quod ei opponi poss libenter ei subscribimus; civitatem Alexandrinam tam excipientes, quae propter argumenta, a Tillemontio adducta, saeculo IV parochos aut quasi parochos habuis nobis videtur, licet aliqua tamen dubia nobis supersint.

Sed plura de hoc argumento hic loci congerere non juv quoniam in hanc sententiam fere propendent quicumque quaestionibus examinandis nunc operam suam impendu neque volunt renovari difficultates, saeculo praeterlapso nonnullis in Gallia et alibi adversus Episcopos excitatas.

Neque est quod hic rerum status admirationem nostr excitet, quum tunc temporis paroeciae necessariae non ess in civitatibus episcopalibus, ut liquet ex illius aevi discipli quam his verbis exponit Cardinalis Gerdil (8) : « Nulla e singulis presbyteris singularis attributa portio gregis qu

(1) Dei parrochi, cap. 23 et 24, tom. 2, pag. 95 et seqq. et pag. 151, et seqq.

(2) Op. cit. col. 153.

(3) Dei parrochi, cap. 32, tom. 2, pag. 484 et seqq.

(4) Ibid. cap. 32 et 33.

(5) In op. speciali de Parochiis ante annum Christi millesimum, Bergom. 1788.

(6) Lupi, dissert. 2, cap. 10, cit. a Francisco Gemelli in op. I unica chiesa cattedrale di Nova riconosciuta nel suo duomo, cap num. 121, not. 1. Cfr. Labbe, lect. Concil. tom. 9, col. 902 et

(7) Mém. ecclés. hist. de S. A andre, art. 12, tom. 6, part. 1, 397 et seqq.

(8) Respons. ad Archiepis Ebredunensem, Opp. tom. 15, 343.

gerat; sed in universo grege regendo suam quisque pro loco
tempore operam navabat, prout Episcopo expedire vide-
tur. Siqui baptizandi essent, si ad agapem conveniendum
at, siquod aliud obeundum ministerium, e presbyterorum
etu evocabatur ab Episcopo, qui baptizaret, qui agapi
aesideret, qui praescriptum officium expleret. In hac
erarchiae descriptione, quae, probatissimo teste Ignatio, ab
postolorum aetate pluribus certe in Ecclesiis viguit, multi
idem fuisse presbyteri perhibentur, nullus qui peculiari
rtionis gregis regendae addictus esset, nullus adeo qui
rochus proprie dici posset; quum potius ita comparati
sent, ut per universam Ecclesiam, cui adscripti erant, quae
rochorum sunt munia, omnes indiscriminatim ac per vices
irent, prout in hoc vel in illo loco, hoc vel illud munus,
ire jussi erant ab Episcopo. »

Simili modo alii probati scriptores veterem disciplinam re-
unt; e quibus unum adhuc, nonnullas difficultates remo-
ntem, juverit audire. « Episcopi, inquit Cardinalis de la
zerne (1), residebant in civitatibus, presbyterio suo circum-
ti et munia curialia adimplebant. Quum numerus fidelium
ltiplicaretur, necessarium non erat ut in eis statuerentur
esbyteri curati. Satis erat multiplicari presbyteros, qui sub
iscopo adhiberentur, et ex ejus jussu ferrent auxilia spiri-
alia quibuscumque eorum indigentibus. Quum autem rure
sceret populus fidelis, hic non amplius tam facile ad Epi-
opum, longius distantem, recurrere poterant... Presbyteri
rati tardius in civitatibus constituti sunt, quoniam ibidem
n tam necessarii erant, quum ibidem Episcopus ipsemet
impleret haec officia, ejusque locum, si non posset, nume-
sum suppleret presbyterium. » Multo latius haec explican-
ab innumeris scriptoribus, quos inter egregium certe lo-
m tenet saepe laudatus parochus Nardi (2); cujus operis
breviatam versionem gallicam in solatium deservitorum (3)
perius edidit eruditus presbyter saecularis Sionnet.

Haec autem disciplina, si uspiam in usu erat, certe vigebat
Ecclesia Africana; adeo ut Thomassinus et Natalis Alexan-
, qui saeculo IV et V parochos Romae et Alexandriae insti-

(1) Droits et devoirs, etc. col. 152 eq.

(2) Potissimum in volumine 1.

(3) Praefat. pag. 2.

tutos volunt, nihil tamen de Africa habeant, licet copiosa sint Patrum Africanorum opera. Fuere quidem nonnulli, qui contenderint S. Augustinum Hipponensem fuisse parochum; ast haec opinatio jam ab omnibus risu excipitur, quum nihil certius sit quam S. Augustinum de presbyterio Valerii fuisse ejus vices in cathedrali Hipponensi templo concionando, catechizando, baptizando aliisque muniis ecclesiasticis obeundi supplevisse, neque aliud templum, quo populus Hipponensis ad sacra conveniret, exstitisse.

5. Praeterea, si vera esset Rev. Domini sententia, sequeretur S. Augustinum perturbasse disciplinam illius aevi; quae duobus saeculis post ita adhuc erat in usu, ut *ambitiosi* tantum et monasteriorum praedatores eam infringerent, quemadmodum ex Joanne diacono et ex S. Gregorio Magno habemus. Ille enim de S. Gregorio scribens : « Singula, ait (1), ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi debere dicebat... neque uni quantumlibet exercitatae personae uno tempore duarum rerum officia committenda.. Hinc est, quod *quibusdam ambitiosis,* sicut in suis literis, quas ego studio brevitatis omisi, poterit inveniri, moderationis frena frequenter imposuit. Unde... Ravennatibus clericis, a monasteriorum regimina importune tendentibus, restitit Joanni Ravennati Episcopo scribens : « Pervenit ad me quo » in ecclesiis fraternitatis tuae aliqua loca, dudum monasteria » consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum » facta sint; dumque hi, qui sunt in ecclesiis, fingunt se re » ligiose vivere, monasteriis praeponi appetunt, et per eorum » vitam monasteria destruuntur. Nemo enim potest et eccle » siasticis obsequiis deservire et in monachica regula ordina » persistere, ut ipse districtionem monasterii teneat, qui quo » tidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Proin » fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum est, emenda » festinet. Quia ego nullo modo patior, ut loca sacra per cle » ricorum ambitum destruantur (2). » Quod quum exsecutioni mandatum non fuisset, scripsit (3) denuo sanctus Pontifex ad Marinianum, Joannis successorem, jussitque «

(1) Vit. S. Gregorii M. in Actis SS. ad 12 Martii, pag. 137.

(2) Vide etiam hanc epist. lib. 5, epist. 1, tom. 2 Opp. col. 727.

(3) Vit. S. Gregorii, loc. cit. lib. 7, epist. 43, tom. 2 Opp. 890 et seq.

erici ad monasteria accederent nisi ad orandum *aut ad peranda sacra Missarum mysteria;* adeoque si ipse Abbas aut onachus ordinetur ad aliquot clericatus officium (*extra monasterium peragendum* (1),) *non illic aliquam habeat ulterius testatem,* ne monasteria hujus occasionis velamine sustinere ıera compellantur. » Atque haec S. Gregorii verba adeo ına sunt, ut absque ullo explicatu ostendant clericis saecuribus seu parochis nullam in monachos fuisse auctoritatem. ıiter autem animadvertamus haec dicta : « *Aut ad peragenda cra Missarum mysteria;* » tunc temporis scilicet interdum aclebat, ut nullus esset in monasterio, qui sacerdotali charactere signiretur : unde necesse erat ut advocarentur presbyteri eculares ad sacra peragenda Missarum mysteria; sed his ractis omnino eis vetitum erat se regundis monasterii negos immiscere, licet nullo alio beneficio aut munere ecclesiaco occupari possent, et in monasterio habitare deberent : ae denuo constant ex pluribus S. Gregorii Magni litteris (2). Gallia obtinebat similis disciplina, ibique mittebantur clerici ordinanda seu ad administranda sacra munera in monasteis aeque ac in parocciis ruralibus; sed vetitum omnino erat , qui in monasteriis residerent, pristinum retinerent benefiım (3).

Porro si abusus, quos S. Gregorius castigat, peculiares fuet dioecesi Ravennatensi et paucis forte aliis proprii, neque nino (ut apparet) antiqui, quis crediderit S. Augustinum em intulisse vigenti disciplinae labem, ut presbyteros, certae lesiae addictos, simul monasterio virorum praefecerit?

3. Sed pro more, post examinata Rev. Domini asserta, res a illustranda videtur. Prius itaque dicamus de presbytero, in Regula sanctimonialium occurrit, dein de presbytero is praeposito, quem nobis objecit R. D. Professor. Et quin presbyter ille, quem satis insigni auctoritate in sanctiniales ornavit S. Augustinus, verisimillime censendus est thenoni tantum adscriptus fuisse, nulli vero ecclesiae. od colligitur non tantum ex hactenus dictis, sed ex alio

(1) Ita intelligendum esse Mabillus tom. 1, pag. 231, lib. 9, . 29 et passim in Annal. deıstrat.

(2) Lib. IV, ep. 18, tom. 2 Opp. col. 636; lib. X, epist. 2, tom. 2. col. 1043.

(3) Concil. Aurelian. III anni 535, can. 18, Labbe, Collectio concilior. tom. 3, col. 300.

etiam duplici fonte, nempe ex gestis fidelissimi imitatoris S. Augustini et dein ex disciplina Africana. S. Caesarius enim Arelatensis Episcopus, qui discipulos suos « doctoris egregii Beatissimi Augustini, monitis et exemplis salubriter in scholis rectitudinis instruere solebat (1) » et totus Augustinianus erat (2), speciatim voluit et instanter in suo testamento a successoribus postulavit, « ut sive provisorem ad monasterium sive presbyterum ad basilicam Sanctae Mariae, nullum aliun haberet congregatio sancta (*quae e ducentis virginibus consta bat* (3),) nisi quem ipsa elegisset (*in provisorem*), vel ordinan petiisset (*in presbyterum*) (4). » Similiter in *Statutis Ecclesia antiquis,* quae in Collectione conciliorum Veneta (5) sub no mine *Concilii* IV *Carthaginensis* anni 398 referuntur, statu tur (6) ut « vir qui religiosis feminis praeponendus est, a Episcopo loci (7) *probetur :* » unde manifestum est hunc no pro ordinario quocumque clericali munere, sed pro speci deputatione sanctimonialibus praepositum fuisse. Ad has tamq pertinebat ejus electio eumque aliunde accersere licebat; ex responsis Bonifacii, provinciae Byzacenae Primatis consta Circa annum enim 517 ad hunc perlatae fuerant virginu sanctimonialium querelae de presbyteris, qui jus sibi in mon sterium earum esse jactabant (8). Non tulit hoc Bonifacius, illis rescribens diserte ait (9) : « Insinuo, *semper servorum L vel ancillarum monasteria liberum habere arbitrium a con tione omnium clericorum. Quorum priscorum patrum sequen ritum,* etiam vestrum monasterium hoc habere, et in vobis m nere usque in aevum. Unde per hanc vos auctoritatem duxim commonendas, ut licentiam habeatis unde volueritis spirital sumere cibum, liberam in omnibus facultatem habentes. » rursum : « Hanc vobis adstruimus licentiam, ut, *quem veli*

(1) Epist. Mesiani discipuli S. Caesarii de magistri sui morte, ap. Mabillonium, Annal. Bened. tom. 1, append. alter. num. 8, pag. 629.

(2) Cfr. Mabillonius, Annal. lib. 4, num. 25 et seq. tom. 1, pag. 89.

(3) Ibid. num. 25, pag. 89.

(4) Ibid. lib. 2, num. 20, tom. 1, pag. 41.

(5) Collect. concilior. Venet. tom. 2, col. 1436.

(6) FF. Ballerinii Opp. S. L nis M. Juris canon. vet. doc tom. 3, col. 660.

(7) Vocabulum *loci* omittitu codice Vaticano; Ballerinii, loc.

(8) Morcelli, Africa Christi ad annum 417, num. 1, tom. 3, 250; Cfr. tom. 1, pag. 107.

(9) Harduinus, Acta concilior tom. 2, col. 1088.

one hujusmodi, monitione praemissa, per censuram ecclesticam, sublato appellationis obstaculo, compescatis. Datum terani IX kalend. novembris, pontificatus nostri anno XIII.» ec Innocentius III.

Intercessit tamen aliquando quaedam compositio, alias numam obtentura locum, nisi hoc pacto diuturnis litibus finis ponendus visus fuisset. Videlicet Hugo, Archiepiscopus Lugnensis et Paschalis II Papae legatus, ut pacem componeret er monachos S. Benigni et canonicos Bisuntinos, plurimum ecclesiis Salinensibus litigantes, anno 1106 (1) statuit ut nbenigniani « parochianos Salinenses, nec vivos nec mortuos cipiant. Quod si aliquis parochianorum Salinensium, in ritudinis lecto positus, monachus pro metu mortis effici vorit, non nisi presbytero, cujus parochianus est, annuente, n suscipiant (2). » Ast jura funeralia huic constitutioni isse locum satis patet; quum ii, qui ita habitum in mortis iculo assumpserant, veri monachi essent, a suis sodalibus eliendi. Talia vero, quae e judiciaria sententia originem m ducunt, ad consequentiam trahi non posse, nemo non et.

'orro ex his, quae hactenus collegimus, satis superque in patulo est quanta sit in Ecclesia libertas amplectendae reliae vitae; nullus ad id requiritur consensus, nullum privilen, adeoque hic status ipso matrimonio liberior est, quum um unum Christus adhortatus sit fideles, eum solum conerit et persuaserit : removentur tantum ab eo Episcopi et uges, hi ob vinculum carnale, illi ob ligamen spirituale, Ecclesiae aut comparti connectuntur, aut siqui alii imuntur jure naturali. Reliquos omnes, si caeterum idonei nihil remoratur.

icet autem ex epistolis S. Anselmi aliisque monumentis, adduximus, satis constet clericos omnes, si solos Episcoexcipias, tam libere religiosum statum amplecti posse n laicos, neque eis ullo modo necessarium esse Episcopo-

. Cfr. Mabillonius, Annal. l. lib. 71, num. 19, tom. 5, 65.

Pérard, Recueil pour l'hist. ourgogne, pag. 209, cit. a assino, de vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 62, num. 2. tom. 1, pag. 837. Cfr. Dunod, Hist. de l'Église de Besançon, tom. 1, pag, 140 et seq. Besançon, 1750.

rum consensum; quoniam tamen id aliquando in quaestione vocatur, juverit annotasse eamdem doctrinam stabilitam fuis a Benedicto XIV constitutione *Ex quo dilectus* (1), in qua a ctoritas S. Gregorii Magni, Urbani II, S. Thomae, S. Antonir Sylvii et Concilii Toletani invocatur, necnon postea a S. A phonso de Liguorio (2).

(1) Bullar. Bened. XIV, tom. 2, constit. 25, edit. Mechlin. vol. 4, pag. 357 et seqq.

(1) Theol. Moral. lib. 4, cap. num. 74 et seq. tom. 3, pag. 4 et seq. Mechlinae, 1828.

CAPUT SEXTUM.

DE AUCTORITATE PAROCHORUM IN MONACHOS; MENTE ECCLESIAE CIRCA ORDINES ACTIVOS.

1. *Monachos presbyteris curatis a S. Augustino subje fuisse perperam colligit R. D. Verhoeven ex Regula ad vos Dei.*
2. *Haec enim Regula non est S. Augustini opus.*
3. *Sed, etiamsi foret, ex eo quod ibi dicuntur subjecti* sbytero, *non sequitur eos subjectos fuisse* presby curato.
4. *Non potuit S. Augustinus monachos Hipponenses pre tero curato subjicere, quum nullus Hippone curatus ex ret, ut probatur ex disciplina horum temporum.*
5. *Praeterea, si ullus exstitisset, non tamen potuit S. Aug nus, salvis Ecclesiae legibus, ei subjicere monachos.*
6. *Presbyter, de quo in Regula S. Augustini pro monial omnino proprius erat monasterii.*
7. *Praepositus, de quo in Regula ad Servos Dei, erat p et presbyter erat Abbas.*
8. *Incuriose loquitur R. D. Verhoeven de Ordinibus ac*
9. *Mire adstruit regularibus locum non esse in hiera ecclesiastica.*
10. *Quis sit Hallierus, ex quo doctrinam suam depro R. D. Verhoeven.*

1. Non satis fuit R. D. Professori auctoritatem Episcopo-
m in monachos indebite extendere; sed affirmat insuper (1)
n Africa monachos non tantum Episcopis sed et *presbyteris*
atis a S. Augustino subjectos fuisse. » Quod assertum
plici de causa in examen vocandum videtur, tum quoniam
itati suus debetur honor, tum quoniam hic loci scopus
iptoris videtur totus eo collimare, ut persuadeatur olim
nachos in statu omnimodae subjectionis degisse; unde
tor colligere posset non tantum Episcopis verum etiam
sbyteris *curatis* pristina sua in monachos jura erepta esse.
Prius itaque Rev. Domini probationem inspiciamus, quae
lo inferius (2) inter Hallieri excerpta legitur : « Verba
Augustini sunt : « Praeposito, inquit, tamquam patri obe-
iatur, multo magis presbytero, qui omnium vestrum cu-
am gerit; » deinde : « Ad praepositum praecipue pertine-
it, ut ad presbyterum, cujus est apud nos (*lege* apud vos,
t contextus satis indicat, et ut habet editio Maurinorum (3))
ajor auctoritas, referat, quod modum vel vires ejus exce-
it. » Quae deprompta sunt ex scriptione, quae inter opera
ugustini sub titulo *Regulae ad Servos Dei* excusa est (4).
. Ast miramur dissentire R. D. Professorem ab eruditis
omnibus, qui passim docent hanc scriptionem non recte
ugustini dici : nam licet hausta sit ex epistola, quam qui-
volunt (5) ex duabus conflatam esse, quamque S. Pa-
6) scripsit ad *sanctimoniales,* quae, dum studerent mutare
positam, indecenter fuerant tumultuatae, quasque proin
oncordiam revocat et servanda Regula adornat; ipse tamen
Augustinus non est auctor mutationum, quibus haec
ptio postea aptata fuit *viris* : quod satis manifestum est
umque consideranti S. Augustinum, non ita suo stylo
ere solitum fuisse, ut quae pro feminis scripsisset, dein
ot tantum mutatis locis, viris accomodaret; et, quod po-
mum est, nullam a Possidio mentionem fieri Regulae pro
is Dei, dum Regulae pro monialibus meminisse videatur (7).

Pag. 14.
Pag. 19.
Opp. S. Augustini, tom. 1,
94.
Ibid. tom. 1, col. 790 et seqq.
Tillemontius, Mémoires eccle-
siast. tom. 13, pag. 162 et seq.
edit. Venet. 1732.
(6) Opp. S. August. tom. 2, col.
781.
(7) Cfr. Tillemontius, loc. cit.

Sed haec omnia mittamus, et audiamus Tillemontium, cujus verba latina facio : « Reperitur, inquit (1), haec eadem pro monialibus Regula, seorsim ab Exhortatione ad concordiam, in alio loco operum S. Augustini, atque ibi viris accomodata est. Sed *distinctio,* quae in ea cernitur *inter presbyterum et praepositum, et subordinatio, qua hic illi subjicitur, satis indicant eam non fuisse conscriptam pro viris,* ut plures eruditi annotarunt. » Intelligit scilicet vir eruditus per *presbyterum* clericum, qui simul non sit Abbas; et ita omnino procedere suam argumentationem perspiciebat, quoniam recte noverat tunc temporis presbyteros saeculares nondum se immisisse in regimen monachorum, ut inferius explicabimus.

Audiamus quoque Hélyot, quo nemo ferme magis in rebus monasticis versatus fuit. « Quod attinet ad Regulam, ait (2), quam primi S. Augustini discipuli sequebantur, valde verisimile est eos aliam praeter Evangelium secutos non esse; quando quidem epistola CIX S. Augustini, quae est CCXI in editione Maurinorum, et quae nunc loco Regulae est in variis utriusque sexus congregationibus, quae S. Doctore tamquam parente gloriantur, anno tantum 423 ad moniales, quas Hippone instituerat, data fuit. Quo vero tempore viris accommoda fuerit, in qua regione et a quo haec commutatio fuerit facta plurimum ambigitur; neque huc usque viri eruditi hanc difficultatem solvere potuerunt. »

Audiamus etiam Mabillonium : « Nec minus certum est, inquit (3), Regulam, quam profitentur canonici regulares, epistolam tantum esse ab Augustino scriptam ad religiosas feminas, quibus ejus soror praefecta erat; nec ullum certum apparet vestigium, quo probetur eam Regulam in monasterio a S. Augustino condito servatam, aut ab aliis virorum collegiis per Africam sparsim florentibus. Nec Concilia Africana, nec Acta Sanctorum ejus aetatis, qualia sunt Gesta S. Fulgentii, nobis antiquitatis monumentum, nec Victor Uticensis ejus regulae meminerunt. Nullae occurrunt congregationes clericorum aut canonicorum, quos ea Regula ad certa vota constrinxerit. » Et inferius (4) : « Ea epistola in formam Regulae redacta

(1) Mémoir. ecclés. tom. 13, pag. 163, edit. cit.

(2) Hist. des Ordres relig. tom. 3. pag. 6 et seq.

(3) Gemina apolog. Benedic pag. 10, edit. Constantiens. 170

(4) Ibid. pag. 11.

usum virorum, mutatis verbis sexuum discrimen notanti-
s, rescissisque iis quae Episcopi correctionem innuebant.
ea monachi Ternatenses decem ultima suae Regulae
ita transcripserunt, eamdemque Benedictus, Anianae Ab-
s, in concordia Regularum in genere masculino citat. Per-
sum nobis est, non posse ante saeculum undecimum, aut
plurimum concedemus, ante decimum ostendi ullam con-
gationem, in qua haec Regula ceu fundamentum vitae ca-
nicae et regularis fuerit observata. »

Audiamus demum Brockie : « In hoc, ait (1), collimant
nes viri docti, S. Augustinum numquam pro viris Regulam
ipsisse, quamvis tres Regulae sub ejus nomine circumferri
eant ; » dein citat Bellarminum, alibi (2) vero Bellarminum
editores operum S. Augustini Lovanienses. Quibus adjun-
di sunt Stiltingus (3) et Papebrochius (4), qui omnium
issime hanc quaestionem tractavit.

Dissentit tamen ab his Christianus Lupus, ex Ordine Ere-
arum S. Augustini et quondam in universitate Lovaniensi
gnis professor ; sed non aliud affert argumentum quam
od in Regula ad Servos Dei sermo fiat de opere manuali,
quod idem laudat S. Augustinus in aliquo Sermone. Sane
ret id argumentum, si in utroque eadem adhiberentur
ba (5) ; verum quum ipse Christianus fateatur verba
ersa esse, nihil hinc deduci potest : quoniam eo tempore
nes monachi operi manuum incumbebant, idque proin
landum erat S. Augustino, sive monachi sui uterentur
gula S. Pachomii, sive sua, sive nulla prorsus.

. Sed demus Tillemontium, Helyotum, Mabillonium,
tingum, Papebrochium, De Brockie, Bellarminum et
anienses editores operum S. Augustini aliosque eruditos
isse, adeoque ipsum S. Augustinum scripsisse de monachis
clericis suis : « Praeposito tanquam patri obediatur,

) Codex Regularum Holstenii, Brockie, tom. 2, additament. bserv. crit. pag. 120.

) Tom. 1, pag. 347. Comment. praev. ad Vit. ugustini, § 26, num. 371, Act. d 28 Augusti, pag. 284.

) Responsio ad exhibit. errorum, art. 12, § 6, num. 71, Act. SS. Vindicata, pag. 422, Antverpiae, 1755.

(5) Cfr. Quaest. quodlib. de orig. eremit., cleric. et Sanctimonial. S. August. cap. 24, tom. 12 Opp. pag. 64, Venetiis, 1729.

multo magis *presbytero,* qui omnium vestrum curam gerit; nullatenus tamen inde sequetur « in Africa a S. Augustin monachos non tantum Episcopis sed et *presbyteris curat* subjectos fuisse, quemadmodum statuit R. D. Verhoeven.

Hic sane nobis dabit, quum haec quaestio apud Catholic jam liquida sit, non consentiendum esse iis, qui, ut loquitu Marius Lupus (1), « ubicumque in antiquis document *presbyter* occurrit, eumdem parochum (seu *presbyterum curc tum*) fuisse somniantur, » quosque etiam Nardi, parochus bibliothecarius Ariminensis, vir inexhaustae eruditioni plurimum culpat (2). Ex eo itaque, quod vocabulum *pr sbyter* in Regula ad Servos Dei occurrit, non sequitur id *presbytero curato* intelligendum esse.

4. Sed reponet forsan adversarius : Esto, non omn presbyteros fuisse *curatos;* verisimile tamen est monachoru gubernium non alii presbytero a S. Augustino concreditu fuisse quam *curato.* Neque haec Rev. Domino concedi possu Nam, ut mittam nomen *parochi, curati* et similia recentio aevi esse (3), adeoque diploma, quo abbas Beccensis et pr *de Meulent* anno 1212 parochiam S. Joannis *in Gr* erexerunt, vetustissimum aut certe inter vetustissima cens ubi vox *curatus* occurrat (4); ipsum munus certe ineu saeculo v non exstabat Hippone, ubi S. Augustinus alter coenobium in aede episcopali, alterum in horto eccles cathedralis, verisimillime ecclesiae claustris adhaerente habebat. Atque hic monasteriorum situs animadvertendus tum ut ea quae dicenda sunt facilius intelligantur, tum videat lector parum recte ab Rev. Domino totius *Afr* mentionem injectam fuisse, quasi aliqua S. Augustino pote fuisset extra dioecesim Hipponensem.

Ut autem lector clare perspiciat parochos seu presbyt curatos Hipponenses, quos adversarius inducit, expunger esse, nequaquam necessarium est ut hic in examen voc sintne parochi de jure divino an de jure ecclesiastico; in versanda quaestione nullus forte majorem sibi laudem

(1) De parochiis ante annum 1000, praef, pag. xi, ap. Nardi, Dei parrochi, tom. 1, pag. 151.

(2) Dei parrochi, tom. 1, pag. 151.

(3) Ibid. tom. 1, pag. 343 et passim.

(4) Cfr. Nouv. Traité de dipl tom. 4, pag. 344.

(5) Cfr. Hélyot, Hist. des O relig. tom. 3, pag. 4.

ruit quam Cardinalis de la Luzerne, cujus opus nuperius tum fuit (1) : neque inquirendum nobis est an parochiale inus et officium ortum sit sub lege naturae (2), quin etiam in tu innocentiae (3), ut nonnulli voluere; an ex institutione risti Domini (4); an saeculo III (5); an vero saeculo IV rae Christianae (6) : haec, inquam, problemata historica theologica omnino praetermittere licet, quoniam omnes iores critici in hoc conveniunt haec tantum quaeri posse parocciis ruralibus et oppidis, quae Episcopum non habeit; nequaquam vero de civitatibus episcopalibus, sicuti de ppone, sede S. Augustini. Porro de paroeciis, in ejuscemodi itatibus erectis, nonnulla quoque inter eruditos controrsia est.

Thomassinus (7) et Natalis Alexander (8 volunt saeculo IV mae et Alexandriae plures fuisse paroecias; licet iidem iptores nonnihil inter se pugnent de officiis parochorum, os his civitatibus assignant. Ad eamdem fere classem refeidus videtur doctissimus Binterim (9), qui, etiam antiquibus temporibus, in patriarchalibus civitatibus, Romae, xandriae et Antiochiae paroecias exstitisse contendit.

Ast Antiochiam expungendam esse ex S. Chrysostomi iptis ostendere conantur Tillemontius (10) et Cardinalis de Luzerne (11). Neque magis admittendos esse veteres Roma-

(1) Des droits et des devoirs des ques et des prêtres. Cfr. praeser- dissert. 2 et 3, Paris, Migne, 4.

(2) Genes. 4, 26, ap. Verersch, Verheventheydt der paroekerken, cap. 1, pag. 26 et seq. anii, 1735. Cfr. Specimina catis et doctrinae, etc. cap. 9, . 121, Coloniae, 1738.

(3) Richart, Pastor primit. ex iptura et canonibus, part. 1, 3, num. 5, tom. 1, pag. 38, odii, 1726.

(4) Gersonius et Facultas Theo- Parisiensis, ap. de la Luzerne, oits et devoirs des prêtres et des ques, chap. 3, col. 178 et seqq. ne, 1844.

(5) Binterim, Denkwürdigk. der katol. Kirche, tom. 1, part. 1, pag. 539 et seqq.

(6) Wilmet, Institutiones canonicae, lib. 1, tit. 3, sect. 10, § 87, num. 239, pag. 80.

(7) Vet. et nov. discipl. part. 1, lib. 2, cap. 21, num. 10 et seqq. tom. 1, pag. 289 et seq. et cap. 22, num. 1, et seqq. pag. 290 et seq.

(8) Hist. eccles. saec. IV, art. 7, tom. 2, pag. 260, edit. Mansi.

(9) Denkwürdigk, der katol. Kirche, tom. 1, part. 1, pag. 534 et seqq.

(10) Mémoir. ecclés. hist. de S. Alexandre, év. d'Alexand. art. 12, tom. 6, part. 1, pag. 398, edit. 1709.

(11) Des droits et des devoirs des év. et des prêt. col. 153.

nos parochos inter plerosque catholicos constat; quando quidem paroeciae, quas in hac civitate quidam reperire vo luerunt, nihil aliud sunt quam tituli cardinalitii; adeoqu Cardinales Romanos numquam fuisse parochos fuse inter alio demonstrat eruditissimus Nardi (1).

Cardinalis de la Luzerne (2) concedit saeculo IV Alexan driae parochos exstitisse; sed neque id admittit laudatus Nard statuens contrarium verisimilius esse (3); atque hic (4) cur Mario Lupi (5) doctissimo viro, contendit in civitatibus ep scopalibus nullas paroecias exstitisse ante annum Christi 100(adeoque primum hujus consuetudinis, deinceps passim intro ductae, mentionem fieri in concilio Lemovicensi anni 1032 (6 Quae sententia, utut primo conspectu incredibilis videatu in dies plures nanciscitur asseclas, neque huc usque felicite tentata fuit ejus confutatio. Et quidem, quum nuspian aliquid umquam reperire nobis obtigit quod ei opponi posse libenter ei subscribimus; civitatem Alexandrinam tame excipientes, quae propter argumenta, a Tillemontio (adducta, saeculo IV parochos aut quasi parochos habuis nobis videtur, licet aliqua tamen dubia nobis supersint.

Sed plura de hoc argumento hic loci congerere non juva quoniam in hanc sententiam fere propendent quicumque h quaestionibus examinandis nunc operam suam impendu neque volunt renovari difficultates, saeculo praeterlapso nonnullis in Gallia et alibi adversus Episcopos excitatas.

Neque est quod hic rerum status admirationem nostra excitet, quum tunc temporis paroeciae necessariae non esse in civitatibus episcopalibus, ut liquet ex illius aevi disciplin quam his verbis exponit Cardinalis Gerdil (8) : « Nulla en singulis presbyteris singularis attributa portio gregis qua

(1) Dei parrochi, cap. 23 et 24, tom. 2, pag. 95 et seqq. et pag. 151, et seqq.

(2) Op. cit. col. 153.

(3) Dei parrochi, cap. 32, tom. 2, pag. 484 et seqq.

(4) Ibid. cap. 32 et 33.

(5) In op. speciali de Parochiis ante annum Christi millesimum, Bergom. 1788.

(6) Lupi, dissert. 2, cap. 10, cit. a Francisco Gemelli in op. D unica chiesa cattedrale di Novar riconosciuta nel suo duomo, cap. num. 121, not. 1. Cfr. Labbe, C lect. Concil. tom. 9, col. 902 et s.

(7) Mém. ecclés. hist. de S. Al andre, art. 12, tom. 6, part. 1, p 397 et seqq.

(8) Respons. ad Archiepisc Ebredunensem, Opp. tom. 15, p 343.

eret; sed in universo grege regendo suam quisque pro loco tempore operam navabat, prout Episcopo expedire videur. Siqui baptizandi essent, si ad agapem conveniendum t, siquod aliud obeundum ministerium, e presbyterorum tu evocabatur ab Episcopo, qui baptizaret, qui agapi esideret, qui praescriptum officium expleret. In hac rarchiae descriptione, quae, probatissimo teste Ignatio, ab ostolorum aetate pluribus certe in Ecclesiis viguit, multi dem fuisse presbyteri perhibentur, nullus qui peculiari tionis gregis regendae addictus esset, nullus adeo qui ochus proprie dici posset; quum potius ita comparati nt, ut per universam Ecclesiam, cui adscripti erant, quae ochorum sunt munia, omnes indiscriminatim ac per vices rent, prout in hoc vel in illo loco, hoc vel illud munus, re jussi erant ab Episcopo. »

imili modo alii probati scriptores veterem disciplinam reint; e quibus unum adhuc, nonnullas difficultates remotem, juverit audire. « Episcopi, inquit Cardinalis de la erne (1), residebant in civitatibus, presbyterio suo circum- et munia curialia adimplebant. Quum numerus fidelium ltiplicaretur, necessarium non erat ut in eis statuerentur sbyteri curati. Satis erat multiplicari presbyteros, qui sub scopo adhiberentur, et ex ejus jussu ferrent auxilia spiria quibuscumque eorum indigentibus. Quum autem rure ceret populus fidelis, hic non amplius tam facile ad Epium, longius distantem, recurrere poterant... Presbyteri ati tardius in civitatibus constituti sunt, quoniam ibidem tam necessarii erant, quum ibidem Episcopus ipsemet npleret haec officia, ejusque locum, si non posset, numeum suppleret presbyterium. » Multo latius haec explicanab innumeris scriptoribus, quos inter egregium certe lotenet saepe laudatus parochus Nardi (2); cujus operis reviatam versionem gallicam in solatium deservitorum (3) erius edidit eruditus presbyter saecularis Sionnet.

Haec autem disciplina, si uspiam in usu erat, certe vigebat Ecclesia Africana; adeo ut Thomassinus et Natalis Alexan- qui saeculo IV et V parochos Romae et Alexandriae insti-

(1) Droits et devoirs, etc. col. 152 et 153.

(2) Potissimum in volumine 1.

(3) Praefat. pag. 2.

tutos volunt, nihil tamen de Africa habeant, licet copiosa sit Patrum Africanorum opera. Fuere quidem nonnulli, qui contenderint S. Augustinum Hipponensem fuisse parochum; at haec opinatio jam ab omnibus risu excipitur, quum nihil certius sit quam S. Augustinum de presbyterio Valerii fuisse ejus vices in cathedrali Hipponensi templo concionando, catechizando, baptizando aliisque muniis ecclesiasticis obeundo supplevisse, neque aliud templum, quo populus Hipponensis ad sacra conveniret, exstitisse.

5. Praeterea, si vera esset Rev. Domini sententia, sequeretur S. Augustinum perturbasse disciplinam illius aevi; quae duobus saeculis post ita adhuc erat in usu, ut *ambitiosi* tantum et monasteriorum praedatores eam infringerent, quemadmodum ex Joanne diacono et ex S. Gregorio Magno habemus. Ille enim de S. Gregorio scribens : « Singula, ait (1), ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi debere dicebat... neque uni quantumlibet exercitatae personae uno tempore duarum rerum officia committenda... Hinc est, quod *quibusdam ambitiosis,* sicut in suis literis, quas ego studio brevitatis omisi, poterit inveniri, moderationis frena frequenter imposuit. Unde... Ravennatibus clericis, monasteriorum regimina importune tendentibus, restitit Joanni Ravennati Episcopo scribens : « Pervenit ad me quod » in ecclesiis fraternitatis tuae aliqua loca, dudum monasteria » consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum » facta sint; dumque hi, qui sunt in ecclesiis, fingunt se religiose vivere, monasteriis praeponi appetunt, et per eorum » vitam monasteria destruuntur. Nemo enim potest et ecclesiasticis obsequiis deservire et in monachica regula ordinem » persistere, ut ipse districtionem monasterii teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Proinde » fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum est, emendare » festinet. Quia ego nullo modo patior, ut loca sacra per clericorum ambitum destruantur (2). » Quod quum exsecutioni mandatum non fuisset, scripsit (3) denuo sanctus Pontifex ad Marinianum, Joannis successorem, jussitque «

(1) Vit. S. Gregorii M. in Actis SS. ad 12 Martii, pag. 137.

(2) Vide etiam hanc epist. lib. 5, epist. 1, tom. 2 Opp. col. 727.

(3) Vit. S. Gregorii, loc. cit. lib. 7, epist. 43, tom. 2 Opp. 890 et seq.

rici ad monasteria accederent nisi ad orandum *aut ad pera-da sacra Missarum mysteria;* adeoque si ipse Abbas aut nachus ordinetur ad aliquot clericatus officium (*extra mo-sterium peragendum* (1),) *non illic aliquam habeat ulterius estatem,* ne monasteria hujus occasionis velamine sustinere ra compellantur. » Atque haec S. Gregorii verba adeo na sunt, ut absque ullo explicatu ostendant clericis saecu-ibus seu parochis nullam in monachos fuisse auctoritatem. iter autem animadvertamus haec dicta : « *Aut ad peragenda ra Missarum mysteria;* » tunc temporis scilicet interdum ac-ebat, ut nullus esset in monasterio, qui sacerdotali charactere igniretur : unde necesse erat ut advocarentur presbyteri culares ad sacra peragenda Missarum mysteria; sed his actis omnino eis vetitum erat se regundis monasterii nego- immiscere, licet nullo alio beneficio aut munere ecclesia-o occupari possent, et in monasterio habitare deberent : ie denuo constant ex pluribus S. Gregorii Magni litteris (2). Gallia obtinebat similis disciplina, ibique mittebantur clerici ordinanda seu ad administranda sacra munera in monaste- aeque ac in parocciis ruralibus ; sed vetitum omnino erat qui in monasteriis residerent, pristinum retinerent benefi-m (3).

Porro si abusus, quos S. Gregorius castigat, peculiares fue-t dioecesi Ravennatensi et paucis forte aliis proprii, neque nino (ut apparet) antiqui, quis crediderit S. Augustinum m intulisse vigenti disciplinae labem, ut presbyteros, certae lesiae addictos, simul monasterio virorum praefecerit?

5. Sed pro more, post examinata Rev. Domini asserta, res illustranda videtur. Prius itaque dicamus de presbytero, in Regula sanctimonialium occurrit, dein de presbytero is praeposito. quem nobis objecit R. D. Professor. Et qui-a presbyter ille, quem satis insigni auctoritate in sancti-niales ornavit S. Augustinus, verisimillime censendus est thenoni tantum adscriptus fuisse, nulli vero ecclesiae. od colligitur non tantum ex hactenus dictis, sed ex alio

; Ita intelligendum esse Mabil-us tom. 1, pag. 231, lib. 9, 1. 29 et passim in Annal. de-istrat.

) Lib. IV, ep. 18, tom. 2 Opp. col. 696; lib. X, epist. 2, tom. 2, col. 1043.

(3) Concil. Aurelian. III anni 535, can. 18, Labbe, Collectio concilior. tom. 5, col. 300.

etiam duplici fonte, nempe ex gestis fidelissimi imitatoris S. Augustini et dein ex disciplina Africana. S. Caesarius enim, Arelatensis Episcopus, qui discipulos suos « doctoris egregii, beatissimi Augustini, monitis et exemplis salubriter in scholis rectitudinis instruere solebat (1) » et totus Augustinianus erat (2), speciatim voluit et instanter in suo testamento a successoribus postulavit, « ut sive provisorem ad monasterium, sive presbyterum ad basilicam Sanctae Mariae, nullum alium haberet congregatio sancta (*quae e ducentis virginibus constabat* (3),) nisi quem ipsa elegisset (*in provisorem*), vel ordinari petiisset (*in presbyterum*) (4). » Similiter in *Statutis Ecclesiae antiquis,* quae in Collectione conciliorum Veneta (5) sub nomine *Concilii* IV *Carthaginensis* anni 398 referuntur, statuitur (6) ut « vir qui religiosis feminis praeponendus est, ab Episcopo loci (7) *probetur* : » unde manifestum est hunc non pro ordinario quocumque clericali munere, sed pro speciali deputatione sanctimonialibus praepositum fuisse. Ad has tamen pertinebat ejus electio eumque aliunde accersere licebat; ut ex responsis Bonifacii, provinciae Byzacenae Primatis constat. Circa annum enim 517 ad hunc perlatae fuerant virginum sanctimonialium querelae de presbyteris, qui jus sibi in monasterium earum esse jactabant (8). Non tulit hoc Bonifacius, et illis rescribens diserte ait (9) : « Insinuo, *semper servorum Dei vel ancillarum monasteria liberum habere arbitrium a conditione omnium clericorum. Quorum priscorum patrum sequentes ritum,* etiam vestrum monasterium hoc habere, et in vobis manere usque in aevum. Unde per hanc vos auctoritatem duximus commonendas, ut licentiam habeatis unde volueritis spiritalem sumere cibum, liberam in omnibus facultatem habentes. » E rursum : « Hanc vobis adstruimus licentiam, ut, *quem velitis*

(1) Epist. Mesiani discipuli S. Caesarii de magistri sui morte, ap. Mabillonium, Annal. Bened. tom. 1, append. alter. num. 8, pag. 629.

(2) Cfr. Mabillonius, Annal. lib. 4, num. 25 et seq. tom. 1, pag. 89.

(3) Ibid. num. 25, pag. 89.

(4) Ibid. lib. 2, num. 20, tom. 1, pag. 41.

(5) Collect. concilior. Venet. tom. 2, col. 1436.

(6) FF. Ballerinii Opp. S. Leonis M. Juris canon. vet. docum. tom. 3, col. 660.

(7) Vocabulum *loci* omittitur in codice Vaticano; Ballerinii, loc. cit.

(8) Morcelli, Africa Christiana ad annum 417, num. 1, tom. 3, pag. 250; Cfr. tom. 1, pag. 107.

(9) Harduinus, Acta conciliorum tom. 2, col. 1088.

vobis corrogetis presbyterum, qui vobis in monasterio peragat sacrosancta, et illa quae ad normam pertinent unitatis celebranda usque in perpetuum. Et siquis presbyterorum ibidem in monasterio divina celebraverit mysteria, ipsius Primatis altario Domini nomen recenseatur, ut jurgiorum semina in omnibus careant. » Atque haec Bonifacius Bavagalianensis seu Bulelianensis (1) Episcopus et provinciae Byzacenae Primas, rescripsit kalendis Majis anno 517 ad universas Dei ancillas suae provinciae. Hoc rescriptum in Concilio Carthaginensi anni 525 recitatum fuisse ad adstruendam monasteriorum libertatem inferius videbimus.

Quibus adde « juxta complurium saeculorum Ecclesiae disciplinam, ut disserit Catalanus (2), ita unumquemque suo titulo (nempe ecclesiae cathedrali, templo pagi, martyrio aut monasterio) per ordinationem alligatum fuisse, ut residere in ipso omnino teneretur ac exhibere officia, quae recepto ordini convenirent, depositione inter alias poenas adversus transgressores constituta; » quod dein ex canone XXI Concilii Arelatensis anni 314 aliisque monumentis probat (3).

Unde colligere posse mihi videor etiam presbyteros, qui parthenonibus praeficerentur, non tantum *curatos* non fuisse (de quibus in civitatibus episcopalibus tunc temporis ne quidem cogitabatur), sed ne presbyteros quidem ex presbyterio episcopali (quod nunc capitulum cathedrale dicimus), sed presbyteros omnino proprios parthenonum : et certe, quum saepe numerus virginum esset maximus, habebant unde occuparentur.

7. Hinc digredientes ad examen Regulae ad Servos Dei, quae quidem Augustini non est, sed tamen aliquando in usu fuit, obvios habemus *presbyterum* et *praepositum*. Hic autem secundum ab Abbate munus gerebat, quod nunc ferme *prioratum* dicimus; et maxime rem temporalem monasterii curabat, quemadmodum novimus non tantum ex Regulis S. Benedicti aliorumque (4), ex epistolis S. Gregorii Magni a Thomassino

(1) Morcelli, Africa Christiana, tom. 1, pag. 107.

(2) Concilia oecumenica illustrata, tom. 1, pag. 300 et seqq.

(3) Cfr. etiam Natalis Alexander, Hist. eccles. saec. IV, cap. 1, § 10, tom. 3, pag. 207, edit. Mansi.

(4) Cfr. Martenius, Comment. in Regulam S. Benedicti, pag. 749 et seqq.

citatis (1), sed ex ipso Possidio, amico et biographo S. Augustini, ita scribente (2) : « Domus ecclesiae curam omnemque substantiam ad vices valentioribus clericis delegabat et credebat. Numquam clavem, numquam annulum in manu habens : sed ab eisdem domus *praepositis* cuncta et accepta et erogata notabantur : quae anno completo eidem recitabantur, quo sciretur quantum acceptum, quantumque dispensatum fuisset, vel quid dispensandum remansisset; et in multis titulis magis illius *praepositi* domus fidem sequens, quam probatum manifestumque cognoscens. »

Unde cura rerum spiritualium maxime in alterum superiorem redundabat; quem saltem ex hoc capite decebat esse presbyterum. Hinc superius (3) S. Augustinum laudantem audivimus monasterium Mediolanense, quod a venerando *presbytero* regebatur; hinc Leporium *presbyterum* monasterio Hipponensi, a semet constructo, praesedisse ex ipso S. Augustino (4) cognovimus, et innumera ejuscemodi obvia sunt exempla. Neque tunc temporis adeo difficile erat in Africani et potissimum in Hipponensibus monasteriis religiosos reperire, qui sacris ordinibus suscipiendis apti forent; quum ex ipso S. Augustini monasterio prodierint « decem, quos Possidius novit (5), sancti ac venerabiles viri continentes et doctissimi, quos beatus Augustinus diversis Ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. »

Age vero, quum contingeret ut Abbas foret presbyter, tum saepissime non dicebatur Abbas, sed *presbyter*, seu *presbyter Abbas*. Quae lex tam communis erat, ut similiter, si quis monachus presbyter esset aut diaconus, non monachus sed *presbyter* aut *diaconus* appellaretur; quae consuetudo partim hodieduni obtinet in monachis Episcopis creatis, quos nude Episcopos nuncupamus. Paucis testimoniis haec illustranda videntur.

Ut mittam exempla ex Ecclesia Orientali petita, S. Augustinus et populus Hipponensis Leporium, monachum

(1) Vet. et nov. discip. part. 1, lib. 2, cap. 93, num. 17 et seqq. tom. 1, pag. 530, et lib. 3, cap. 65, num. 1 et seqq. pag. 843.

(2) S. Augustini Episc. Vit. cap. 24, Opp. S. Augustini, tom. 10, append. col. 273.

(3) Vide supra, pag. 104.

(4) Sermo 356 de vita et morib clericorum, num. 10, tom. 5 Op S. Augustini, col. 1388.

(5) Possidius, Vita S. Augusti cap. 11, tom. 10 Opp. S. Augusti append. col. 264.

superiorem monasterii, appellabant non Abbatem sed *presbyterum* (1); S. Gregorius M. in celebri Augustoduensi privilegio (2), a Mabillonio (3) aliisque ex congregatione S. Mauri monachis (4) saepius vindicato, praefectum jam nude *Abbatem,* jam *Abbatem aut presbyterum,* dein *Abbatem atque presbyterum* nuncupat; item S. Braulio in prooemio ad Vitam S. Aemiliani (5) Citonatum prius *venerabilem Abbatem* vocat, postea autem *presbyterum sanctissimum;* similiter Usuardus (6) S. Sequanum, Abbatem Segestrensem, simpliciter *presbyterum* dicit, et eumdem Ado (7) cum solo *presbyteri* vel *presbyteri et monachi* titulo profert, omisso nomine Abbatis; non secus S. Richarii *presbyteri et confessoris* mentionem faciunt martyrologi veteres (8), omittentes eum Abbatem Centulensem dicere; eodem modo Stephanus II Papa scribens ad Fulradum, Abbatem S. Dionysii, nude eum *presbyterum* appellat (9); neque aliter Eigil in Vita S. Sturmii ait (10) : « Nobilem puerum *Sturmium* suo cuidam *presbytero,* nomine Wigberto, sanctus Bonifacius commendavit; » qui presbyter Abbas erat Fritislariensis. Ut autem verbum quoque addatur de monachis presbyteris et diaconis non Abbatibus, S. Bonifacius in epistola quadam sua decernit (11) ut post obitum praefati Abbatis S. Wigberti alter « Wigbertus *presbyter* et Megingordus *diaconus* regulam monachis insinuet et magistri sint infantium. » Simile specimen videre est in Concilio Lateranensi sub S. Martino I (12).

Ex his nemo non facile colligit unde factum fuerit, ut in aliquot Regulae ad Servos Dei codicibus Abbas *presbyteri* nomine designatus fuerit, praesertim quum id nomen in Regula ad sanctimoniales legeretur. Sed, quum monasteriorum

(1) Sermo 356 de vita et moribus clericorum, num. 10, tom. 5 Opp. S. Augustini, col. 1388.

(2) Epist. S. Gregorii M. lib. 13, epist. 8, tom. 2, Opp. col. 1222 et seq.

(3) Annal. Bened. lib. 7, num. 67, tom. 1, pag. 185 et seq.

(4) In edit. opp. S. Gregorii, loc. cit.

(5) Acta SS. Ord. S. Benedicti, saec. 1, pag. 205 et seq.

(6) Ad XIII kal. octob. edit. Molani.

(7) Ad eamdem diem, edit. Georgii.

(8) Ad 26 april. Cfr. Ado Georgii, pag. 173.

(9) Act. SS. ord. S. Bened. saec. 3, part. 2, pag. 338.

(10) Ibid. pag. 270.

(11) Epist. 17, edit. Serarii; Cfr. Mabillonius, Annal. Bened. lib. 22, num. 16, tom. 2, pag. 124.

(12) Labbe, Collect. concil. tom. 6, col. 112 et seq.

moderatores non semper essent presbyteri (1), adeoque ut dictum fuit (2), interdum fierit ut nullus monachus ex universo coetu ad augustissimum et tremendum Ordinis sacramentum promotus esset, inde quoque contigit ut in aliis hujus Regulae codicibus loco vocabuli *presbyter* substitutum fuerit *Abbas,* prout testantur Maurini S. Augustini operum editores (3). Haec autem dicenda nobis videbantur de presbyteris curatis, quibus nequaquam S. Augustinus monachos in Africa subjecit.

8. Priusquam vero hunc paragraphum dimittamus, ultimus numerus breviter examinandus superest (4). Hic quidem, qualis jacet, speciem satis benignam prae se fert; quin etiam, licet in majoribus operibus ejuscemodi quaestiones variis de causis interdum tractandae sunt, vix intelligitur primo intuitu, quae ratio movere potuerit Rev. Dominum ut tres e libello paginas insumeret ad ostendendum (quod quidem aliquot olim haeretici monachi negarunt, absque presbyteratus Ordine Missae sacrificium celebrantes (5), sed quod nullus umquam catholicus in dubium vocavit), scilicet monachis vi sui monachatus missionem ecclesiasticam non tribui. Verum si haec connectantur cum his quae inferius R. D. Professor tradit de sacro ministerio, tunc tantum credendo regularibus, quum deficit clerus saecularis; omissio satis gravis facile percelli oculos. Ait nempe Rev. Dominus (6) : « Ex eo quod vot quis se obstringat ad obeundas sacras functiones, potestatem et jus non obtinet eas statim obeundi; nam votum illud *voluntatem* tantum indicat voventis, non vero *potestatem* sacri muneribus fungendi. » Quae dicta, absolute sumpta, quar verissima sunt : sed, si attendatur talia vota emitti tantum i Ordinibus, quos speciatim Ecclesia instituit ad ea obeund munera, votum istud non tantum indicat *voluntatem voventis* verum etiam *voluntatem Ecclesiae,* ut is, demptis impediment canonicis, ad eadem adhibeatur. Praeterea Mendicantes, qu hic potissimum tanguntur, jurisdictionem habent a Pontifice mediantibus suis superioribus; et approbatio, quae eis petend

(1) Calmet, Comment. litteral. in Regul. S. Bened. tom. 2, pag. 292 et seq.
(2) Vide supra, pag. 143.
(3) Opp. S. Augustini, tom. 1, col. 794.
(4) Pag. 20 et seqq.
(5) Godeau, Hist. ecclés. liv. num. 33, tom. 2, pag. 320.
(6) Pag. 21.

est ab Episcopis, est actus judicialis de eorum aptitudine, qui non pro beneplacito, sed secundum strictum jus ponendus est : quandoquidem hic nulla gratia intervenit (1), non secus ac in parocho canonice electo. Demum consideranda est Ecclesiae mens, quae multis privilegiis religiosos ornavit, ut facilius et fructuosius illis muneribus fungerentur. Quae omnia saepius inculcanda erunt.

Meminit etiam hoc loco Rev. Dominus non tantum praedicationis verum etiam docendi muneris : « Hinc, inquit (2), si professio in Ordine, qui ad praedicandum vel *docendum* institutus est, causa esset, cur aliqui religiosi talis Ordinis possent praedicare vel *docere,* dici quoque deberet, omnes, quotquot fuerint professi, eodem jure frui, » etiam fratres laicos. Quo loco adversarium de doctrina sacrae theologiae vel de catechizatione alia quam domestica loqui omnino confidimus. Si enim de tradendis bonis literis aut philosophicis disciplinis ageret, ostendendum ei esset Apostolos eorumque successores ad haec docenda missos fuisse; quod quidem a nemine hucusque factum novimus, neque videmus Romanos Pontifices aliud sibi vindicare quam tuitionem catholicae fidei, custodiam depositi sanctae ejus doctrinae et moderamen publicae institutionis sacrarum disciplinarum (3). Hi quidem propter votum obedientiae, quod sibi a regularibus praestatur, impedire possunt quin litteras aliasve similes disciplinas, quas sancti Patres Aegypti spolia saepius appellant, inter scholares spargant; ast haec eorum auctoritas ex libera religiosorum propriae voluntatis abdicatione oritur.

9. In annotato ad hunc locum animadvertit R. D. Professor (4) « probari ab Hallier, regulares qua regulares absolute non pertinere ad hierarchiam ecclesiasticam. » Re quidem vera, si de hierarchia *divina* agatur, quis nesciat dicendum esse cum Concilio Tridentino (5) « esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris? » Nec ullus religiosus in Belgio monito indigebat se per religiosa vota non factum esse Episcopum, presbyte-

(1) Cfr. Theophilus Raynaudus, Confiteor reformatum, prolusio, § 7, tom. 11 Opp. pag. 153.

(2) Pag. 22.

(3) Breve Gregorii XVI, *Majori certe solatio.* Journal hist. et littér. tom. 1, pag. 58.

(4) Pag. 22.

(5) Sessio XXIII, de Ordine, can. 6.

rum, diaconum, etc.; quocirca non satis intelligimus quo demum haec ducere debeant. Sane, ad conciliandam regularibus reverentiam satius fuisset animadvertere plerosque regulares, qua presbyteros et Ecclesiae ministros, aeque ac Vicarios Generales, parochos aliosque, spiritualibus muneribus fungentes, hierarchiae sacri Ordinis insignem partem esse; eorum superiores ita pertinere ad hierarchiam *ecclesiasticam* proprie dictam, ut constituant ordinem hierarchicum specialem, mediate aut immediate a Summo Pontifice dependentem, nempe hierarchiam *jurisdictionis ecclesiasticae regularis,* quae Abbates, Generales Praepositos Ordinum, Provinciales et superiores locales complectitur; hos omnes honestum quoque locum nancisci in hierarchia *praelaturae, dignitatis, gradus,* etc; in hierarchia autem *praecedentiae,* quae, ut habet Nardi (1), non proprie hierarchia, sed *bonus* hierarchiae *ordo* dicenda est, libenter annotamus clerum regularem venire *post* clerum saecularem: unde, quum unicuique suus locus debeatur, Rev. Domino libellus suus non inscribendus erat: *De regularium et saecularium juribus et officiis;* sed: *De saecularium et regularium clericorum juribus et officiis;* animadvertere insuper poterat R. D. Professor statum religiosorum ab Ecclesia semper habitum fuisse ut apostolicum et proximum hierarchiae divinae (2), adeo ut omnes regulares, etiam fratres laici, gaudeant privilegio canonis aeque ac quicumque clerici; omnes Christianos a S. Hieronymo et secundum eum in Jure Canonico in duos ordines seu genera distingui, quorum prius *clericos et Deo devotos* seu regulares continet, posterius *laicos saeculares;* demum plures scriptores, licet alii refragentur, aestimare olim vitam monasticam supplesse ordines minores et ipsum subdiaconatum (3). Ex quibus colligitur honestum satis esse locum, quem regulares in Ecclesia Dei obtinent

10. Jam, si institutum iter mente relegamus, mirabitur forsan lector tot offensionis lapides nobis obvios fuisse. Ast

(1) Tom. 1, pag. 419.

(2) Nardi, tom. 1, pag. 419.

(3) Thomassinus, vetus et nova disciplina, part. 1, lib. 3, cap. 14, num. 4, tom. 1, pag. 671; Mabillonius, Gemina apologia Benedictinorum, part. 1, pag. 28, et part. 2, pag. 39; Annales Bened. lib. 10, num. 20, tom. 1, pag. 252; Maurini editores opp. S. Gregorii M. in Vita S. Gregorii, lib. 4, cap. 6, num. 11, tom. 4, pag. 299; Cfr. Morinus, de sacris ordinat. exercit. 11, cap. 2, part. 3, pag. 155 et seqq.

haec admiratio nonnihil recidet, si animadvertatur praeluxisse R. D. Professori Franciscum Hallierum, quem omnes regularium adversarii adire solent et quem Van Espen (1) laudat, quod magno numero ab eo referuntur concilia saeculi v, vi, vii, viii, quae ad auctoritatem Episcoporum in monachos extendendam facere possunt. Scripsit scilicet librum suum Hallierus, quum in Gallia discordiae agitarentur de sacro ministerio inter clerum saecularem et regularem. Ipse autem et larvatus Petrus Aurelius, id est Abbas Sancyranus, Jansenio amicissimus, partes cleri saecularis ita egerunt, ut uterque a scriptore ex Religione Fratrum Minorum (2) in eodem ordine, quo Gulielmus a S. Amore, olim a S. Thoma profligatus, collocentur; et ut liber Petri Aurelii manibus lictoris fuerit publice combustus (3); utriusque autem libros aggressi sunt plurimi ex Ordinibus regularium viri (4). Re quidem vera nullus dubito, quin R. D. Professor, qui concordiae servandae causa se scripsisse perhibet, missum fecisset Hallierum, si oculos conjecisset in indicem Ludovici Cellotii (5); qui ipse quidem longius in adversam partem progressus, allatis Hallieri verbis, ostendit ab eo lectos non fuisse libros quos citat; eum Pontificibus Romanis injurium esse, iisdem consilia obtrudere, censuram pontificiam incurrere, ridere Martyres Anglos et monachorum appellationem, illos ex faece populi nuncupare, non necessarios in Ecclesia tradere, eosdem comparare cum haereticis, eorum fidem calumniari, eosque haereseon dicere fautores, eorum privilegiis infensum esse, eadem non agnoscere, tollenda disputare, paralogismis laborare et contradictionibus; et ejuscemodi infinite alia ei exprobrantur : Quas incusationes demus exaggeratas esse : evidens nihilominus est parum ad pacem firmandam conferre posse ejuscemodi libri expilationem.

(1) Repagulum canon. part. 2, cap. 1, regul. prim. tom. 2 Opp. pag. 846.

(2) De privilegiis Regularium, praef. in fine.

(3) Antifebronius, cap. 7, tom. 4, pag. 232, Bruxell. 1829.

(4) Feller, Dictionn. hist. vv. *Hallier* et *Cellot*, et Biographie universelle, vv. *Hallier* et *Cellot*.

(5) De hierarchia et hierarchis, Index, v. *Franciscus Hallier*.

CAPUT SEPTIMUM.

DE VETUSTISSIMA EXEMPTIONUM DISCIPLINA; ASSERTA R. D. VERHOEVEN DE PRIVILEGIIS SAECULI VI ET VII.

1. *Synopsis dicendorum.*
2. *Quomodo de privilegiis agendum sit.*
3. *Pollicetur R. D. Verhoeven se ostensurum hodierna privilegia esse antiquissima, et ostendere conatur ea esse recentiora.*
4. *Scribit se secuturum placita Thomassini, quae eruditi* paradoxa *vocant.*
5. *Indicat antiquitus plures Ordines regulares exstitisse : ostenditur unum tantum exstitisse Ordinem monasticum.*
6. *Non apte loquitur de communicatione privilegiorum.*
7. *Asserit privilegiis sacculi* VI *concessam tantum fuisse liberam electionem Abbatis et administrationem bonorum.*
8. *Fundamentum veterum exemptionum.*
9. *Vetustissima libertas omnium monasteriorum Africae stabilita fuit in Concilio Carthaginensi anni* 525.
10. *Iterum fuit eadem renovata in Concilio anni* 534. *Subdebantur omnia monasteria Primati Carthaginensi.*
11. *Eadem conditio est monasteriorum exemptorum, quae nunc subduntur Romano Pontifici.*
12. *Licebat olim in Ecclesia Latina monasterium, in loco non sacro fundatum, cuivis subjicere Episcopo.*
13. *Licebat idem in Ecclesia Graeca. Hinc evertuntur R. D. Verhoeven placita.*
14. *Falso traditur a R. D. Professore monachis jure commun non licuisse suos eligere Abbates.*
15. *Idem perperam ab eo asseritur de bonorum administratione*
16. *Constitutum pro monachis, quod luxatum allegat R. D. Verhoeven, si genuinum sit, ita contra eum pugnat ut omnic Italiae monasteria sacculo* VI *plene exempta dicenda sint*
17. *Si apocryphum sit, parum feliciter allegatur.*

18. *Contendit R. D. Verhoeven Adeodatum Papam primum esse, qui monasterium aliquod, scilicet Turonense, a jurisdictione Episcopi exemerit.*
19. *Contra ex Formulis Marculfi probatur innumera jam ante monasteria similibus privilegiis donata fuisse.*
20. *Idem probatur ex exitu controversiae Mabillonii cum Papebrochio.*
21. *Id ipsum argumentum, quo R. D. Verhoeven adstruit tempore Adeodati eam* inauditam *fuisse* novitatem, *aperte demonstrat* antiquissimum *fuisse* morem.

1. Tertio paragrapho capitis primi titulum indidit R. D. Professor : *De privilegiis et exemptionibus regularium ;* eumque sequentibus numeris digessit (1) :

« I. Privilegia, quae Summi Pontifices vel Episcopi initio, presertim saeculo sexto, regularibus concesserunt, non aliud fere continebant nisi licentiam eligendi Abbates et libere administrandi bona sui monasterii. » Demonstrabitur contrarium.

« II. Summus Pontifex Adeodatus primus fuit, qui monasterium a spirituali jurisdictione Episcopi liberavit, idque praestitit dumtaxat cum consensu Episcopi dioecesani. » Demonstrabitur priorem partem stare non posse, et alteram nequaquam suffragari R. D. Professori.

« III. Ab octavo usque ad undecimum saeculum eadem fere, quae prioribus saeculis, privilegia regularibus concessa fuerunt. » Demonstrabitur haec, secundum praecedentes numeros intellecta, prorsus pugnare cum veritate historica.

« IV. Undecimo saeculo monasteriis complura quidem fuerunt impertita privilegia, non tamen omnis Episcoporum in eadem cessabat jurisdictio, nisi id in fundatione monasteriorum esset praecautum, vel Episcoporum consensus accederet. » Demonstrabitur omnia, quibus Rev. Dominus hunc numerum illustravit, adversari historicae veritati.

« V et VI. Ante saeculum decimum tertium non inveniuntur privilegia, quorum vi Regularibus fas esset, invitis Episcopis dioecesanis, praedicare verbum Dei, vel excipere confessiones sacramentales laicorum. » Demonstrabitur contrarium.

(1) Pag. 24 et seq.

« VII. Traduntur quaedam regulae ad usum privilegiorum pertinentes. » Demonstrabitur plures ex his regulis non posse admitti.

« VIII. Regulares privilegia sua Episcopo exhibere debent, ubi aliquid agere vel omittere volunt, quod juri communi, Concilio Tridentino vel Summorum Pontificum decretis contrarium est. » Demonstrabitur evolutionem hujus theseos in plerisque erroneam esse.

2. Priusquam autem ad examen harum propositionum veniatur, juverit nonnulla praemittere quibus resciatur quo animo de privilegiis et exemptionibus regularium dicendum sit, et qui scopuli vitandi.

Imprimis maxima hic opus esse prudentia ex multiplice capite colligitur. Habemus enim ex ipso Van Espen, qui *Praefationem* suam *historico-apologeticam* ad *Repagulum canonicum adversus nimiam exemptionum a jurisdictione Episcoporum extensionem* ita concludit (1) : « Hasce denique et Praefationem apologeticam et praefatae propositionis (*de simonia* discussionem una praemittendas censui, ut notam *antipapalis* inique mihi impactam a me et scriptis meis amolirer. *Quod vel maxime hic necessarium judicavi, quum in eo versatus sim argumenti, scilicet exemptionum, canonicum illis objiciens repagulum; unde,* SI EX ULLO, *suspicio mihi nascitur fore ut praedicta imminutae auctoritatis pontificiae nota scriptum meum aspergatur.* »

Neque injuria sibi cavit Espenius, quum *temerarium* si insurgere contra tam vetustam disciplinam, et cujus tanta es in Ecclesia et republica civili auctoritas. Audiamus enim Pium VI, dum in litteris apostolicis *super principiis Constitutionis cleri* Gallicani in hunc loquitur modum (2) : « Novissime vero, inquit, auctores operis inscripti : *Nouveau traité de diplomatique* (3), quum refellerent adversarios exemptionum regularium, haec in verba proruperunt : « Quelle attention » peuvent donc meriter les déclamations de l'historien du » droit public ecclésiastique Français, contre les privilèges » accordés aux monastères ; priviléges, dit-il, et exemption » qui n'ont pu être accordés sans renverser la hiérarchie

(1) Opp. omn. tom. 2, pag. 840. et seq. edit. Belg. 1800.
(2) Breve, *Quod aliquantum*, Collect. Brevium, etc. tom. 1, pag. 90
(3) Tom. 5, pag. 379 et seq.

sans violer les droits de l'épiscopat, et qui sont de vrais abus et en produisent de considérables. *Quelle témérité* de s'élever ainsi contre une discipline si ancienne, si autorisée dans l'Eglise et dans l'État. » Notandum est vocabula : *Quelle témérité*, distincto charactere in litteris pontificiis excusa sse.

Ex historia praeterea novimus omnibus fere intestinis Ecclesiae hostibus, Gulielmo a S. Amore, Paulo Suavio, Launovo, Van Espen, Febronio, Scipioni Ricci, Constitutionalibus Gallicanis aliisque innumeris commune molimen fuisse ut regularium exemptiones et privilegia destruerent. Ast Pontifices et merentissimi scriptores catholici plane eos damnarunt aut confutarunt; videlicet Alexander IV proscripsit opera Gulielmi a S. Amore; Pauli Suavii de exemptionibus commenta refutavit Palavicinus; Lannovi opera inscripta sunt Indici, ubi jam pridem Suavii Tridentina Historia nigro cappa notabatur; Van Espen male audit apud omnes, adeoque apud ipsum Rev. Dominum; Febronius, exagitatus ab ingenti Catholicorum agmine et damnatus a S. Sede, coactus fuit conscientiae stimulis ad agnocendam privilegiorum utilitatem (1); Pistorienses experti sunt censuram Pie VI in Bulla *Auctorem fidei* (2), et constitutionales Gallicani in Brevi *Quod aliquantum* (3).

Ex his autem ecclesiasticis sanctionibus, ex hoc haereticorum et incredulorum odio argumentum pro exemptione regularium servanda deduxit piae memoriae Gregorius XVI in Brevi 4 ad illustrissimum Archiepiscopum Mechliniensem, nunc (quem Deus diu sospitem servet) eminentissimum Cardinalem Engelbertum Sterckx; cujus partem alibi refecimus.

3. Quae itaque in praesenti argumento latent foveae, R. D. Professori notae fuisse videntur. Certe ne offenderet ad notissimas in Belgio litteras apostolicas Gregorii XVI, ad litteras pastorales eminentissimi Cardinalis Mechliniensis et ad

(1) Retractat. Febronii, positio xxv; Cfr. Feller, Coup d'œil sur le congrès d'Ems, pag. 150 et seq.; Cardin. Gerdil, Animadvers. in comment. in retractat. Febron. tom. 13 Opp. omn. pag. 351.

(2) Propos. VII.

(3) Edit. et loc. cit.

(4) Vide Journ. hist. et litter. de Liege, tom. 2. pag. 374; et Stat. dioec. Brug. tit. 6. art. 2. pag. 69. edit. 1838.

constitutiones synodales Brugenses, quibus Breve Gregorii XVI partim inseritur, scripsit haec verba (1) : « Juvabit pauca quaedam praemittere de antiqua Ecclesiae disciplina, qua regebantur monachorum et regularium Ordines, antequam jus novissimum, quod vocant, a Concilio Tridentino Summisque Pontificibus, oecumenicae huic Synodo aetate posterioribus, sanciretur; *eo* quidem *fine, ut hac ratione constet, jus, quo in hoc rerum genere hodie utimur, non novum esse au recenter introductum, sed in remotissima etiam antiquitate fer idem reperiri.* » Atque in his concordat cum Gregorio XVI *longam saeculorum plurium experientiam* invocante.

Verum, ex nescio qua mentis avocatione, *ad remotissiman praesentis disciplinae antiquitatem, ad hanc longam saeculorun plurium experientiam* adstruendam, totus est in parte negativa assidue amolitur vetustatis testimonia; monumenta minu recte interpretatur; omnino, sane praeter suum intentum viam init exemptionis adversarioruum : verbo, non antiquitatem probat praesentis disciplinae, sed ejus novitatem; quo adeo verum est, ut pedem figat ubi omnes regularium privilegiorum osores sistunt in subvertenda exemptionis antiquitate et ut ne dicat quidem quo tandem aevo praesens disciplina ort sit : quae animadversio quam in rei veritate sit fundata, no tantum ex universo praesenti paragrapho liquet, sed vel e sola paragraphi synopsi quam supra (2) ex Rev. Domini opu sculo descripsimus. Atque haec nequaquam minus benevol erga Regulares animo tribuimus, sed uni infido duci cui commisit.

Partes itaque nostrae sunt vindicare contra R. D. Profess rem assertum Gregorii Papae XVI de *longa plurium saecul rum experientia,* qua exemptionis utilitas comprobata est, nc secus ac litteras pastorales eminentissimi nostri Cardinalis constitutiones synodicas reverendissimi Praesulis Brugensi quibus istud assertum inclusum fuit; seu etiam ipsi R. D. Professoris propositionem contra praeposteras ejus pr bationes.

4. Audiamus itaque ejus argumenta : « Jam quidem, i quit (3), a multis saeculis Romani Pontifices et Episcopi aliqu

(1) Pag. 1, post praefat.
(2) Vide supra, pag. 135.
(3) Pag. 24.

impertiti sunt privilegia, quibus certis in rebus ab Episcopi dioecesani potestate liberabantur monachi et regulares; verum *nostra potissimum interest* indicare, *quando* hujusmodi privilegia primum concedi coeperint, et *quasnam* comprehenderint *causas.* » Ex praemissa synopsi de his judicare jam potest lector.

« Multa in hanc rem, sic pergit (1), scriptores de antiqua Ecclesiae disciplina congesserunt; prae caeteris vero copiose et luculenter de hac re scripsit Ludovicus Thomassinus in opere quod inscribitur, *Vetus ac nova Ecclesiae disciplina.* Quapropter ego hic nihil fere aliud molior, quam ut excerpta quaedam conferam ex scripto illo celeberrimo, praecipue autem ex part. I, lib. III, cap. 29 et seq. »

Hic sistimus lectorem, qui nonnulla de hoc Thomassini opere monendus videtur. Imprimis nullum est opus, quo quis facilius abuti possit quam hac Thomassini scriptione. Congerit enim Thomassinus canones Conciliorum, diplomatum fragmenta aliaque historiae ecclesiasticae monumenta; quae omnia ad certa refert capita, ratiociniis et animadversionibus conatur colligare, ut potiorem juris canonici partem quasi vivam et agentem exhibeat : unde nihil promptius quam ope hujus libri lectori suadere praesentem Ecclesiae disciplinam cum veteri pugnare, quum ad id sufficiat aliquot inde seligere canones; unius alteriusve scriptoris dicta, ibi relata, describere; et reliqua, quae in partem contrariam faciunt, alto premere silentio. Id inter alios factum esse a Van Espen, quin etiam maxime in hac praesenti de exemptionibus quaestione (2), omnibus satis constat (3) : neque id diffitebitur Rev. Dominus, qui eumdem Espenium asserit esse potius compilatorem (maxime ex Thomassino) quam scriptorem sui juris canonici (4). Unde generatim colligimus non satis esse uti Thomassino, sed praecipuum scriptoris officium esse bene eo uti.

Praeterea Thomassinus, cui libenter concedimus omnes laudes quae vulgo ei tribuuntur (5), in praesenti quaestione non satis aequus scriptor videtur. Etenim scopus ejus totus in hoc

(1) Loc. cit.

(2) Cfr. Jus eccles. univ. part. 3, tit. 12, tom. 2 Opp. pag. 406 et seqq.

(3) Feller. Dictionn. historiq. v. *Thomassin*, tom. 10, pag. 106 edit. Lugdun. 1823.

(4) Revue cathol. de Louvain, Artic. contre M. de Bavay sur Van Espen, Nov. 1846, pag. 498.

(5) Cfr. Feller, Dictionn. histor. v. *Thomassin.*

est positus ut extendat Episcoporum auctoritatem et jurisdictionem in regulares; atque hunc ipse satis patefacit multis in locis, quorum unum, depromptum ex primo capite et primo numero, ubi de hac re agit, placet recitare : « Caeterum, ait (1), ex his ipsis, quae mox deprompturi sumus, Episcoporum privilegiis *stabilietur magis magisque authoritas et jurisdictio antiquissima Episcoporum in monasteria.* » Et ita quidem hoc consilium exsequitur, ut continuo intentus sit ad restringenda privilegia falsis additis interpretationibus, aliisque id genus : ita ut sine ullo fere labore *ducenti* saltem hujuscemodi errores in hoc solo de privilegiis tractatu indicari possent. Ne autem praefidentiores videamur, audiendi sunt Maurini scriptores Novi Tractatus de re diplomatica, quorum dicta (ut vidimus) de privilegiorum antiquitate contra Constitutionales Gallicanos ursit Pius Papa VI (2). Ajunt nempe (3) : « Dire que les exemptions immédiates au S. Siége étoient inconnues avant le xe siècle, c'est un des *paradoxes* de M. Eckart (4) : *paradoxe à la vérité qui avoit été déjà soutenu par le P. Thomassin,* par M. Talon et par quelques autres auteurs. Mais ils ont été si puissamment réfutés, surtout par le célèbre M. Cochin, qu'il est inutile de remettre sous les yeux du public les exemptions plus anciennes que le xe siècle établies par le sacerdoce et l'empire. » Quum itaque Rev. Dominus professus sit « se hic nihil fere aliud moliri, quam ut excerpta quaedam conferat ex scripto illo celeberrimo Thomassini, » eo ipso praemonuit lectorem ea in scenam proditura, quae durior verbo Maurini *paradoxa* appellarunt, nos errores historicos dicemus.

Neque ita difficile erat intelligere machinas, a Thomassino exstructas, nequaquam solidas esse; siquidem necessarium non erat operosiores Cochini labores adire, sex volumina novi Tractatus de re diplomatica versare, Mabillonii de re diplomatica pervolvere libros, quibus se ingenue victum confessus est Papebrochius, aliaque majoris molis opera tractare : sed satis erat oculos conjicere in vulgatissimos libros, quibus Zaccaria

(1) Vet. et nov. discip. eccles. part. 1, lib. 3, cap. 29, tom. 1, pag. 725.

(2) Vide supra, pag. 134 et seq.

(3) Nouveau traité de diplomatique, tom. 5, pag. 109.

(4) Commentar. de rebus Francor. Oriental. tom. 1, pag. 505.

seu ejus breviator, Benedictinus quidam monachus (1), profligavit Febronium; in opusculum Felleri de congressu Emsensi (2); in Breviculum modernarum controversiarum de Ecclesiae catholicae hierarchia (3), anno 1825 Gandae editum ad praemonendum clerum contra serpentes errores; in opera Cardinalis Gerdilii, redarguentis tum Febronium (4), tum Jansenistas et Josephistas Italos (5); et in innumera alia quae exeunte saeculo praeterlapso edita fuerunt.

5. Quum autem R. D. Professori, nimia reverentia prosequenti Thomassinum, visum sit nullam rationem habendam esse eorum omnium, quae per 150 annos adversum illius scriptoris placita conscripta fuerunt, haec nos remanet sparta ut denuo errores istos historicos redarguamus.

« Porro privilegia, inquit Rev. Dominus (6), quae saeculo praesertim sexto vel ab Episcopis vel a Summis Pontificibus concedi coeperunt, non referebantur ad *omnia universi cujusdam Ordinis monasteria.* » Quae verba : *omnia universi* CUJUSDAM *Ordinis monasteria* evidenter ostendunt R. D. Professori persuasum esse saeculo VI *plures* exstitisse Ordines religiosos; quod paucis lineis supra, ubi in antiquitate sacra *monachos* reperit *et* viros simpliciter *regulares,* et nonnullis aliis locis jam satis indicaverat. Verum nihil ex universa historia monastica magis notum est quam *unum* solum (non vero *plures*) tunc temporis agnitum fuisse *Ordinem monasticum.* Disserentem audiamus Mabillonium (7) : « Haec quoniam a nostris moribus absunt (*modo egit de observantia plurium Regularum in uno eodemque monasterio; de qua nos ipsi supra locuti sumus* (8),) a verisimilitudine aliena plerisque videntur, qui Ordinum religiosorum differentiam ex Regularum diversitate pro nostrorum temporum statu aestimant. Verum illo aevo, quum unus esset monasticus Ordo, necdum in varias classes divisus; illa Re-

(1) Antifebronius, cap. 7. tom. 4, pag. 269 et Antifebronius vindicatus, dissert. 10, cap. 4, num. 3 Ap. Migne, Cursus completus Theolog. tom. 27. col. 1167 et seqq.

(2) Coup d'œil sur le congrès d'Ems, pag. 146.

(3) Cap. 7, § 3, pag. 222 et § 6, pag. 225. Videtur id opusculum Zaccariae esse.

(4) Animadv. in Comment. in retractat. Febronii, tom. 13 Opp. pag. 342 et seqq.

(5) Confutazione di due libelli diretti contro il breve, *Super soliditate.* tom. 1, pag. 120 et seq. edit. 1789.

(6) Pag. 24.

(7) Annal. Benedictin. tom. 1, praef. num. 19, pag. XXXIV.

(8) Vide supra, pag. 93.

gularum diversitas, quae uniformes censebantur, nullam inducebat Ordinum diversitatem : uti nec modo diversae in eamdem Regulam constitutiones, quas variae unius ejusdemqua Ordines Congregationes sibi praescribunt, unitati Ordinis haud officiunt. Hanc monastici Ordinis, non modo in toto Occidente, sed etiam in Oriente simul et Occidente unitatem in variis ad Acta Sanctorum nostrorum praefationibus inculcavi. Hanc vero ante me diserte docuerat Lucas Holstenius (*seu P. Possinus*) in praefatione ad Codicem Regularum : cujus sententiam hoc loco ipsis ejus verbis referre juvat; sic ille capite III (1) : « Ex hactenus dictis, inquit, de multitudine ubique colentium vitam monasticam in utroque sexu, facile cuipiam, vetera ex praesentibus aestimanti, persuadebitur fuisse primis illis temporibus diversos et certo charactere discriminatos monachorum Ordines, prout postea institutum praesertim in Mendicantibus, quorum universae quamvis late sparsae familiae, sub uno peculiari capite, certis et cuique propriis officiis ac legibus Deo militant. Valde fallor, si jam tum primis sex septemve Ecclesiae saeculis iste usus invalucrat. Certe vestigia mihi quidem non apparent qui, quocumque intueor, uniformem ubique monachatus rationem, et facilem ac promiscuum invicem transitum mutuumque commeatum professionum et coenobiorum cerno. Orientales monachi, quando in Occidentem veneranti cum ibi profitentibus religiosam vitam sine discrimine cen sebantur : vicissim Occidentales in Oriente; quod quur innumeris exemplis probari possit, unum tantum hic afferam Cassiani et Germani, Gallorum monachorum, qui Aegypt monasteria peragrarunt instituti monastici cognoscend causa, et animo in patriam referendi haustam inde notitiar disciplinae in suum et popularium suorum usum. Und satis apparet existimasse ipsos unum esse in commune om nium ubique monachorum modum et usum religionis pro fitendae. » Inferius (2) idem Holstenius probat, adversu hanc monastici Ordinis unitatem nihil praescribere veterum Regularum in praedicto Codice relatarum diversitatem. « Et nim illae, inquit, a singulis, ut praesens usus poscebat, Pa

(1) Praefat. pag. XI, edit. Brockie.

(2) Ibid. pag. XI et seqq.

tribus scriptae; aliorum similia cupientium studiis descriptae in commune proponebantur : ut ex his quique, pro locorum et nationum differentia, vitam uniformi, quoad praecipua, disciplina temperarent. Primaria sane, et quasi fundamentalis monachorum Regula Evangelium erat; illa, inquam, Christi consilia, quae castrare seipsum propter regnum coelorum; quae abnegare se et crucem tollere; quae patrem et matrem, uxorem et agros propter Christum relinquere; quae vendere patrimonia et dare pauperibus; sicque nudos Christum sequi suadebant. Regulae particulares nihil aliud nisi ejus primae ac universalis Regulae applicationes aut declarationes, locis et personis plerumque aptatae, habebantur. » Hactenus Holstenius seu Possinus et Mabillonius.

Mabillonius vero non tantum in hac Annalium praefatione Actorum SS. Ordinis Benedictini praefationibus id adstruit, id in ipso Annalium corpore, ubi id sponte ex ipsis factis profluit, saepenumero eamdem monastici Ordinis unitatem animadvertit (1); neque alia est sententia Helyoti, historiographi generalis Ordinum religiosorum (2), Brockie, eruditissimi illustratoris Codicis Regularum Holstenii (3), Chriani Lupi in Scholiis in Concilia oecumenica (4); quin et spenii in Jure canonico universo (5), et, ut alios mittam, ipsius udovici Thomassini (6).

6. Hinc intelliget lector parum apte R. D. Professorem ipra recitatis verbis significasse tunc temporis non exstitisse ommunicationem privilegiorum, quae nunc inter ejusdem stituti monasteria, aut inter similes Ordines exsistit. Praerea, si tunc non exstitit communicatio privilegiorum proprie cta, facile admittebatur argumentum a paritate deductum; rivilegia concessa uni aut pluribus monasteriis ratio et omentum valida censebantur ad eadem aliis concedenda;

(1) Cfr. Annal. Benedict. lib. 8, m. 18, tom. 1, pag. 195; ibid. . 4, num. 41, tom. 1, pag. 95; id. lib. 1, num. 13, tom. 1, pag. 6.

(2) Hist. des Ordres religieux, m. 1, pag. 161 et seq. et pasn.

(3) Codex Regular. praefat. num. 10 et seqq. pag. IV et seqq.

(4) Tom. 5, pag. 279, edit. Lovan.

(5) Part. 1, tit. 24, cap. 2, num. 1 et seqq. tom. 1 Opp. pag. 236.

(6) Vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 24, num. 9, tom. 1, pag. 705 et alibi.

tertio exstabant formulae privilegiorum pontificiorum, episcopalium et regiorum, in quibus monasteriorum nomina tantum inscribenda erant : unde diplomata, singillatim concessa pluribus tamen coenobiis efficiebantur communia ; et demum quam primum fere divisus fuit Ordo monasticus in varias Congregationes, concessa fuerunt privilegia amplissima, innumeris coenobiis communia. Quae omnia ex his, quae dicenda remanent, passim manifesta fient.

7. Ast pergamus cum Rev. Domino : « Privilegia ista inquit (1), (*quae saeculo* VI *ab Episcopis et Pontificibus concedebantur*), haec duo *tantum* continebant, licentiam scilicet, qua monachi monasterii, in privilegii diplomate nominati, *eligere* poterant *Abbates suos,* qui alias ab Episcopis praesertim petebant et liberam bonorum *administrationem,* quae antepenes episcopos fuerat. Haec porro bona sua administrandi libertas conjunctam habebat immunitatem a certis oneribus quae Episcopis antea debebantur. Interea tamen salva manebat Episcoporum auctoritas in regularem observantiam. Quae dein Rev. Dominus probare conatur ex decreto S. Gregorii Magni ; quod, quum inferius integrum a nobis referetur adversarii doctrinae prorsus contrarium apparebit.

8. Ut autem ordine procedamus, ante omnia pandendum est quibus ecclesiasticae disciplinae legibus innitatur regularium exemptio, adeoque demonstrandum nullam forte juris ecclesiastici positivi partem antiquiorem esse.

Audiamus ante omnia Febronium, virum sane non suspectum de nimio in exemptiones favore, qui hanc disciplinam ita exponit : « A saeculo V, inquit et tum saeculo VI... liberum erat fundatori alicujus abbatiae, si laicus erat, (*et similiter, clericus saltem peregrinus*), et suum novum monasterium non aedificabat in fundo alicujus Ecclesiae, novam fundationem offerre et submittere Metropolitano, Primati, Patriarchae saepius etiam Romano Pontifici, qui tunc consebantur ordinarii, in quacumque dioecesi sita erat, quin reclamare Episcopi. » Ita Febronius, citatus a Zaccaria (2) seu ejus breviatore.

Christianus Lupus, saepe laudatum pristinae universita

(1) Pag. 24 et seq.

(2) Antifebronius; Febronius abbreviatus, cap. 7, § 8, tom. 4, p. 255 edit. Brux.

Lovaniensis et Ordinis Eremitarum S. Augustini decus, idem isciplinae vetustisimae caput his verbis declarat: « Primitiva, nquit (1), olim monasteria non dioecesano sed a se electo resbytero suberant. Eligere poterant quemcumque Episcopum tiam remotissimum. Hic illis dabat presbyterum (*seu ex orum coetu ordinabat*), et omnia ecclesiastica sacramenta. *Est apud omnes ecclesiasticae antiquitatis peritos res notissima,* t lucide patet ex Synodo Bonifacii Archiepiscopi Carthagiensis. Ex quo vides monachorum a loci Episcopo exemtionem esse antiquissimam et vetustis Ecclesiae canonibus on adversari. Ita fuit in Oriente usque ad Chalcedonensem ynodum, (*et etiam post, ut videbimus*). In Occidente autem, ui istius Synodi canones diu non admisit, ista forma perransit longe diutius. » Similia habent auctores Novi Tractatus e re diplomatica (2) et innumeri alii.

Fundamentum itaque harum exemptionum repetebatur ex bertate locorum, in quibus monasteria fundabantur, ut nimadvertit Mabillonius (3) et sex saeculis ante Mabillonium etrus Venerabilis, ut inferius ex ejus dictis colliget lector. uum autem loca non essent libera, seu monasteria ibidem ondita aliquandiu sub Ordinario stetissent, volebat consuedo, plures tamen passa exceptiones, ut summo Pontifici it alii Episcopo non subderentur, nisi consentiret Ordinarius.

Porro si obtigerit nobis ostendere certam esse et inconssam disciplinam, a Febronio, Christiano Lupo aliisque lstructam, penitus ruent praecipui Rev. Domini errores; leoque liquebit exemptiones non esse contra jus commune, o multo antiquiores sunt. Ad id autem duo necessaria dentur, prius nempe manifestum facere hanc disciplinam ab clesiastica auctoritate fuisse sancitam, dein conditos canones u aliisque juris viis receptos fuisse.

9. In historia autem exemptionum nihil celebrius est quam oncilium Carthaginense, anno 525 (4) seu 524 (5) celebratum;

(1) Exhibit. SS. Canonum stabia, cap. 3 Opp. posthuma, pag. 53.

(2) Nouveau traité de diplomatique, tom. 3, pag. 107.

(3) Annal. Ord. S. Bened. lib. 54, num. 37, tom. 4, pag. 235.

(4) Mabillonius, Annal. Benedict. lib. 2, num. 13, tom. 1, pag. 36.

(5) Van Espen, Jus eccles. univ. part. 3, tit. 12, cap. 4, num. 13, tom. 2 Opp. pag. 217.

cujus non meminit adversarius, forte quoniam Lannoyus (1) et Van Espen (2) id spurium aut dubium asserunt. Ast, quum hic, ut scripsit Rev. Dominus ipse, spiritualem Episcoporum potestatem ultra modum extenderit ut regulares exagitaret, et multus sit in pessumdanda exemptione regularium in Belgio; ille vero a Benedicto XIV *parce catholicus, si tamen catholicus,* nuncupetur, et certe in Sedis apostolicae auctoritatem et proin in exemptiones ita infensus exstiterit, ut integris libris praeci puorum Galliae monasteriorum exemptionem sit adortus quis hos viros aequos de hoc Concilio arbitros censebit? E sane, si istud Carthaginense Concilium, quod in *multis* iisqu antiquissimis documentis (3) citatur, vocetur in dubium nihil amplius impedire poterit quin certissima monument spuria aut saltem dubia declarentur. Atque haec satis nov ipse R. D. Professor: neque timemus ne tricas nobis suscitet d genuitate hujus Concilii, ab omnibus historicis ecclesiasticis Conciliorum collectoribus recepti (4), et quod in usu fuiss positum ex ipsa historia constat.

Sed quid in hoc Concilio actum fuerit jam referamu Praesidebat illi Bonifacius Carthaginensis et aderant complur Episcopi. Inter alios introductus est Petrus Abbas cum aliqu e suis monachis, et oblato libello conquestus est, « quod Lib ratus, primae sedis Byzacenae Episcopus vim sibi suiq monasterii libertati inferret. *Quippe hoc coenobium a mono chis, qui ex diversis Africae locis et de transmarinis partib convenerant, conditum fuisse sumptu parentum suorum ali rumque religiosorum hominum;* atque, a Reparato Episco Puppianensi provinciae Proconsularis dedicatum, *nu umquam, praeterquam Primati Carthaginensi, paruis* Carthaginensi sede vacante post Eugenii obitum (*anno* 50 quum ordinandi essent ad monasterii usum sacri ministri, de proximo Bonifacium Gratianensem, primae sedis Byzac

(1) Assert. inquisit. in chartam immunit. S. Germani, part. 4, cap. 6, sect. 1, cit. a Van Espen, Jus Eccl. univ. part. 3, tit. 12, cap. 4, num. 15, tom. 2 Opp. pag. 218.

(2) Ibid. num. 13 et seqq. pag. 217 et seq.

(3) Aliquot referunt Fratres Ballerinii, Append. ad. S. Leonis Opp. tom. 3, de antiq. collecti et collect. can. part. 2, de ant collect. latin. cap. 10, § 3, p CXXXVI; plura passim ap. Mabill occurrunt in 1 tomo Annalium.

(4) Cfr. Fabricius, Index alpha tic. concil. in Bibliotheca Grae tom. 12, pag. 450, Hamburgi 18

iae provinciae Episcopum, convenisse, ut dum Ecclesiae Carthaginensi Episcopus indultus fuisset, ex suis, qui divina mysteria celebrarent, sibi ordinaret. Bonifacio mortuo, Repaatum ejus successorem ex hac ordinatione monachos in jus vocasse, et post audientiae praefixum diem, post pacificam isputationis facultatem concessam, monasterio suo prorsus mmerito excommunicationem intendisse. *Licere liberis homiibus sese, cuicumque demum voluerint, subjicere, nulla in ontrarium adversante auctoritate.* Exempla etiam sibi parocinari aliorum monasteriorum, quae *omissa proximi epicopi subjectione, alteri Ecclesiae sponte sese subjecerint :* ita nonasterium de Praecisu, quod in media Leptiminensi ioecesi situm erat, praetermisso istius sedis Episcopo, e onginquo Vico-Ateriensis Episcopi subjectionem praetulisse. Baccense item monasterium, quantumvis Maximianensi Ecclesiae vicinum, se contulisse ad Primatem Byzacenae proinciae. Quin etiam Adrumetinos monachos, praetermisso jusdem civitatis Episcopo, de transmarinis partibus, hoc est e Italia, presbyteros sibi semper ordinari curasse. Non nsolens proinde videri debere quod monasterium suum soli Primati Byzacenae Carthaginensi subjectum a principio fuisse ontendant. Neque obstare quod opponebatur a Liberato, empe quod a proprio ejus subdiacono, qui primus loci bbas exstiterat, monasterium diceret esse fundatum. Non nim praejudicare viventibus mortui hominis personam, *uando, etiamsi clericatus conditionem alicui debuit, conditio um persona defecerit.* Subdiaconum ipsum non fuisse monaterii dominum, cujus tantum dispensationem habuerit; nec, uia subdiaconus; sed quia monachus erat, electum fuisse bbatem. Denique, esto Byzacenae provinciae Episcopi bdiaconus fuerit, suum certe monachum exstitisse; nec se onoris ecclesiastici, sed sanctissimae professionis heredes egendo monasterio adoptasse. Proinde obsecrare nihil novari in suo monasterio, quando nihil a se novum comissum constaret. » Libello subscripsit Petrus Abbas cum onachis suis, quorum alii presbyteri, alii diaconi, *omisso onachi titulo,* nomen suum apponunt, alii dicti seniores.

Libello subjiciunt sanctorum Patrum dicta, monasterioam libertatem defendentium. Primum sancti Augustini ex ecundo libro seu sermone de moribus clericorum, ubi agitur

de presbytero Leporio, qui monasterium constituerat in horto, nec ecclesiae, nec suo. Alterum ex eodem etiam sermone, ubi fit mentio de loco, quem honorabilis vir Eleusinus Barnabae presbytero ad condendum monasterium tradiderat, antequam idem Barnabas ordinaretur presbyter : sed tamen, ne quod monasterii libertati praejudicium ex conditione presbyteri generaretur, mutata instrumenta, ut ne Barnabae presbyteri sed monasterii nomine locus possideretur. Tertium instrumentum est Bonifacii Episcopi, Byzacenae provinciae Primatis, epistola ad quasdam moniales de qua supra diximus (1). Postremum documentum est decretum Concilii Arelatensis anni 450, seu ut alii volunt anni 455, quo statutum est ut Lirinense monasterium in pristina sua conditione persevera-ret, et proin ita semper ab Ordinarii postestate liberum exsi-steret, ut hic tantum sibi vindicare posset clericorum ordina-tionem, ab ipso, vel cui ipse injunxerit, faciendam, chri-smatis missionem et neophytorum confirmationem; insuper ut peregrini clerici, absque ipsius praecepto, in communionem vel ministerium non admitterentur : monasterii vero omnis laica multitudo (*id est, totum quasi monasterium, nam multi tantum saeculis post additi fuere fratres conversi, atque his temporibus non ita magnus erat clericorum numerus*), ad cu-ram Abbatis pertineret; neque Episcopus sibi quidquam ex eo vindicaret aut aliquem ex illa clericum, nisi Abbate petente ordinare praesumeret. Hoc enim et rationis plenum esse et religionis, ut clerici ad ordinationem Episcopi, debita subjec-tione, respicerent : laica vero omnis monasterii multitudo a solam et liberam Abbatis proprii, quem sibi ipsa elegisset, or-dinationem dispositionemque pertineret. »

Recitato coram omnibus Petri Abbatis libello, et altero Li-berati, quo subobscure Abbas ille perstringebatur, Bonifacius Carthaginensis Primas palam testatus est se gravate atque indi-gne ferre, quod Liberatus Episcopus de levissimis rebus gra-vi jurgium suscitaret, captataque unius iniquissimae querelae occasione, privilegia Carthaginensis Ecclesiae subtrahere mo-liretur. Assensi sunt etiam alii Episcopi, dolentes, quod hu-sanctae sedi debitam reverentiam Liberatus denegaret : ; demum, perlectis atque attente expensis omnibus, decretu-

(1) Vide supra, pag. 124 et seq.

ondiderunt in hunc modum : ERUNT IGITUR OMNIA OMNINO IONASTERIA, SICUT SEMPER FUERUNT, A CONDITIONE CLERICORUM id est a jurisdictione Episcopi) MODIS OMNIBUS LIBERA, SIBI ANTUM ET DEO PLACENTIA.

10. Huic *universali Concilio* Africae alterum ejusdem eneris, Carthagine itidem, sub Reparato Bonifacii successore, nno 534 habitum, subjungimus. Hic porro nomine totius oncilii Felix, Episcopus Zactarensis, edixit : « De monasterio bbatis Petri, ubi nunc Fortunatus Abbas constitutus est, uae temporibus sanctae memoriae Bonifacii *in universali oncilio*, nobis etiam praesentibus, acta sunt, inconvulsa ermaneant : CAETERA *vero monasteria etiam ipsa libertate plenissime perfruantur,* servatis limitibus Conciliorum suorum ı haec *dumtaxat,* ut quandocumque voluerint sibi clericos rdinare, vel oratoria monasteriis dedicare, Episcopus in cujus lebe vel civitate locus monasterii consistit, ipse hujus mueris gratiam impleat, *salva libertate monachorum, nihil sibi ı eis praeter hanc ordinationem vindicans,* neque ecclesiasticis os conditionibus aut angariis, id est exactionibus, subdens.» t subjicit : « *Oportet enim in nullo monasterio quemlibet Epicopum cathedram collocare :* aut qui forte voluerint habere, neuaquam permittantur; *nec aliquam ordinationem, quamvis vissimam facere,* nisi clericorum, si voluerint habere nempe ıonasteria. *Esse enim debent monachi in Abbatum suorum potetate.* Et quando ipsi Abbates de corpore exierint, qui in loco orum eligendi sunt, judicio congregationis eligantur, nec offiium hujus electionis sibi vindicet aut praesumat Episcopus. Si ua vero contentio, quod non optamus, inter monachos exorta ıerit, *Abbatum aliorum concilio sive judicio finiatur :* aut, si andalum perseveraverit, ad Primates uniuscujusque provinae universae causae monasteriorum judicandae perducantur. ıter sacrificia vero ordinatores suos tantummodo, id est, Epicopos plebium, ubi monasteria sunt, recitent. Hoc enim conenit paci. Confirmatur etiam ab hoc sancto Concilio, ut, sine ono testimonio Abbatis vel concessione, nullus monachus in liqua ecclesia teneat ad clericatum, vel promoveat ad honorem.»

« Ex his colligitur, inquit Mabillonius (1), quem in hac

(1) Annales Benedict. lib. 1, seqq. num. 17, pag. 40, num. 19, ım. 13 et seq. tom. 1, pag. 38 et pag. 40 et seq.

narratione assidue secuti fere sumus, eum fuisse per id tem pus in Africa usum, quem etiam in Oriente maxime viguiss constat, ut monasteria, in quacumque demum dioecesi v provincia fundarentur, illius tamen jurisdictioni immediat subjecta essent, cui illa subjicere voluissent fundatores, modo in praedio libero et ab ecclesiae principis potestate se possessione alieno constructa essent. »

Deinde, quum omnibus Episcopis vetitum sit in Africa monasteriis *cathedram collocare, et aliquam ordinationem quamvis levissimam facere,* adeoque quum in formulis plena exemptionis, quas recenset Bonifacius VIII, haec reperia tur (1) : « *Vel quod non audeat illic Episcopus cathedram co locare, aut imperandi* (*seu ordinationem quamvis levissima faciendi*) *exercere potestatem;* liquet omnia Africae mona steria exempta dicenda esse : quod caeterum vel ex eo liqu quod correctio monachorum primo loco pertineat ad Abba tem, secundo loco ad coetum sex Abbatum, et tertio lo ad Primatem. Recte itaque Morcelli (2), postquam acta Conci Carthaginensis anni 525 exposuisset, conclusit : « Ergo inepti jure videtur sac. Petitus in *Poenitentiali* Theodori (3) a versus privilegia monachorum. »

Adde clericos, ab Episcopis ordinatos, ab his ita dependent fuisse ut salva tamen esset eorum, qua monachorum, liberta quod caeterum in sua ordinatione jam caverat S. Hieron mus (4).

Demum vetitum quidem fuisse monachis, ut ab alio qua a dioecesano aut cui hic injunxerit sacros ordines susciperen sed tamen non fuisse clausum ostium advocandis presbyter ex Italia : quod si facerent, independens fiebat monasteriu quoad pertinet ad res sacras : ut tum ex his Conciliis liqu tum maxime ex negotio S. Hieronymi (5) cum Joanne Hier solymitano (*a*).

(*a*) Operae pretium fuerit ex Morcelli exemplum proferre, quo pra

(1) De privilegiis, cap. 10, *Si papa,* in sexto (lib. 5, tit. 7).

(2) Africa Christiana, vol. 3, pag. 261.

(3) Vol. 2, art. 9, pag. 759.

(4) Lib. contra Joannem Jerosolym. ad Pammachium, num. 41 et seqq. Opp. S. Hieronymi edit. Vallarsii, tom. 2, col. 451 et seqq.

(5) Ibid. loc. cit. item. epist. ad Theophilum, num. 8, tom. col. 715 et seqq.. item. ep S. Epiphanii ad Joannem Jeroso mit. tom. 2 Opp. S. Epipha pag. 312 et seq. Coloniae 1682.

11. Licet haec nullum effugium R. D. Professori relinquant, quoniam tamen fieri posset ut reponeret haec monasteria non proprie Episcoporum jurisdictioni subducta fuisse, sed ea potius jurisdictioni unius Episcopi loco alterius subdita; attingenda est haec difficultas.

Porro haec omnio vera esse ultro fatemur; sed prorsus non faciunt ad quaestionem; quae non in eo sita est ut demonstretur per Africanos canones monasteria acephala esse facta; sed ut deprehendatur collibitum fuisse fundatoribus ea a dioecesani Episcopi auctoritate eximere, quin etiam omnia exempta fuisse declarata a jurisdictione *Ordinarii*. Etenim, quotquot sumus regulares exempti, non contra totius orbis morem proprium habere Episcopum refugimus; sed cum Petro Venerabili (1), privilegia et exemptiones Cluniacensium ab objectis criminationibus vindicante, « respondemus istud

ujus disciplinae stabiliatur. Ad annum Christianum 597 : « Ex Africa, iquit (2), Romam se conferre coactus est Cumquodeus Abbas, rectae onachorum institutionis studiosissimus, quos tamen aegre in officio connebat. Nam, siquos forte ad Patrum praescripta revocare conabatur, aperium illi detrectare ausi monasterium deserebant et magna bonoim offensione qua vellent vagabantur. Fiebat etiam interdum, ut in tanto o Episcoporum numero non deesset, qui licentiam eorum non modo apunitam relinqueret, sed etiam fovere atque alere videretur. Haec vero nnia Cumquodeus Abbas accurate Gregorio exposuit, animumque ejus, ii monachos impense amabat, facile ad curam eorum tutelamque excivit. Exstant litterae ejus Julio mense perscriptae, quibus Dominicum piscopum Carthaginensem etiam atque etiam rogat, ut qui omnium onasteriorum curam gerere deberet, summopere prospiceret, ne monaii, quos Abbas Cumquodeus amiserat, impune a monasterio abessent : ii si ad bonam frugem revocanti parere nollent, severitatem minime sthaberet, ac licentiam eorum poena vindicaret. Cavendum enim esse, pessimum posteritati exemplum proderetur, et aditum audaciae improtatique esse intercludendum. Tum et de Episcopis inquireret, siquis itor eorum aut defensor esset : ac singulos minis etiam deterreret, ne in sterum ejusmodi hominum adjutores sese aut patronos profiterer (3). Haec Gregorius; nec ambigendum est, sedulam a Dominico vatam operam, ut monachi illi in ordinem redigerentur : quippe qui egorium summo amore prosequeretur et virtutem ejus ac monita pluni faceret. »

(1) Lib. 1, ep. 28, Biblioth. Lugn. Maxima, tom. 22, pag. 1849.

(2) Annales eccles. Africanae, n. 3, pag. 347 et seqq. Brixiae, 1817.

(3) Epistolae S. Gregorii M. lib. 7, ep. 35, tom. 2 Opp. col. 884 et seq. edit. Maurin.

veritati contrarium opposita fronte exsistere; quoniam patet nos proprium Episcopum habere. Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano Episcopo potest inveniri? Nonne ille est, cui dictum est : *Tibi dabo claves regni coelorum,* etc. Hunc unum solum et maximum nos habere Episcopum gloriamur, huic soli specialiter obedimus, ab hoc solo, si causa (quod absit) exigeret, interdici, suspendi atque excommunicari possumus. Haec ipsius sedis irrefregabilis sanxit auctoritas, nec unius tantum, sed multorum decreta inde apud nostram matricem ecclesiam conservantur. Haec ipsi ita condiderunt, *non ut hanc,* de qua loquimur, *Cluniacensem ecclesiam alteri Episcopo prius eam possidenti auferrent, sed a fundatoribus, qui eam in proprio allodio construxerunt, rogati in propriam retinuerunt,* atque soli Romano Pontifici eam in aeternum decernentes pluribus hoc privilegiis confirmarunt. Hoc non soli Cluniacenses obtinent; sed et quam pluribus datum cernimus, et *longe ante Cluniacum conditum multis aliis monasteriis ab eadem apostolica Sede concessum cernimus.* Ita Petrus Venerabilis : cujus ultima verba etiam notari merentur, quod vel sola sufficiant ad evertendum R. D. Professoris systema (1); quum Cluniacum anno 910 conditum fuerit (2).

12. Superest ut ostendamus hanc partem disciplinae Africanae, qua licebat alii quam Episcopo dioecesano monasteria subdere, in ecclesia Occidentali et Orientali receptam fuisse ejusque decretum, quo exemit a jurisdictione Ordinariorum omnia Africana monasteria, multum valuisse ad inducendas aliarum regionum Episcopos ad similia exemptionis privilegia largiendum.

Quoniam saepenumero occurrent privilegia papalia, quae in priori hujus disciplinae capite fundantur, frustraneum videtur exempla hic edere; secus vero de privilegiis episcopalibus : unde constabit canonem II Concilii Arelatensis anni 554, quem supra retulimus (3), non praevaluisse.

Ut breves simus, exemplum unum ex Belgio, alterum ex Gallia, tertium ex Italia referamus : scilicet S. Trudo monasterium suum Sarchiniense, dein S. Trudonis dictum, et an

(1) Vide supra pag. 153.
(2) Mabillonius, Ann. Bened. lib. 41, num. 60, tom. 3, pag. 310.
(3) Vide supra, pag. 166.

ere 656 inceptum (1), non Tungrensi seu Trajectensi Epi-
copo in cujus dioecesi situm erat, sed Mettensi subjecit : qui
atus rerum duravit, donec anno 1227 Episcopus Leodiensis
jus et municipium S. Trudonis a Joanne Mettensi rede-
nit (2). Similiter S. Reolus Orbacense monasterium, in dioe-
esi Suessionensi circa annum 681 conditum, Antistiti Re-
nensi subdidit (3) : quae ordinatio ita perseveravit, ut anno
ntum 1239 per compositionem aliquam (4) Episcopo Sues-
ionensi concessa sit Abbatis benedictio et aliquot alia jura,
eliqua jurisdictione Archiepiscopo Remensi relicta. Demum
rixiense S. Juliae seu S. Salvatoris coenobium, quod
nno 759 Desiderius Rex Longobardorum fundavit, non
rixiensi Episcopo sed Patriarchae Aquilejensi parebat; qui
ro sua in id auctoritate anno 772 concessit privilegium « ut
oenobium istud a cujuscumque sacerdotis (*id est Episcopi*)
tione exemptum esset; *ut clerici ejusdem loci a quocumque*
ntistite ordines suscipere possent, » et alia id genus (5) : unde
ipse sibi tantum reservasse videtur potestatem concedendae
piritualis in poenitentiae tribunali jurisdictionis et Abbatum
egligentiae supplendae : adeoque saeculo x et etiam tardius
adhuc usitatum erat, ut liquet ex subjectione monasterii
rassani, quod, anno 961 in dioecesi Vercellensi conditum,
piscopo Taurinensi subjectum fuit (6). Circa idem tempus
empla ejusdem disciplinae in partibus Germaniae occurrunt;
d haec brevitatis causa mittenda videntur, ut memoremus
ntum specimen ad saeculum XII pertinens et ab ipsa Sede
ostolica profectum. Hadrianus nempe IV anno 1155 con-
ssit Rainerio Senensi Episcopo *fundum S. Petri,* Montem
onizi dictum, nunc *Poggibonzi,* in agro Florentino situm, ut
idem « ecclesiam construeret et constructam sine contradi-
ione aliqua consecraret, clericosque in ea juxta suae volun-
tis arbitrium poneret et libere ordinaret. Statuimus, subdit,
quicumque de tua dioecesi ad locum illum transierint, in

1) Warnkoenig, Hist. du droit
lgique, pag. 189.
2) Mabillonius, Annal. Benedict.
. 15, num. 21, tom. 1, pag. 429.
3) Ibid. lib. 17, num. 25, tom. 1,
g. 522.
4) Ibid. tom. 1, app. alter. num.
28, pag. 642.
5) Ibid. lib. 23, num. 52, tom. 2,
pag. 181, et lib. 24, num. 43, tom.
2, pag. 209.
6) Ibid. lib. 46, num. 43, tom. 3,
pag. 514.

omnibus spiritualibus tibi tantum et successoribus tuis debeant respondere, et eamdem, quam prius, habeatis potestatem (1). » Nec mirum, quum ineunte eodem hoc saeculo Paschalis II hanc disciplinam probasset. Neque haec Rev. Dominus ignorat, quum Corpori Juris (2) inserta sint : « Abbatibus inquit pontifex, qui neque sub Episcopo, neque sub Metropolitano, neque sub Primate, neque sub Patriarcha sunt, nullu Episcoporum episcopalia quaelibet administret. » Secundum quam constitutionem sufficiebat ut monasterium esset vel *su Patriarcha,* vel *sub Primate,* vel *sub Metropolitano,* vel *su Episcopo,* et *a fortiori sub Papa,* utpote Patriarcha Ecclesia Latinae et universae Ecclesiae capite, ut omnia secundur ordinem comparata essent.

In Ecclesia Orientali, non obstante Concilio Chalcedonensi, eamdem disciplinam in usu fuisse sine negotio ostenditur. Nam circa annum 597 Mauritius Imperator et Patriarcha Cyriacus, S. Theodorum Siceotam Constantinopoli singulari honore complexi, « monasteriis ejus immunitatem tribuerunt, illudque concesserunt ut nulli alii episcopatui esset subjecta, sed sanctissimae tantum et magnae Ecclesiae apostolicae regiae ipsius civitatis; ita providente Deo et sanct Martyre Georgio opitulante, propter benevolentiam in eo qui in illis degebant et sacrificabant (3). »

Praeterea « se non posse inficias ire confitetur Thomassinus (4), quin saeculo jam septimo essent in patriarcha Constantinopolitano bene multa coenobia, ab Episcoporu dioecesanorum spiritali jurisdictione prorsus absoluta et u immediate subjecta Patriarchae Constantinopolitano et Exa cho patriarchali, quem ille ad omnium omnino monasterioru administrationem delegabat. Exstat in hanc rem, sic per Thomassinus, in Jure Orientali (5) Constitutio Germani Co stantinopolitani Patriarchae, qui hac veluti accensa face pra

(1) Muratori, Antiq. Italiae med. aevi, dissert. 69, tom. 14 Opp. col. 195 et seqq.

(2) Can. *Abbatibus*, Caus. 18, quaest. 2. Authenticum habet hunc canonem Benedictus XIV, Bulla *Causarum palatii*, Bullar. Benedict. XIV, tom. 2, constit. 40, tom. 3, pag. 335 edit. Mechlin.

(3) Act. Sanctor. tom. 3 Ap pag. 49, num. 72.

(4) Vetus et nov. eccles. disci part. 1, lib. 3, cap. 32, num. tom. 1, pag. 734.

(5) Lib. 3, pag. 235.

ıxit successoribus suis omnibus; sicut et ipse in antecesso-
um suorum vestigiis insistebat. Hoc vero primum ille
rofitetur ecclesias, monasteria et oratoria omnia in omnibus
atriarchatus provinciis ad Patriarchae immediatam jurisdi-
tionem revocari,... ubi in prima ipsa eorum fundatione crux
atriarchalis defixa fuit. Id Graecis dicebatur *patriarchale*
Stauropegium. Unde si fundatoribus magis adlubesceret mo-
asterium suum Patriarchae subjici (*quam Episcopo*), tunc
atriarchalis Exarchus crucem ipse suam deligebat. » « Et in
hujusmodi, sic habet Germani Constitutio, nihil sit commune
regionis Antistiti, sive ad sacrorum confectionem, sive ad
praefecti designationem, sive ad peccatorum inquisitionem,
neque aliud quidquam, usque ad canonicarum illationum
exactionem. » Ea omnia Exarcho patriarchali servantur
ıtegra.

Quum in schisma deciderunt atque ex eo deinde emerse-
unt Graeci, custodiri perrexit haec vetustissima consuetudo
t constitutio, ut habemus ex Balsamone citato a Van Es-
en (1), et ex epistola quadam Innocentii III de monasteriis
atriarchalibus Romaniae. Praeterea, jam ante schisma
hotianum, quaedam apud Constantinopolim monasteria olim
ıbjecta erant Romano Pontifici, ut intelligitur ex Joannis
apae VIII epistola ad Basilium Macedonem Imperatorem,
ui inter alia gratias agit, « quod monasterium sancti Sergii,
ıtra vestram, inquit (2), regiam urbem constitutum, quod
ıncta Romana Ecclesia jure proprio quondam retinuit, di-
ina inspiratione repleti, pro honore principis Apostolorum
ostro praesulatui reddidistis. » Deinde trecenta Montis
thos seu Montis Sancti monasteria, quae « Ecclesiarum prae-
ti et Imperatores Constantinopolitani pluresque principes
ıeculares per privilegia sua multa olim tantae libertatis prae-
ninentia donarant, ut post Deum, cui vos, inquit Innocen-
us III ad inhabitantes monachos (3), volebant libere famu-
ri, nullius umquam essent jurisdictioni subjecta, » cense-
ıntur ejusdem Pontificis tempore immediate Sanctae Sedi

(1) Jus eccles. univ. part. 3, tit. ıı, cap. 2, num. 39, tom. 2, pag. 3.

(2) Joannis VIII, epist. 251, Labbe, Collect. concil. tom. 9, col. 181.

(3) Lib. 16, epist. 168, tom. 2, pag. 829.

subjecta (1) : quae dein confirmavit idem Papa (2). Post redintegratum autem schisma sub immediatam jurisdictionem, non Episcopi dioecesani, sed Patriarchae Constantinopolitani devenerunt, qui pro administratione episcopalium, quae monachis necessaria sint, duos creat Archiepiscopos; adeoque novem ex viginti quatuor aut quinque coenobiis, quae posterioribus temporibus superfuerunt, a quocumque Episcopo ordines et alia, quae episcopalis muneris sunt, postulare solent (3). Qui usus antiquissimus sit oportet, siquidem in eum jam invehitur Balsamon (4), tamquam priscis canonibus contrarium : sed, ut veteres usus emendantur recentioribus statutis, ita etiam prisca decreta recentiore consuetudine mutantur. Atque his antiquitatem et universalitatem praesentis disciplinae satis superque ostensam arbitramur.

Appendicis loco indicandum superest exemplum, a Concilio Carthaginensi 534 datum, et quo omnia Africae monasteria ab Ordinarii jurisdictione exempta declarata fuerunt, multo induxisse Episcopos ad similia fere privilegia concedenda. Asquum de hac re dubium nullum sit, nihilque ferme frequentius in privilegiis antiquissimorum temporum occurrat quam Conciliorum Carthaginensium auctoritatis invocatio : quemadmodum liquebit unicuique obiter pervolventi duo priora Marbillonii Annalium volumina, aut spissum maximique meri opus Brequigny et Laporte Du Theil, qui exeunte Sacculo xvi uno volumine omnia *Diplomata,* sub prima Regum Francorum stirpe emissa et *ad res Francicas spectantia*, complexi sunt ; incassum omnino plures paginas congestis exemplis impleremus.

Porro quae hactenus de fundamentali exemptionum disciplina disseruimus, ea sunt, ut vel ex his solis subvertantur omnia R. D. Professoris asserta. Sed satis non est macerie subruere; oportet ut ne lapis super lapidem remaneat. Quocirca revertamur ad dicta adversarii supra relata (5).

14. Affirmat videlicet privilegia saeculi VI complexa tantum esse liberam electionem Abbatis et bonorum administrationem ; quoniam haec absque privilegiis penes Episcopos fui

(1) Lib. 13, epist. 40, tom. 2, pag. 424.

(2) Lib. 16, epist. 168, tom. 2, pag. 829, et seq.

(3) Hist. de l'église Grecque, p. 252 et seqq.

(4) Citatus a Van Espen, loc. c

(5) Vide supra, pag. 162.

ent. Unde examinandum nobis est, prius, an haec adjecta itio vera sit; dein, an haec duo tantum privilegiis istius aevi ontinerentur.

Mabillonius, agens de primaeva constitutione monasterii irinensis, cujus nos ipsi supra meminimus (1), « Ad haec, iquit (2), libera Abbatis electio monachis asseritur; quod non rimum a Leontio Episcopo concessum, *sed ab ipsis coenobialis itae primordiis in more positum fuit,* naturali aequitate di-ante, *ut suum quaevis familia superiorem eligeret.* Sic in mo-asteriis Pachomianis ab initio, sic in aliis omnibus subinde sus obtinuit. At quum nonnulli praepotentes, sive Episcopi, ve saeculares, jus instituendi Abbatis sibi tribuerent; ob-nta sunt ad revinciendam eorum potentiam privilegia a egibus et Pontificibus Romanis, *quae antiquam monachorum bertatem tuerentur, non jus adventitium tribuerent.* »

Licet Thomassinus, ut exspectandum erat, his passim (3) re-agetur, tradens, « altius rei origine repetita, Episcoporum iisse Abbates deligere et ordinare; attamen non multo post ionasteriis ipsis permissam esse Abbatum electionem, privi-gio quidem, sed quod statim et pervagatissimum et juris ommunis fuit; » nequaquam dubitamus adhaerere Mabil-nio, adeoque ipsi Van Espen (4), qui in media luce caligare oluit.

Etenim, dum Thomassinus nullis omnino nitatur argu-entis quibus persuadeat prius in usu fuisse ut Abbates ab piscopis constituerentur, habemus testimonium Cassiani, ui laudans stabilitatem disciplinae, quae per universam egyptum et Thebaidem servabatur, clare indicat majorum eu Abbatum electionem a monachis fuisse factam (5), quod iam constat ex canonibus concilii I Nicaeni, ab Arabibus onservatis (6). Praeterea in nulla omnino Regula mentio fit ectionis Abbatis seu Majoris faciendae ab Episcopo; sed

(1) Vide supra, pag. 166.
(2) Annal. Bened. lib. 1, num. 44, m. 1, pag. 17.
(3) Vet. et nov. discipl. part. 1, . 3, cap. 65, num. 3, tom. 1, g. 845; lib. 3, cap. 26, num. 19, g. 717; lib. 3, cap. 29, num. 8, g. 726; lib. 3, cap. 32, num. 2, pag. 735 et alibi.
(4) Jus eccles. univ. part. 1, tit. 31, cap. 9, tom. 1 Opp. pag. 328.
(5) Institution. lib. 2, cap. 3, Codex regularum Holstenii edit. Brockie, tom. 2, pag. 10 et seq.
(6) Labbe, Collect. concil. tom. 2, col. 315.

Regula S. Benedicti aperte eam attribuit monachis (1), et i aliis Regulis ita id certum fixumque supponitur, ut null proprie mentio fiat de ipsa electione, sed de *eligendi* tantur dotibus (2). Quibus accedit sanctio Justiniani Imperatoris qua nequaquam statuitur Episcopos non *amplius* posse con stituere Abbates, sed corrigenda indicitur norma, qua qu tempore antiquissimus erat, aut secundus ab eo, eligebatu nulla habita virtutis ratione, sed tantum temporis; quocirc decernit ut deinceps monachi maxime idoneum eligant (3 Mitto plures Pontificum epistolas et Conciliorum canone quos exstare non diffitetur Thomassinus; siquidem id brevi ju commune factum esse concedat.

Unus canon LI concilii Toletani IV anni 633, quem supr jam retulimus (4), jam pridem (5) adeoque ipsi Gratiano (6 difficultatem facessit. In eo enim monentur Episcopi, « ut ho tantum sibi in monasteriis vindicent, *quod praecipiunt cano nes,* id est monachos ad conversationem sanctam praemoner *Abbates aliaque officia instituere,* atque extra regulam fac corrigere. » Sed omnis difficultas evanescit, si cum Mabill nio (7) per vocabulum *instituere* idem intelligitur ac *ordina* seu *benedicere ;* adeoque ita intelligendum esse facile con probatur. Praesidebat enim huic Concilio S. Isidorus Hisp lensis, « ex cujus Regula, ut loquitur Mabillonius (8), et ex capite II, quod est *de eligendo Abbate* (9), liquet, elect penes monachos erat : » unde, quum hic omnia peragen statuantur *secundum canones,* dicendum esset S. Isidori Reg lam canonibus adversatam, neque intelligeretur quomodo h secundum Regulae suae caput, saltem post Concilium Tol tanum, non expunxisset. Idemque dixerim de duabus S. Fr ctuosi Bracarensis Episcopi Regulis, paulo post Conciliu

(1) Cap. 64, Codex Regular. tom. 1, pag. 133.

(2) Cfr. Regula S. Columbae, seu cujusdem Patris, num. 19, ibid. pag. 223; Regula communis S. Fructuosi, cap. 3, ibid. pag. 210, etc.

(3) L. 47. Cod. de episcopis et clericis. (Lib. 1, tit. 3.)

(4) Vide supra, pag. 117.

(5) Ascan. Tamburinus, de jure Abbatum, disp. 5, quaest. 1, to 1, pag. 34, edit. Lugdun.

(6) Decretum, caus, 18, quaest. cap. 1 et 8.

(7) Annales Bened. lib. 12, nu 4, tom. 1, pag. 331.

(8) Ibid. loc. cit.

(9) Codex Regularum tom. pag. 188.

oletanum conscriptis (1), et per quas electio Abbatis simi-
ter penes monachos erat (2). Praeterea in Hispania tunc
gebatur Regula S. Benedicti, ut nitide ostendit Mabillo-
ius (3), neque ibidem incognitae esse potuere tum plures
ummorum Pontificum, maxime S. Gregorii Magni (4), epi-
olae, Abbatis electionem monachis tribuentes, tum canones
arthaginenses et Arelatenses, idem omnino statuentes. Ex
iibus manifeste deducitur, nisi quis apertae contradictionis
cusare velit Toletanum canonem, per *institutionem* Abbatis
iorumque officiorum intelligendam esse *ordinationem* seu
:nedictionem, aut forsan etiam *confirmationem*.

Non tamen est quod nonnulli in Hispania postmodum ex-
iterint Episcopi, qui sibi vindicarint electionem, adeoque
ngius progressi, non monachos praeficerent monachis sed
:traneos. Constat enim id ex Concilio Toletano X anni 656,
ijus canon III haec habet (5) : « Reverentiae totius auditu
ercipiatur, quia res adeo dura non frustra cogitur hac du-
ori exstirpari censura. Agnovimus enim, quosdam Pontifices
aecepti principis Apostolorum, qui ait : *Pascite, qui in*
bis est, gregem, non coacte sed spontanee, nec dominantes in
ero, sed forma facti gregis, ita esse immemores, ut quibus-
im monasteriis parochialibusque ecclesiis aut suae consan-
iinitatis personas aut sui favoris participes iniquum saepe
atuant in praelatum, ita illis providentes commoda inho-
:sta, ut eisdem deferantur, aut quae proprio Episcopo dare
.stus ordo poposcerit, aut quae rapere deputati exactoris
olentia potuerit. » Quae ne deinceps fiant sub gravissimis
ohibetur poenis : ast satis incassum, quum ex hac prima mali
be orti sunt Abbates laici seu commendatarii (6).

Negari tamen non posse videtur Episcopo licuisse ut sibi
servaret constitutionem Abbatis, quum hujus praedecessor
iminis reus ageretur. Habet enim Concilium Epaonense, anno

(1) Cfr. Mabillonius, Ann. Bened. tom. 1, pag. 67.

(2) Reg. Monach, cap. 20, Cod. gul. tom. 1, pag. 206; Regul. mmun. cap. 1 et seqq. pag. 209 seq. Cfr. Mabillonius, loc. cit.

(3) Ann. Bened. lib. 3, num. 37, tom. 1, pag. 364 et seq.

(4) Lib. 2, epist. 41, tom. 2 Opp. col. 602 et seq. epist. 42, col. 604, lib. 3, epist. 23, col. 641, etc.

(5) Pueyo, Collect. maxim. Concil. Hispan. part. 1, pag. 158 et seq.

(6) Mabillonius, Annal. Bened. lib. 14, num. 42, tom. 1, pag. 401.

517 aut 518 in provincia Viennensi celebratum (1) : « Abbas si in culpa reperiatur aut fraude, si innocentem se asserens ab Episcopo suo accipere noluerit successorem, ad Metropolitani judicium deducatur; » atque in eamdem sententiam Benedictus XIV (2) interpretatur posteriorem partem capiti LXIV Regulae S. Benedicti (3). Quae disciplina saeculo X adhuc in Gallia viguisse videtur (4). Insuper diu gavisi sunt Episcopi jure dandi sui ad electionem consensus, eamdemque confirmandi (5), adeoque electo elargiendi benedictionem seu ordinationem abbatialem (6).

Jam si ratio quaeritur, cur id, quod ex jure communi debebatur monachis, inscriberetur privilegiis, praestantissimi scriptores respondent, id factum fuisse, quoniam Episcopi aliique magnates pro libitu sibi arrogabant vel seipsos Abbates constituere, vel amicos aliosve abbatiali baculo donare (7); cui rei diutius non inhaeremus, quum ex modo citato Concilio Toletano X manifesta sit.

15. Neque minus certum videtur, privilegia de libera bonorum monasterii administratione saeculo VI non fuisse concessa, quod secus haec ad Episcopum pertineret; sed quo timor esset ne bona usurparent. Et quidem nullum decretum cognovimus medio saeculo VIII antiquius, quo Episcopi liceret se huic administrationi immiscere; adeoque ut jus novum, quo antea Episcopi non gauderent, exhibetur. Ajunt quippe Vernensis Synodi anni 755 Patres (8) : « In alia Synodo nobis perdonastis (*rex Pippinus scilicet*), ut illa monasteria, ubi regulariter monachi vel monachae vixerunt, hoc quod eis de istis rebus dimittebatis unde vivere potuissent exinde, si regalis erat, ad regem faciant rationes Abbas vel

(1) Can. 19, Labbe, Collect. concil. tom. 4, col. 1578.

(2) Bulla *Causarum palatii*, Bullarium Benedicti XIV, tom. 2, const. 40, vol. 5, pag. 329.

(3) Calmetus, Comment. litteralis Regulae S. Benedict. tom, 2, pag. 293.

(4) Concil. Lemov. anni 1031, Labbe, collect. concil. tom. 9, col. 898.

(5) Baluzii Not. ad libros Capitularium, tom. 2, col. 1143; Labbe, Collect. Concil. index, v. *Abbates*.

(6) Martenne, De antiq. monachor. Ritib. lib. 5; De antiq. eccles. Ritib. de sac. Benedict. cap. 3, tom. 3, pag. 2, edit. Rothomag. Comment. in Regul. S. Bened. pag. 840.

(7) Cfr. Mabillonius, Act. SS. Ord. S. Bened. part. 1, saec. 3 praefat. 111, pag. LXXXIX.

(8) Can. XX, Baluzius, Capitularia Regum Francor. tom. 1, col. 17.

bbatissa ; *et si Episcopalis, ad illum Episcopum.* » Unde, uum jam pridem ante privilegia de libere administrandis ıonasterii bonis concederentur, parum recte admitteretur ıtio, quam Rev. Dominus suggessit.

Ut autem constet, quam necessaria essent ejusmodi privile-ia, non citentur oportet Mabillonius (1), Calmetus (2), au-tores novi Tractatus de re diplomatica (3), Bignonius (4), ›sique S. Gregorius M. (5) et Benedictus XIV (6) ; sed satis ıerit produxisse unum S. Gregorium VII, qui ad Cunibertum, piscopum Taurinensem, in haec scripsit verba (7) : « Num-uidne existimas Episcopos hanc in pastorali regimine pote-atem atque licentiam suscepisse, ut monasteria, quae in suis ıarochiis consistunt, quantum velint opprimant, et studium eligionis suae praelationis occasione, *haec et illa potenter exi-ndo,* et potestatem suam exercendo, comminuant? An igno-ıs quod sancti Patres plerumque et religiosa monasteria de ıbjectione Episcoporum et episcopatus de parochia metropo-tanae sedis *propter infestationem praesidentium* diviserunt, et erpetua libertate donantes apostolicae Sedi velut principalia ıpiti suo membra adhaerere sanxerunt? Percurre sanctorum atrum privilegia, et invenies ipsis etiam Archiepiscopis offi-um, nisi forte ab Abbate vocatis, in *plerisque* coenobiis facere ·ohibitum esse, ne forte monastica quies saecularium perso-ırum frequentia et conversatione turbaretur. Hoc itaque ne nos illorum auctoritate et exemplo de praefato sancti Mi-ıaelis monasterio facere cogamur, neve tu, *dum immoderata taeris,* ea quae ex aequo tibi attinere videbantur juste amit-s, apostolica te auctoritate monemus, etc. » Quid, si jam ad ıgularia exemplа veniremus? Si epistolas Pontificum, si Sy-›dorum canones congereremus, quae vetabant ne Episcopi cupiditatis monasteria spoliarent, aut simulatione aliqua audis convellerent, vel dissolverent? Si testimonia afferre-

(1) Annal. Bened. lib. 16, num. , tom. 1. pag. 485, et passim.

(2) Commentar. litteralis in Re-l. S. Benedicti, praefat. pag. VII et seq.

(3) Tom. 5, pag. 107 et passim.

(4) Not. ad Capit. Reg. Francor. luzii, not. ad Marculfum, tom. 2, l. 866.

(5) Lib. 8, epist. 15, tom. 2 Opp. col, 906 et seq. lib. XIII, epist. 6 et seqq. col. 1218 et seqq., etc.

(6) Bulla *Causarum palatii,* Bullarium, Benedicti XIV, tom. 2, constit. 40, vol. 3, pag. 334.

(7) Lib. 2, epist. 69, Labbe, Collect. Concil. tom. 10, col 129 et seq.

mus, quibus liquido constat instrumenta privilegiorum chart. riis regiis et pontificiis fuisse inserta, ut, si ea raperent Ep. scopi e monasteriis, exemplaria saltem Romae et in aula reg. superessent? Sed haec omnia silentio praeterire juvat; adeoqu omisissemus S. Gregorii VII locum, nisi Benedictus XIV eum dem citans ad id nos induxisset.

16. Postquam autem ad trutinam revocavimus R. D. Pre fessoris assertiones circa pristinam auctoritatem Episcoporu in eligendis Abbatibus et administrandis monasterii bonis, gr dus jam faciendus esset ad examen praecipuae theseos, nemp per privilegia saeculi VI concessam tantum fuisse libertate electionis praelatorum et administrationis bonorum; qua sequeretur immunitas a quibusdam oneribus, secus Episcop debitis : integra tamen manente Episcoporum auctoritate in r gularem disciplinam. Verum quum haec satis superque co futata sint ex his, quae de Concilio Arelatensi in causa Lir nensi et duobus Carthaginensibus disseruimus, quumq inferius iterum agendum erit de privilegiis pontificiis, ep scopalibus et regiis, transimus ad ipsas Rev. Domini prob tiones.

Ait porro (1) : « Illa etiam perspicua sunt, teste Thoma sino, ex decreto, quod in Romana Synodo anno 601 edi S. Gregorius Magnus, quodque publicavit Baronius ad a num 601. In hoc enim istud decretum totum collimat, ut tuto sit res temporalis monasteriorum, ut electioni Abbatis bertas canonica constet, utque illi invito monachi sui n subtrahantur. Quos eum in finem Episcopi subinde subtrah bant, ut eos in clerum saecularem adsciscerent. Caeteroqu ex eodem S. Gregorii decreto Abbates obnoxii manebant co reptioni Episcoporum, nec spirituali ejus jurisdictioni qui quam detrahebatur. »

Demus et supponamus aliquantisper hanc Romanam Syn dum certissime genuinam esse : an ex uno instrumento, qu omnibus saltem Italiae monasteriis commune privilegium e metienda sunt privilegia particularia, « quae, ut Rev. Don nus paucis lineis ante monuit (2), non referebantur ad omn universi cujusdam Ordinis monasteria sed ad illa solum, qu nominatim in concessione memorabantur? » An pratereun

(1) Pag. 25. (2) Pag. 24.

t disciplina Africana, cujus mentionem R. D. Professor a
homassino factam reperit? An praetereunda plura diplomata
Gregorii, quae passim obvia sunt? Sed haec minora sunt.
ravius enim lapsus est R. D. Verhoeven, quando cum Tho-
assino Pontificis decretum nequaquam recte exhibuit : nam
regorianum statutum nihil aliud fere est quam Concilii Car-
haginensis anni 534 confirmatio, cujus ipsa verba referuntur.
x ipso *Constituto pro monachis*, ut appellari solet, judicet le-
or.

GREGORIUS EPISCOPUS * OMNIBUS EPISCOPIS.

« Quam sit necessarium monasteriorum quieti conspicere **
de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos offi-
um, quod in regimine coenobii exhibuimus, informat. Et
ia in plurimis monasteriis multa a Praesulibus praejudicia
que gravamina monachos pertulisse cognoscimus, oportet ut
strae fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri
sponat ordinatione; quatenus conversantes in illis, in Dei
rvitio, gratia ipsius suffragante, libere perseverent. Sed, ne
ea, quae magis emendanda est, consuetudine quisquam mo-
chus quidquam molestiae praesumat inferre; necesse est ut
eç, quae inferius enumerare curavimus, ita studio fraterni-
is Episcopi debeant custodire, ut ex eis non possit ulterius
inquietudinis occasio reperiri.

» Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi,
ex auctoritate beati Petri Apostolorum principis, cujus vice
ic Romanae Ecclesiae praesidemus, prohibemus, *ut nullus*
iscoporum aut saecularium ultra praesumat de reditibus, re-
vel chartis monasteriorum, vel de cellis vel villis, quae ad
pertinent, quocumque modo vel qualibet occasione minuere,
dolos, vel emissiones aliquas facere. Siqua causa forte inter
ram venientem ad partem suarum Ecclesiarum et mona-
riorum evenerit et pacifice non potuit ordinari; *apud electos*
bates et alios Patres, timentes Dominum, sine voluntaria de-
one, mediis sacrosanctis Evangeliis, finiatur.

» Defuncto autem Abbate cujusque congregationis, non ex-
neus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi pro-

Maur. *Servus servorum Dei.*
' *Prospicere.*
[** *Ipsius quoque gratia suffragante, mente libera.*
**** *Inferendae* supple.

pria voluntate concors fratrum societas elegerit; et, qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod s ipsi * inter se personam invenire nequeant, solerter sibi curent de aliis monasteriis similiter ordinandum. Neque, consti tuto Abbate, quaecumque persona qualibet occasione praepo natur, nisi forte exstantibus (quod absit) criminibus, quae sacr canones punire monstrantur.

» *Pariter autem custodiendum est, ut, invito Abbate, ad or dinanda alia monasteria, aut ad Ordines sacros, vel clericatu officium, tolli exinde monachi non debeant.* Descriptiones quo que rerum et chartarum monasterii ab Episcopo ecclesiastica fieri omnino vetamus; sed, siquando res exigit, Abbas loci cu aliis Fratribus causas rerum inventarum faciat et eorum cor silio et judicio finiantur. Obeunte quoque Abbate, Episcopu in describendis providendisque rebus monasterii acquisitis, v datis perquirendis nullatenus se permisceat. *Missas quoque pu blicas ab eo in coenobio fieri omnino prohibemus,* ne in servoru Dei recessibus et eorum receptaculis ulla popularis praebeatu occasio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quo omnino nec expedit animabus eorum. *Neque audeat ibi cath dram collocare, vel* QUANTALIBET ** POTESTATEM HABERE IMPE RANDI, *nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciend nisi ab Abbate loci fuerit rogatus : quatenus monachi semp maneant in Abbatum suorum potestate.* Nullumque monachu sine testimonio vel concessione Abbatis in aliqua ecclesia t neat, vel ad aliquem promoveat honorem.

« Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futu tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibatamq servari, ut et *suae Ecclesiae,* juvante Domino, *tantummo jure contenti, et monasteria ecclesiasticis conditionibus s angariis, vel quibuslibet obsequiis saecularibus nullo mo subjaceant, nullis canonicis juribus deserviant,* sed, remo vexationibus in cunctis gravaminibus, divinum *** opus cu summa animi devotione perficiant. » Universi Episco respondere : « *Libertati* monachorum congaudemus et qu nunc de his statuit beatitudo vestra firmamus. » Sequunt dein subscriptiones. Atque in hunc modum Baronius, (cuj

* *Aptam* supple.
** *Quantamlibet.*
*** *Diurnum.*

xtum servavimus, notatis tantum ad marginem praecipuis aurinorum discrepantiis), publicavit Constitutum S. Gregorii agni.

Jam vero quis non videat hanc constitutionem maxima ex rte desumptam esse ex posteriori Concilio Carthaginensi, et us proinde recte dici posse confirmationem? Quis non agnoat plura in ea contineri quam libertatem eligendi Abbatis et lministrandi bona et perseverandi in coenobio, ut vult adverrius? Quis demum in ea non reperiat omnimodam ab Epioporum jurisdictione exemptionem? Quod adeo verum est, (sane propter haec verba : « Neque audeat ibi cathedram llocare, vel quantamlibet potestatem habere imperandi, nec quam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab bate loci fuerit rogatus; » quae, ut alibi vidimus (1), sendum Bonifacium VIII plenam exemptionem significant); , inquam, ipse Van Espen (2) id liquido insinuet et Berars (3) id aperte fateatur; quin etiam ut ex hoc praecipue pite hanc Synodum apocrypham esse statuant.

Atque hic specimen habet lector rationis, quam in veterum gularium examinandis juribus et officiis tenet Thomassinus; em utique sequi non debuisset R. D. Verhoeven.

17. Et quidem tanto insignior est hic casus, quod, nedum idpiam cogeret Rev. Dominum ad mentionem hujus constiionis faciendam, contra omnia ei suadere debuissent ut ab memoranda prorsus abstineret. Etenim, licet hoc Gregonum decretum mirum in modum regularibus faveat, oniam tamen adversarii nimia in quibuscumque scriptis nittendis facilitate eorum causa promovenda non est, idide fatemur hanc Synodum nobis dubiam videri.

Dubiam eam dicimus, non vero spuriam : quoniam inter iptores nulla de ea est concordia, neque ex alterutra parte retoria afferri queunt argumenta. Adversus eam scilicet lum dubium suscitant Spondanus (4), Baronius (5),

1) Vide supra, pag. 168.
2) Jus canon. univ. part. 3, tit. cap. 2, num. 18 et seq. tom. 2 pag. 410.
3) Gratiani canones genuini, etc. 2, tom. 2, pag. 142 et seqq.
(4) Annal. eccles. ad annum 601, num. 2, tom. 2, pag. 102, edit 1660.
(5) Annal. eccles. ad annum 601, num. 8 et seq. tom. 11, pag. 11, edit. Mansi.

Pagius (1), editores Collectionis Conciliorum Venetae (2) Binius (3), Labbeus (4), Harduinus (5), editores Collectioni Conciliorum regiae (6), Mansi (7), Fleury (8), Ceillier (9) auctores novi Tractatus de re diplomatica (10), adeoque, u alios omittam, Pius papa VI (11); eisque suffragantu Gratianus (12), et sex codices : primus quo usi sunt editore Conciliorum Veneti, Vaticanus quem adhibuit Baronius Lirinensis, Andegavensis, Flaviniacensis et Claudii Hard senatoris Parisiensis qui praeluxerunt Labbeo Harduino editoribus Maurinis operum S. Gregorii Magni.

Contra Van Espen (13), qui citat Franciscum Florens (14 auctorem quemdam Notarum in epistolam 18 lib. 7 S. Gre gorii (15) et Lannoyum (16), quibus passim, inquit, conser tiunt eruditi, necnon Berardus (17) ut apocryphum rejiciun documentum istud. Similiter Mabillonius, qui prius illu citarat in disquisitione de monachatu S. Gregorii M. (18), ej non meminit in Annalibus et in libris de Re diplomatica; ite Dionysius Sammarthanus in Vita gallica S. Gregorii M. Maurini editores hujus Pontificis operum in Vita S. Doctor quam tomo quarto inseruerunt; iidemque modo, quo ediderunt (19), satis ostenderunt se ei non fidere : nixi for silentio Joannis diaconi (20), concessione diplomatum libe

(1) Ibid. pag. 10.

(2) Cit. a Binio ap. Labbeum, etc.

(3) Cit. a Labbeo, Mansi, etc.

(4) Collect. Concil. tom. 5, col. 1607 et seqq.

(5) Act. Concil. tom. 3, col. 537 et seq.

(6) Tom. 14, pag. 343.

(7) Concil. omn. ampliss. Collect. tom. 10, col. 485 et seqq.

(8) Hist. eccles. lib. 36, num. 33, tom. 5, pag. 570, edit. 1777.

(9) Aut. eccles. tom. 17, pag. 772.

(10) Tom. 5, pag. 122 et passim.

(11) Breve, *Quod aliquantum*, Collect. Brevium, etc. tom. 1, pag. 89.

(12) Decret. caus. 18, quaest. 2, can. 5 et 6.

(13) Jus canon. univ. part. 3, tit. 12, cap. 2, num. 18 et seq. tom. 2 Opp. pag. 410.

(14) Comment. in Decret. G tiani ad caus. 16 et seqq. de st monachorum, cit. a Van Espen.

(15) In edit. Maurin. lib. epist. 15, tom. 2 Opp. col. 90 seqq.

(16) Assertio inquisit. in privil S. Medardi, part. 2, cap. 10, art cit. a Van Espen.

(17) Gratiani canones, etc. p 2, tom. 2, pag. 142 et seqq.

(18) Dissert. de S. Greg monast. instit. part. 1, num. Annal. Benedict. Append. 1, ton pag. 606.

(19) Lib. 2, epist. 41, tom. 2 col. 603 et Append. ad e S. Gregorii, tom. 2 Opp. col. 1

(20) Vit. S. Gregorii, M. lib cap. 7, Act. SS. ad 12 Martii, 157 et seq.

atis etiam post hanc Synodum, subscriptionum temeratione (1) liisque similibus argumentis.

Caeterum penes Rev. Domini arbitrium est vel genuinum el spurium id documentum habere : si prius, concedat oporebit cum Van Espen, Berardo, auctoribus novi Tractatus de e diplomatica (2) et Zaccaria (3) omnia monasteria saltem taliae a S. Gregorio exempta fuisse declarata; si posterius, enuo fateatur necesse erit se figmentum lectoribus suis btrusisse. Alterutrum in praesentia nobis sufficit : quocirca d numerum II veniamus.

18. Ait autem hoc numero R. D. Professor (4) : « Primus mnium, qui religiosos aliquot a spirituali Episcopi jurisditione exemit, fuit Summus Pontifex Adeodatus, qui anno 670 d summum pontificatus apicem fuit evectus; hic scilicet a pirituali Episcopi Turonensis jurisdictione exemit monasteium B. Martini. »

Quamvis ex his, quae de monasteriis Africanis, nonnullis allis et Orientalibus, deque duplici Concilio Carthaginensi ommemoravimus satis superque pateat haec omnino stare on posse, exspectat tamen lector hujus novi asserti directam onfutationem; unde statuendum est tantum abesse ut prium ab Adeodato talis exemptio concessa fuerit, ut contra ntegro saeculo ante saepius concederentur privilegia, similia rivilegio Turonensi.

Quod ut patescat oportet lectorum oculis subjicere conssiones Adeodati : « Firmari concessimus, inquit Ponfex (5), ut apostolica fulti auctoritate per privilegii seriem allas gravedines a quolibet Episcoporum sub praetextu scussionis religiosus Abbas vel monachi ibidem degentes istineant; neque rursus hospitandi sibi apud eos licentiam ndicantes, dispendia his atque insolentias angariarum imonant : neque per occasionem regularis disciplinae rimandae que servandae quaslibet importent injurias, sed liberam entiam habere statuimus, salva profecto monachicarum

(1) Fratres Ballerinii, Opp. S. onis M. tom. 3, Append. pag. XLIII.

(2) Nouveau traité de diplomaque, tom. 5, pag. 122 et passim.

(3) Antifebronius vindicatus dissert. 10, cap. 4, num. 3, ap. Migne, tom. 27, col. 1168.

(4) Pag. 25.

(5) Collect. Concilior. Labbe, tom. 6, col. 524.

regularum custodia; religioso Abbate, quicumque pro tempor praeerit praefato venerabili monasterio, id procurante, ut erg *quod priscae traditionis ejus articulus continet,* et ipse conser vare nitatur, et quicumque sub ejus reguntur dispensation solerter custodire commoneat, districteque compellat. »

« Reverendissimo vero Episcopo, in cujus parochia memo ratum venerabile monasterium, vel res ejus ac possessione constiterint, faciendae tantum ordinationis ac promotion sacerdotum ac levitarum, vel conficiendi chrismatis sit tantu concessa licentia. Dispositionem autem venerabilis loci gerer ac conversationem monachicam exquirere, religioso Abbat ejusque praeposito, vel qui probatissimi in eodem monaster fuerint (quod etiam praesules consona sententia definieru decernimus. Quisquis igitur etc. » Sequuntur solita anath mata.

Jam vero, ut liquet, tria privilegio isto continentur : prim statuitur, ne Episcopi angarias monasterio imponant alia inferant dispendia; secundo, Abbati committitur regular disciplinae cura; et tertio, reservantur Episcopo dioecesa ordinationes et chrismatis confectio.

Porro nonne haec omnia inseruntur Constituto pro m nachis, quod laudavit Rev. Dominus, et in aliis, monumen quae jam citavimus et inferius copiosius afferemus? Inter autem excudendam hic curamus Formulam Marculfi de p vilegio, ab Episcopo monasteriis concedendo, quam ipse cu reliquis suis Formulis circa annum 651 (1), viginti scili annis ante concessum ab Adeodato diploma, Episcopo Pa siensi S. Landerico obtulit. Malumus scilicet hanc Formul exhibere, quoniam, ut eruditis omnibus constat et fac intelligitur, nihil aptius est ad cognoscendas alicujus a consuetudines.

19. Sequitur jam tenor hujus Formulae (2) : « *Quali privilegium condatur.* Domino sancto et in Christo venerab Fratri *illo* Abbati, vel cunctae congregationi monasterii *ill* in honore Beatorum *illorum* ab *illo* in pago *illo* construc *ille* Episcopus. Compellit nos affectio caritatis vestrae, ra

(1) Mabillonius, Annal. Bened. lib. 14, num. 14, tom. 1, pag. 385. Cfr. Hier. Bignonii Not. ad Marculfum ap. Baluzium, Capitularia Reg. Franc. tom. 2, col. 861 et seqq.

(2) Labbe, Collect. Concil. tom col. 531; Baluz. Capitul. Reg. Fra tom. 2, col. 371 et seqq.

nflammante divino, illa pro vestra quiete providere quae
obis maneant ad mercedem, et ea recto tramite inconvulso
imite terminari quae perennem deinceps propitiante Domino
btineant firmitatem; quia non minor a Domino retributio
peratur futura pro succiduis contemplante temporibus quam
d praesens munera pauperibus offerente. *Et ne nobis aliquis*
etrahendo aestimet in id nova decernere carmina, dum ab
ntiquitus juxta constitutionem Pontificum per regalem san-
tionem monasteria Sanctorum Lirinensis, Agaunensis, Luxo-
iensis, vel modo innumerabilia per omne regnum Francorum
ub libertatis privilegium videntur consistere, sed pro reve-
ntia Sanctorum Beatorumque omnium *Fratrum implendo*
ussa, custodiendo praecepta, obedientiam propalabo. Quid
ero vos vel successores vestri sancto suadente Spiritu
einceps custodiatis, immo sanctae illius Ecclesiae Episcopus
ebeat adimplere, huic paginae credidimus inserendum. Hoc
it, ut de vestra congregatione qui in vestro monasterio sancta
ebeant bajulare officia, quum Abbas cum omni congregatione
oposcerit, a nobis vel a successoribus nostris sacros perci-
ant gradus, nullum pro ipsorum honore praemium perce-
urus. Altare in ipso monasterio praedictus Episcopus
nedicat, et sanctum chrisma annis singulis, si voluerint
ostulare, pro reverentia loci sine pretium concedat. Et juxta
spensationem divinam, cum Abbas de ipso monasterio a
omino migraverit, quem unanimiter omnis congregatio *illa*
onachorum ex semetipsis optimae regulae compertum et
tae meritis congruentem elegerint, similiter sine praemium
emoratae Urbis Episcopus ipse promoveat Abbatem. *Nul-*
m penitus aliam potestatem ad ipso monasterio, neque in
bus, *neque in ordinandis personis,* neque in villabus ibidem
m conlatis aut deinceps regio munere aut privatorum con-
uras, vel in reliqua substantia monasterii, nos successo-
sque nostri Episcopi, aut Archidiaconi, seu ceteri alii
dinatores, aut quaelibet alia persona praedictae civitatis
bere non praesumant, aut quodcumque de eodem monaste-
, sicut de parochiis aut ceteris monasteriis, muneris causa
deant sperare aut auferre; nec de hoc quod a Deum timen-
us hominibus transmissum aut in altario offertum fuerit,
t sacris voluminibus, vel quibuscumque speciebus ad
natum divini cultus pertinet, ad praeconlata vel deinceps

conlatura fuerint, auferre praesumant. *Et nisi rogatus a congregatione* illa *vel ab Abbate, pro oratione lucranda, null* nostrum liceat monasterii adire secreta aut finium ingredi septa Et, si ab eis illuc Pontifex postulatus, pro lucranda oration vel corum utilitate accesserit, celebrato ac peracto divin mysterio, simplici ac sobria benedictione percepta, abs que ullo requisitu domum studeat habere regressum; u quatenus monachi, qui solitarii nuncupantur, de perfect quiete valeant duce Domino per tempora exultare, et su sancta Regula viventes, et beatorum Patrum vitam sectantes pro statu Ecclesiae et salute Regis vel patriae valeant pleniu Dominum exorare. *Et si aliquid ipsi monachi de eorum reli gione tepidi an secus egerint, secundum eorum Regulam a eorum Abbate, si praevalet, corrigantur. Sin autem, Pontife de ipsa civitate coercere debeat :* quia nihil de canonica aucto ritate convellitur, quicquid domesticis fidei pro quiete tran quillitatis tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deu avertat, calliditate commotus, aut cupiditate praeventus, e quae sunt superius comprehensa temerario spiritu violar praesumpserit, a divina ultione prostratus, reatu anathemat subjaceat, et tribus annis a communione omnium Fratru noverit alienum; et nihilominus hoc privilegium perpeti maneat incorruptum. Quam constitutionem nostram, firmis subsistat vigoribus, et nos et Fratres nostri domi Episcopi subscriptionibus manibus nostris decrevimus roborar Actum *ibi,* sub die *illo,* anno *illo.* » Mitto *concessionem Re ad hoc privilegium,* quae continuo post sequitur, et in qua unum animadverti meretur, quod ibidem etiam dicitur « *Ab antiquitus juxta constitutionem Pontificum* per regale sanctionem *monasteria sanctorum* illorum *vel cetera in regi nostro sub libertatis privilegium videntur consistere.* »

Ex his itaque formulis, quae Episcopis et Regibus *jux constitutionem Pontificum, jussa et praecepta Fratrum* adh bendae proponuntur, et secundum quam *innumerabilia,* ade que fere omnia, *monasteria per omne regnum Francorum s libertatis privilegio consistebant,* melius quam ex ingenti cop diplomatum repeti potest Episcopis tunc temporis vulgo re etas tantum fuisse ordinationes et benedictiones sacras, coll tionem chrismatis et correctionem monachorum, *siquan Abbas non praevaleret;* quin etiam haec formula tam late pat

)at, ut monasteria, quibus simile concessum fuisset privile-
ium, a jurisdictione Episcopi censerentur absoluta : quod in-
elligimus ex Bulla Stephani II pro monasterio S. Dionysii
)rope Parisios : etenim, quum S. Landericus in eximendo
Sandionysiano coenobio hac formula esset usus (1), non dubi-
at Stephanus de ea ita disserere (2) : « Quoniam ad preces
Chludovii, filii Dagoberti Regis, domnus Landericus, Parisiacae
irbis Episcopus, *a sua et omnium successorum potestate* dein-
eps, cum consilio suorum canonicorum et Fratrum Coepisco-
orum regionis illius, *coenobium vestrum et omnes ad eum per-
inentes clericos* quorumcumque ordinum in procinctu vestri
ionasterii *absolvit ;* nos etiam idem .. concedimus. »

20. Quod si tamen contenderet R. D. Professor per Adeodati rivilegium ita constrictam esse Episcopi Turonensis potesta-
em, ut ne quidem, quando Abbas adversus immorigeros mo-
achos non praevalet, rei disciplinari intervenire queat (quae apebrochii est sententia (3)) id nihil omnino nos remoratur; uum adeo certum sit Adeodatum non primum esse, qui mo-
asteria ab omni potestate atque etiam visitatione seu correc-
ione Episcoporum liberarit, ut Papebrochius, qui prius (quod lenam hanc exemptionem recentiorem arbitraretur) ipsum deodati diploma, quod profert adversarius, spurium censue-
it (4), Mabillonio certis testimoniis eum redarguenti victas lane dederit manus.

« Apud Mabillonium, inquit vir eruditissimus (5), dubita-
onem omnem de exemptionum vetustate pluribus exemplis issolutam inveniens, eidem Turonensi monasterio libenter ratulor tam vetustum privilegium, et quidquid in contrarium efinivisse videor in Propylaeo Aprilis num. 127 cupio retra-
atum; non solitus cuiquam rationabili objectioni negare ju-
itiam, quam sinceritas atque veritas postulant ab eo, qui, se-
osito alio quocumque respectu, solam veritatem sectari profi-
tur, etiam contra qualemcumque suam priorem sententiam ; cut saepenumero non solum professus sum, sed reipsa feci ac roin faciam, animo aeque discere ac docere parato. » Ex his

(1) Baluzii, Capit. Reg. Francor. m. 2, col. 867 et seqq.
(2) Act. SS. Ord. S. Bened. saec. part. 2, pag. 337.
(3) Propyl. Maji, art. de Adeodato, pag. 102*.
(4) Propyl. 2 tomi Aprilis, num. 127, pag. XXIX.
(5) Propyl. Maji, loc. cit.

habemus exempla a Mabillonio adducta, ita manifesta esse ut is, qui, ut loquitur ipsemet, Adeodati « rescripti partem dumtaxat legens apud Baronium, nec satis certus adeo antiquas esse monasteriorum exemptiones a visitatione episcopali, etc., quam hic indicatur, quum dicitur id *plus non suppetere,* hoc est in usu amplius non esse, » recentius figmentum aestimarat, palam errorem suum fateatur suaeque retractationis universos eruditos conscios esse velit.

Porro, ut haec omnia meridiana luce clariora fiant, referemus inferius plura Joannis IV, S. Gregorii Magni atque etiam antiquiora diplomata, quibus omnis in quocumque casu Episcopis aufertur monachorum correptio.

21. Interea audiatur altera pars. Probat R. D. Professor Adeodatum primum esse, qui monasterium a jurisdictione Episcopi exemerit, his verbis : « Idem Pontifex, ait (1), testatus est indulgentiam istam INAUDITAM esse NOVITATEM; neque etiam ad eam concedendam adduci potuit, nisi postquam certior factus esset de Episcoporum Galliae et ipsius Turonensis Episcopi consensu. « Parumper ambigimus, inquit, idcirco » QUOD MOS ATQUE TRADITIO SANCTAE NOSTRAE ECCLESIAE PLUS » NON SUPPETAT, a regimine episcopalis providentiae religiosa » loca secernere. Verum ubi et Fratris nostri Crotberti Turo» nensis Praesulis monachicam libertatem, id est, liberam » dispensandi licentiam scripto concessam, religiositate ejus » exemplaria proferente, comperimus, in cujus volumine » aliorum, per Gallicanam videlicet provinciam constitutorum » Antistitum, ad id consensum praebentium, subscriptione » subter annexas inspeximus, nullatenus jam exortem rationi » ac canonicae regulae tantorum Episcoporum consonam sen» tentiam fore perpendimus. »

Evidens est R. D. Professorem *inauditam* istam *novitatem* expiscatum esse ex his Adeodati verbis : *Quod mos atque tra ditio sanctae nostrae Ecclesiae* PLUS *non suppetat a regimine,* etc. Sed parum feliciter : nam, nedum istud *plus non suppetere* significet *huc usque id in more non fuisse positum* contra indicat *olim fuisse morem,* sed *eum jam non amplius ferre.* Neque ego solus, cujus minimam auctoritatem esse fateor, ita intelligo; sed ita hunc locum intellexere Baronius (2), Pa

(1) Pag. 26.
(2) Annal. Eccles. ad ann. 676, uum. 7, tom. 8, pag. 519, ed Antverp.

ebrochius (1), Mabillonius (2), Van Espen (3) aliique. Neque ubium moveri potest, quum vocabulum *plus* omittendum sit, t sensus a R. D. Professore propositus, ex Adeodati diplomate xtundi queat. Superest ut concludamus testimonium, quo Rev. Dominus probare voluit exemptionem a jurisdictione piscopali exeunte saeculo VII fuisse *inauditam novitatem,* im-ensi ponderis esse ad ostendendum eam fuisse remotissimae ntiquitatis.

Priusquam autem omnino relinquamus id Adeodati re-riptum, notare juvat id a pluribus eruditis respui. Papebro-ius, ut jam diximus, in ejus neganda genunitate viam ape-ierat; sed dein, Mabillonii argumentis convictus, errorem ium pro insigni animi sui candore palam professus est. Espe-us (4) tamen damnat Papebrochium nimiae facilitatis ejusque erum urget argumenta; Launoyus (5) similiter id reprobat; usdem sententiae est Muratorius (6), aliique. Verum, quum omnes scriptores nulla afferant argumenta, quae Mabillo-us (7), scriptores novi Tractatus de re diplomatica (8), alii-ie non difflaverint, quum insuper Adeodati privilegium so-mni judicio Curiae Parisiensis die 13 Aprilis 1709 pro legitimo erit habitum (9), nefas ducimus ullam adversus id privile-um suscitare difficultatem. In disquisitionibus enim histori-; una sectanda est veritas. Quocirca, quum confidamus ad-rsarium, huc usque tantopere in admittendis veteribus scri-is facilem, non insurrecturum adversus diplomata, quae ferius bona fide et post maturum examen referemus, inutile dicabimus singulis diplomatis suas adjicere vindicias : unde us nostrum in immensum cresceret. Neutra pars abutatur te critica, neu minus candido animo procedat.

(1) Propyl. Maji, pag. 102*.
(2) Annal. Bened. tom. 1, pag. 2, lib. 16, num. 46.
(3) Jus Eccles. univ. part. 3, tit. , cap. 4, num. 18, tom, 2 Opp. g. 418.
(4) Jus eccles. univ. part. 3, tit. , cap. 4, num. 20 et seqq.
(5) Assert. inquisit. in privil. Medardi, part. 3, cap. 20, cit. a n Espen, loc. cit.
(6) In Annalib. Ital. cit. in novo Tractatu de re diplomat. tom. 5, pag. 382.
(7) De re diplomat. lib. 1, cap. 3, num. 9, pag. 14.
(8) Tom. 5, pag. 381 et seq.
(9) Brequigny et La Porte du Theil, Diplomata, etc. ad res Francicas spectantia, part. 1. tom. 1, prolegom. pag. CI.

CAPUT OCTAVUM.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM EPISCOPALIBUS E REGIIS USQUE AD SAECULUM XI.

1. *Perperam contendit R. D. Verhoeven privilegiis episcop libus usque ad saeculum* XI *concessam tantum fuisse libe tatem eligendi Abbatem et administrandi bona.*
2. *Etenim ineunte saeculo* VI *S. Caesarius liberavit penit Arelatense monialium coenobium ab Episcopi potestate.*
3. *S. Fulgentius eodem fere tempore similiter egit erga mon sterium Ruspense.*
4. *Plures Episcopi Galli saeculo* VI *et* VII *distincte sibi suisq successoribus interdicunt potestatem supplendae insuffici tiae Abbatis.*
5. *Saeculo* VII *et* VIII *in Burgundia et Alsatia, praeter al privilegia, dabatur ab Episcopis libertas accipiendi epis palia a quolibet Episcopo.*
6. *Plura monasteria in Anglia plene sunt libera et a quoli Episcopo accipere possunt episcopalia.*
7. *Libertas monasteriorum S. Rudesindi in Hispania.*
8. *In Hibernia jam a saeculo* VI *Abbas Hiensis non Episcop sed omnes Episcopi Abbati Hiensi subjiciuntur.*
9. *Ab antiquissimis temporibus nil ferme potuerunt Episc in monasteria regia.*
10. *Reges curabant disciplinam regularem horum monaster rum et maximam in ea exercebant auctoritatem.*
11. *Ad id utebantur opera Missorum dominicorum et Archic pellani.*
12. *Hic, interveniente sede apostolica, auctoritatem habebat omnes res ecclesiasticas regni.*
13. *Haec disciplina obtinebat in Gallia maxime, dein in Ital in Anglia et apud Graecos.*
14. *A saeculo* X *usque ad* XII *eam aggressi, vincunt tand Episcopi.*

5. *Ejus vestigia pluribus saeculis deinceps adhuc superfuere.*
6. *Sanctissimi viri eam laudarunt.*
7. *Experientia tamen docuit eam exitiosam esse.*

1. Quum numerus III § III capitis I *Libri Singularis* sit ıera duorum praecedentium repetitio, is locum tandem abit ut de privilegiis quibuscumque aliquanto fusius dicamus. Privilegia, inquit R. D. Professor (1), quae Episcopi mona-eriis dederunt ab octavo usque ad undecimum circiter sae-ılum, eadem fere erant, quae prioribus temporibus fuerant ɔncessa, et eo fere pertinebant, ut monachi libere eligere ɔssent suos Abbates, et penes ipsos esset libera bonorum ıorum temporalium administratio. Ex hoc autem duplici rivilegio consequebantur plura alia; deinceps enim non ɔterat amplius Episcopus aliquid ex bonis vel reditibus ıonasterii exigere, vel aliquid sibi in Abbatem arrogare, vel ı monasterium, vel in cellas ei subjacentes, vel in clericos ; servos ibi ministrantes, nisi quantum per canones fas es-et. » Haec prior pars hujus numeri.

2. Ast concedere nequimus privilegia episcopalia nihil iud continuisse quam liberam Abbatis electionem et libe-ım bonorum administrationem; nam ut mittamus ingentem rivilegiorum numerum secundum Marculfi Formulas con-itum esse, quorum specimina aliquot refert Hieronymus ignonius (2; toties in memoriam revocatos canones Afri-ɔnos; libertatem monasterii Lirinensis; aliaque id genus, ɔverit referre gesta nonnulla S. Caesarii, Arelatensis Epi-:opi, qui anno 542 diem obiit (3). Hic scilicet, quum olim in irinensi monasterio didicisset quanti intersit ut monasteria nt exempta, monialibus a se institutis largum concessit rivilegium, quod ad S. Hormisdam Papam ante annum ujus emortualem 523 (4) confirmandum destinavit. Respon-it in haec verba S. Hormisdas: « Quia, inquit (5), in Arela-

(1) Pag. 26 et seq.
(2) Apud Baluzium. Capitular. -gum. Francor. tom. 2, col. 866 seqq.
(3) Mabillonius. Ann. Bened. ɔ. 4, num. 25. tom. 1. pag. 89.
(4) Papebrochius. Propyl. Maji, g. *69.
(5) Act. SS. tom. 1, Januar. pag. 737; Martenne. Thesaur. Anecdot. tom. 1. pag. 3; Voyage littér. tom. 2, pag. 283 et 286; Cfr. Baronius, Annal. ad annum 508. et Mabillonius. Annal. Bened. lib. 2, num. 20, tom. 1. pag. 41.

tensi Ecclesia, super clericorum et monachorum excubias consuetas, puellarum quoque Dei noviter choros instituisse te, directis litteris, indicasti, poscens ut in praefato puellarum monasterio a te nuper condito, *nullam potestatem successores quandoque tui habere* PENITUS *permittantur;* quatenus sacratae Deo virgines, ab omni inquietudine vel molestia absolutae, omnipotenti Deo liberis mentibus valeant jugiter famulari... Petitionibus fraternitatis tuae libentissime annuentes, apostolica auctoritate firmamus atque decernimus, ut *nullus Episcoporum*, successorum quoque tuorum, in autedicto monasterio *audeat sibi potestatem aliquam penitus vindicare,* nisi tantum pro Dei intuitu, pastoralem sollicitudinem gerens, familiam Christi Domini ibi positam, congruis quibusque temporibus (juxta quod condecet) sincero animo cum suis clericis studeat visitare. » Sequitur continenter confirmatio donationum et venditionum, quae minus ad praesentem quaestionem pertinet. Neque hic stetit S. Caesarius : nam, ut supra vidimus (1), per Regulam et Testamentum suum jussit ut moniales libere sibi eligerent non tantum Abbatissam, verum etiam provisorem sive presbyterum, vel aliquem sibi ordinandum designarent; quin etiam curavit ne Episcopus in visitando coenobio aliquam auctoritatem exerceret, ut liquet e Regulae suae Recapitulationis verbis (2) : « Illud etiam, quod non credo, nec Deus pro sua misericordia fieri patietur, si quocumque tempore quaelibet Abbatissa de hujus Regulae institutione aliquid immutare aut relaxare tentaverit; vel pro parentela, seu pro qualibet conditione *subjectionem vel familiaritatem Pontificis hujus civitatis habere voluerit,* Deo vobis inspirante, ex nostro permissu in hac parte cum reverentia et gravitate *resistite,* et hoc fieri nulla ratione permittatis : sed secundum sacram sanctissimi Papae urbis Romae vos auxiliante Domino munire in omnibus studete. »

Similiter ineunte eodem saeculo v B. Gregorius Episcopus Lingonensis aliquod libertatis privilegium concessit Divionensi S. Benigni monasterio; quod ab eodem Hormisda Papa confirmandum curavit (3).

3. Ut in Africam redeamus, atque ad ea relabamur tem-

(1) Vide supra, pag. 193 et seq.

(2) Num. 14, Codex Regul. Holstenii, tom. 1, pag. 362, edit. Brockie.

(3) Mabillonius, Annal. Bened. lib. 2, num. 21, tom. 1, pag. 41.

ora, quae Concilia Carthaginensia antecesserunt, S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis, in agello Posthumiani, nobilissimi et pientissimi viri, non longe ab ecclesia sua monasterium onstruxerat. Istic frequens erat sanctissimus praesul; « sed ne videretur Abbatis Felicis, adventu suo, minuere potestatem, *mperandi monachis omnem sibi ademit voluntarie facultatem :* » quod per scripturam etiam firmavit, « nihil se in illo roprium vindicare; nec pro potestate, sed pro caritate inter monachos habitare. Ideoque obicem contradictionis in hac criptura successoribus suis opposuit; ne quod servi Dei simplices praejudicium postea paterentur (1). » Insignis locus, ecte subjicit Mabillonius (2). Plura mittimus.

4. Postea vero plures Episcopi non satis habuere generatim mnem in monasteria abdicare potestatem, sed distincte abicarunt vel limitarunt auctoritatem suam in supplenda Abatis insufficientia. Imprimis in Concilio Turonensi, anno 566 Pontificibus trium Lugdunensium provinciarum habito, eneratim « interdictum fuit Episcopo, ne Abbatem absque liorum Abbatum consilio e loco suo ejiceret (3); » quod, ut dvertit Mabillonius (4), secundae Carthaginensis sub Repato Synodi decreto consentaneum est. Praeterea Numerianus, piscopus Trevirensis, circa annum 671 (5) concedens S. Adeato privilegium secundum Formulam Marculfi, de correctione a statuit : « Et si aliquid, inquit (6), ipsi monachi quantumcumque de religione indebite egerint, secundum supradictam Regulam domni Benedicti et S. Columbani Abbatis et proprio objurgentur Abbate. Et si, quod absit, talis inter bbatem et monachos dissensio aliqua et murmur consurgere ideatur, *qualis minime ab eodem Abbate ibidem sedari possit,* nc missus Episcopus eorum *ad alios Abbates, qui hujusmodi egulam teneant, conveniant in ipso monasterio, scandalumque primant sententia regulari ;* quia nihil de canonica auctorite convellitur, etc. » Aredius seu Petruinus, Vasensis Epi-

(1) Vit. S. Fulgentii, num. 40, et seq. Act. SS. tom. 1 Januarii, g. 39 et 43.

(2) De re diplomatica, lib. 1, cap. num. 4, pag. 12.

(3) Can. 7. Mabillonius, Ann. ned. lib. 6, num. 31, tom. 1, pag. 139.

(4) Ibid. loc. cit.

(5) Ibid. lib. 16, num. 16, tom. 1, pag. 468.

(6) Ibid. app. tom. 1, num. 25, pag. 641.

scopus, anno 684 (1) monasterio Grassellensi concessit simile privilegium (2); quod loco multorum est, quoniam, ut ibidem dicitur, simile est iis quae passim ab Episcopis Galliarum conceduntur, et *plurimi ab ipsa sede Apostolorum quod* (quoad) *devotionis obtentum adepti noscuntur.* Anno 696 Ageradus, Carnotensis Episcopus, concessit monasterio S. Mariae, sito in oppido quodam juxta Ligerim, non dissimile diploma, decernens ut, si Abbas cum sua congregatione scandala exstirpare non valeat, « Patres spiritales, qui sub sancto ordine vivere videntur in Carnotena parochia, aut undique elegerint, ad hoc scandalum mitigandum invitent. Quod si nec ipsi, (quod, inquit Ageradus, minime credimus,) hoc emendare potuerint tunc ad pacis concordiam sine ullo cupiditatis crimine Pontifex Carnotensis ab ipso Abbate vel sua congregatione invitandus sit, ut paterno more discordantes, salvo eorum privilegio, ac pacem revocet (3). » Mabillonius, qui acta Concilii Carthaginensis et hoc Ageradi diploma tantummodo indicat, ait multa similia documenta exstare (4). Certe huc referri potest privilegium monasterii S. Petri Lucensis in loco Palatiolo, in cujus fundationis charta, conscripta anno 754 (5), legitur : « In eo vero tenore meus disposuit animus, ut nullus Episcoporum aut judicum ibi perveniat imperio. » Concreditur dein monachorum correctio Abbati, additurque : « Et si aliquo errore pro ordinatione ortus fuerit, aut pravo aliquo vitium repertum inter Fratribus, quod ipse inter se vel retitudinem aut regulam instituta corrigere neglexerit, tunc accedant in ipso monasterio sancti Patres Quoëpiscopi, id est sedis Ecclesie sancti Pisane, et sedis Ecclesie Populoniensis, sed et Abbas monasterii Domini Salvatoris in loco Pontiano, item et Abbas monasterii S. Frediani... civitate Lucense... Si ipsi (Fratres) se corrigere potuerint, ut sancte et regulariter agant, supra memorati Quoëpiscopi vel Abbati nullo cogeant imperio in ipso monasterio aliquo ordinandi aut inducendum... Ego Illo, notarius domni Imperatoris autentico illo vidi et legi, e

(1) Ibid. lib. 17, num. 38, tom. 1, pag. 527.

(2) Ibid. app. tom. 1, num. 29, pag. 643.

(3) Mabillonius, de re diplomat. lib. 6, num. 23, pag. 478.

(4) Ibid. lib. 1, cap. 3, num. pag. 12.

(5) Muratorii Antiq. Italiae med aevi, diss. 70, tom. 5, col. 1007 seqq. Mediolani 1741.

deliter exemplavi, literis plus minus. » Viden, ubique exuditur Episcopus dioecesanus, Lucensis scilicet.

5. Et quidem in nova Collectione Formularum, edita a aluzio, reperimus duas Formulas, quibus Episcopis omnis mnino spiritualis adimitur potestas in monasteriis; adeo ut onachi nullo prorsus modo Episcopi correptioni subjaceant a quocumque velint Episcopo recipere possint sacros rdines, chrisma et quae alia sunt episcopalis muneris. Auores novi Tractatus de re diplomatica (1) referunt has Forulas ad spatium, quo vetus Burgundiae regnum duravit, id t ab anno 413 ad 524; ast id prorsus erroneum esse vel ex eo quet, quod Regula S. Benedicti, quae in his Formulis laudatur, nc nondum in Gallia vigeret. Quocirca praeplacet nobis sentia Mabillonii, qui illas saeculo VII annectit (2). Aliqua ex iori decerpimus: « Dum omnes praesules et nobiles personae noscunt, ita loquitur fundator monasterii (3), et comproncialibus nostris cognitum est, quod ego *ille* in *mea re proia* jam nominatum monasterium aedificavi... *vel quidquid inde facere volo, praesenti tempore in omnibus mihi maneat bera potestas,* propterea per praesentem paginam cum consu supra memoratorum Pontificum constituo ut nullus piscopus alius civitatis, aut Archidiaconus, vel quilibet ex ero, aut actores Ecclesiae *nullum ibidem praesumant exercere minatum,* non ad mansaticos aut repastos exigendo, non ad inisteria describendo, non ad Abbatem mittendo. *Cum vero cesse fuerit chrisma petere, tabulas aut altaria consecrare, cris ordinibus benedici, Abbas vel monachi ibidem consisten-, a quocumque de sanctis Episcopis sibi elegerint qui hoc ere debeat, licentia sit eis expetere et illi hoc benedicere vel nsecrare...* Quod vero Deus avertat, ne ibi sanctus ordo pescat et *ipse Abbas hoc emendare non praevalet aut negligit, testas maneatur ipsis monachis* ubicunque in propriis moisteriis rectius et sanctius secundum Regulam S. Benedicti venerint, expetere, et per eorum salubre consilium *ipsum nctum ordinem regulariter emendare.* Quod si Pontifex vel iquis ex ecclesiasticis ministeriis quislibet... aliquid calum-

(1) Tom. 5, pag. 377.
(2) Annal. Bened. lib. 19, num. 0, tom. 2, pag. 27.
(3) Baluzius, Capitularia Reg. Francor. tom. 2, col. 579 et seq.

niare vel inquietare vel per quodlibet ingenium minuare tenta
verit, a glorioso domno, quem tunc Deus regnum *Burgundia*
gubernare permiserit, hoc protinus emendetur... »

Haec autem non in solo Burgundiae regno in usu fuerunt
sed alibi quoque fuere adhibita. Sane dubium nullum est
quin in regno Austrasiae hujus reperiantur certa vestigia
quum privilegium, quod S. Pirminus, Chorepiscopus et simu
vere Episcopus (1) multorumque coenobiorum conditor (2)
anno 727 a Widegerno, Episcopo Argentoratensi, pro mona
sterio Morbacensi adeptus est, omnino conditum sit juxt
recitatam Formulam Burgundicam et aperte contineat exem
ptionem ab omni episcopali correctione et libertatem acci
piendi ordines et benedictiones a quolibet Episcopo (3). Quibu
non dubitamus adjicere satis probabile esse reliqua S. Pirmin
monasteria, quae fere congregationem aliquam religiosa
inter se constituebant, paribus donata fuisse privilegiis.

6. Non dissimilia in Anglia reperimus privilegia. Rex In
nempe, qui ut Sanctus cultus fuit (4), et forsan etiamnum co
litur, anno 725 cum consilio multorum Episcoporum charta
condidit, qua Episcopo dioecesano prohibetur ne in Glasto
niensi monasterio aliisque ei subditis ecclesiis et locis cath
dram suam episcopalem statuat, missas solemnes celebret, ne
ecclesias dedicet, nisi ab Abbate vel Fratribus invitatus fueri
Conceditur dein ut « Abbas vel monachi, *a quocumque voluerin*
ipso qui canonicum pascha celebret, *ecclesiastica sacrament*
in Glastoniensi ecclesia, aut in ecclesiis sibi subjectis, aut i
earum capellis recipiant. » Integrum diploma excuderun
Dodsworth et Dugdale (5). Eodem fere tempore S. Adelhe
mus, Schirburnensis Episcopus et simul Abbas Maldunens
seu Malmesburiensis, necnon Formensis et Bradefordiens
monasteriorum, asceteriis suis concessit exemptionem a
omni regali et episcopali auctoritate : « Ut nullius, inquit (6

(1) Mabillonius, Annal. Bened. lib. 20, num. 65, tom. 2, pag. 67.

(2) Ibid. passim. Cfr. Grandidier, Hist. de l'Église de Strasbourg, tom. 1, pag. 251 et seqq.

(3) Mabillonius, Annal. Bened. tom. 2 Opp. num. 22, pag. 656.

(4) Ibid. lib. 20, num. 69, tom. 1, pag. 74.

(5) Monast. Anglic. tom. 1, pa 13 et seqq. edit. 1655.

(6) Alfordus, Hist. Eccles. A glican., ad annum 705, num. 1 tom. 2, pag. 451 et Acta SS. ad 2 Maji, pag. 79.

ec regalis aviditas, *nec pontificalis auctoritas, vel aliquis ecclesiasticae* seu saecularis *dignitatis vir,* sine nostrae (*Abbatis t monachorum*) voluntatis arbitrio *in nobis vindicet principatum.* » Cui privilegio Rex Ina et Sergius I Papa annuisse eguntur (1).

7. Quum omnia fere vetera monumenta Hispanica perierint ıter Sacracenorum depopulationes, atque insuper libri, quius superstites reliquiae capiuntur, penes nos non sint, vix est uod de hujus regionis consuetudine agere possimus. Ne tamen am intactam relinquamus, placet referre verba, quae S. Ruesindus, Episcopus Dumiensis et Abbas Cellae Novae a se onstructae, paulo ante mortem (anno scilicet 977) ad congreatos Fratres habuit : « En Fratres, inquit (2), nexibus hujus arceris et periculis exsilii hujus jam liberari pergo; quam b rem sanctae professionis memores, religiose Deo servire urate. Monasterium vestrum ab omni dominatione, tam regia uam episcopali, liberum vobis relinquo. » Quibus adjicere lacet in peninsula quoque Hispanica obtinuisse videri disciinam, quam Carthagine constitutam vidimus : siquidem gatur « nonnulla virorum ac puellarum monasteria, quae in imiae, Galliciae et Portugaliae provinciis constructa erant, ıcundissimo Dumiensis Episcopi et Cellae Novae Abbatis nperio ac regimini sese subjicere gavisa esse (3). »

8. Ast haec omnia fere evanescunt, si oculos in Hiberniam ɔnjicimus. Hic enim a tempore S. Columbae, Abbatis Hiens, qui saeculo VI floruit, « habere solet, inquit (4) venera-lis Beda saeculi VIII scriptor, ipsa insula semper *Abbatem* resbyterum (*successorum S. Columbae*), *cujus juri et omnis nnis provincia, et ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant se subjecti;* juxta exemplum primi doctoris illius, qui non piscopus, sed presbyter exstitit et monachus. » Qui rerum do quantos clamores ex ore Thomassini, Espenii in hac ırte praecursoris, eliciat, facile divinare est (5) : verumta-

(1) Mabillonius, Annal. Bened.). 16, num. 49, tom. 1, pag. 484.
(2) Ibid. lib. 48, num. 29, tom. 3, g. 600.
(3) Ibid. lib. 48, num. 23, tom. 3, g. 600.
(4) Hist. Eccles. Gent. Angl. lib. 3, cap. 4, tom. 3, col. 75, edit. Basil. 1563.
(5) Cfr. Vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 30, num. 10, tom. 1, pag. 730 et seq. et alibi saepius.

men haec tellus erat tunc temporis Insula Sanctorum. Neque id tantum in remotis partibus obtinuit, verum etiam proxime ut videtur ad Romam, ut habemus ex Gattola, qui propter totius Hibernicae provinciae primaevam consuetudinem recte scribere potuit (1) : « Neque mirum videri debet Aquinensem Episcopum subditum Abbati Cassinensi fuisse. »

9. Superius jam vidimus sanctum Regem Inam privilegia concedentem ; in Formula Burgundica occurrit Rex Burgundiae ut privilegiorum vindex ; porro monasteria, quae ejuscemodi consequebantur privilegia, dicebantur regia seu regalia. Antiquissima enim erat disciplina, quae tum in Occidente tum in Oriente viguit, ut liceret monasteria regia concredere tuitioni ; atque tunc ferme cessabat episcopalis jurisdictio, aut certe sine consensu regio omnino erat vinculata. Hic autem locus esse videtur, ut de his sermonem faciamus, quum nonnihil de privilegiis episcopalibus participent.

Ut autem hanc disciplinae ecclesiasticae partem manifestam faciamus, juverit pauca exempla referre. Imprimis, quum S. Radegundis, Regina et Abbatissa Pictavensis, rogasset Meroveo, Pictavensi Episcopo, ut solemni pompa Reliquias S. Crucis, ex Oriente acceptas, conderet et repulsam passa esset, a Rege Sigeberto obtinuit ut id a Turonensi Praesule fieret. Hinc irae Merovei, quas frustra sedare studuit sancta Abbatissa. Denique, Arelatem profecta atque hinc cum Regula S. Caesarii redux, *Regis tuitione se muniit,* quia in illo, qui pastor esse debuerat, nullam curam defensionis suae poterat recipere. Post obitum S. Radegundis, petiit nova Abbatissa ut denuo ipsa suaeque moniales sub Sacerdotis sui (Episcopi) potestate degerent. « Quod ille, quum primum respuere voluisset, consilio servorum Dei promisit se Patrem earum sicut dignum erat, fieri ; et, ubi necessitas fuisset, suam praebere defensionem. *Unde factum est, ut abiens ad Childebertum Regem praeceptum eliceret, ut ei hoc monasterium, sicut reliquas parochias, regulariter liceret gubernare* (2). » Quibus sane verbis, inquit Mabillonius, S. Gregorius Turonensis coaevus scriptor testatur, id Meroveo antea non licuisse. Atque

(1) Accessiones ad Histor. Cassinens. pag. 91.

(2) S. Gregorius, Turonens. lib. 9, Hist. Francor. cap. 40. D. Bouquet, Recueil des histor. de France tom. 2, pag. 356 et seq.

ic rerum status viginti circiter duravit annos. Hanc Episcopi uctoritatis suspensionem seu vinculationem *singularem prorus privilegii speciem* nuncupat Thomassinus : sed parum liciter; quum indubium sit hanc communem regalium moasteriorum conditionem fuisse, licet ejus origo non satis queat. Similiter Emmo, Episcopus Senonensis, in celeberimo S. Columbae diplomate, anno 658 concesso, profitetur nihil in regali monasterio ordinare posse adeoque ne privigium quidem concedere nisi *cum regali consensu :* « Quamvis nim, inquit (1), in jure possessionis nostrae non sit idem moasterium, nostrae tamen auctoritatis est et canonicae dispenitionis *una cum regali consensu* id ordinandi et hujusmodi rivilegia monasteriis constituendi. » Quodsi Episcopi absque onsensu regio regalibus monasteriis privilegia concedere non ossent, videntur ad ea concedenda obstricti fuisse, quum a ionachis et principibus postularentur. Certe in altera Formula Burgundica, de qua supra jam diximus (2), ita loquitur piscopus (3) : « Dum... nobis jam dicto domno glorioso Regi *lo* opportunum est petere, ut privilegium monachis ibidem abitantibus *deberemus* largiri;... propterea ergo ab hac parte emper Christo propitio directore dirigentes communi voluntate *ille* Episcopus et ceteri consensimus ut in eis privilegium aro animo confirmaremus. » Confirmatur dein monachis onorum omnimoda immunitas, in eligendo Abbate libertas, centia accipiendi a quocumque Praesule episcopalia, Abbatis gligentia aut impotentia a vicinis monachis supplenda incitur, etc. Sed enucleatius jam quaecumque ad hunc rerum atum pertineant explicemus.

Quum monasteria regalia fierent seu constituerentur, dicentur *propria* esse seu in *alodio Regis,* sub regia *defensione, itione, protectione* seu *ditione,* ad *jus* Regis pertinere, aliisve signabantur verbis, non dissimilibus ab appellationibus a mmis Pontificibus adhibitis (4), ut ex innumeris exemplis tet. Praeterea haec in regiam tuitionem susceptio eosdem lgo habebat effectus ac protectio et ditio Pontificis Romani;

(1) Mabillonius, Annales Bened. . 14, num. 63, tom. 1, pag. 412.
(2) Vide supra, pag. 197.
(3) Baluzius, Capitularia Regum, tom. 2, col. 581 et seqq.
(4) Baluzius, Not. ad Opp. B. Lupi Ferrariensis, pag. 353.

unde utraque dicebatur *libertas* (1), et monasterium alterutra fruens nuncupabatur *liberum* (2).

Aliquando quidem, per Capitulare scilicet anni 823 (3), « Abbatibus et laicis specialiter jussum est ut in monasteriis quae ex regia largitate haberent, Episcoporum consilio et documento ea quae ad religionem canonicorum, monachorum sanctimonialium pertinent, peragerent, et eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audirent et obedirent. » Ast certum omnino est haec numquam in usu praevaluisse, quamdiu haec amplioris regiae tuitionis disciplina duravit.

Qui enim sub regia tutela degebant, nequaquam parebant Episcopis, ut liquet e gestis S. Abbonis, exeunte saeculo x, Abbatis Floriacensis. Hic enim sanctissimus vir, « quum paratus esset juxta Apostoli praeceptum subdi etiam omni creaturae propter Deum, intelligens tamen huic loco, quem regebat, posse officere, si Episcopo Aurelianensi Arnulfo modo subjectionis, quos requirebat, *scilicet obedientiae ac reverentia canonicae necnon clientelae* (4), ad ipsius libitum dependeret, id facere in omni sua recusavit vita (5) : » quoniam Floriacense monasterium « *ditioni solummodo parebat regiae* (6). » Plura hujuscemodi exempla omitto.

10. Ad Reges quoque devolvebatur disciplinae regularis cura ut constat ex lege lata a Pippino, Italiae Rege; qua instigante, ut videtur, Carolo Magno, anno 790 constituit, ut « monasteria virorum ac puellarum, tam quae in mundiburdio palatii esse noscuntur, vel etiam in mundio Episcopi vel ceterorum hominum, distringeret unusquisque in cujus mundiburdio sunt, ut regulariter vivant (7). » Quae lex in usu adhuc erat exeunte saeculo x, etiam postquam Hugo Capetus auctoritatem

(1) Epist. 12. B. Lupi Ferrariensis, pag. 32. edit. Baluz. et passim in veteribus monumentis.

(2) Du Cange, Glossar. med. et infim. latinitat. v. *Monasteria libera*.

(3) Capitul. Caroli M. et Ludovici Pii, collect. ab Ansegiso Abb. et Benedicto Lev. lib. 2, cap. 8. Baluzius, Capitular. Reg. Francor. tom. 1, col. 738.

(4) Fulbertus Carnotensis ad Fulconem Aurelianensem, epist. 41 Biblioth. maxima Patrum, tom. 18 pag. 16.

(5) Aimoinus, Vit. S. Abbonis num. 8, Act. SS. Ord. S. Benedict saec. 6, part 1, pag. 42.

(6) Aimoinus, Mirac. S. Benedicti, lib. 1, cap. 19, num. 33. Ac SS. Ord. S. Bened. saec. 4, part. 2 pag. 369 et seq.

(7) Baluzius, Capitularia Reg Francor. tom. 1, col. 546.

am in monasteria plurimum minuisset: adeoque deponebant
ligentes Abbates, immorigeros monachos ejiciebant, in-
ducebant alios novosque constituebant praepositos, quin
m haec sua monasteria aliis uniebant, subjiciebantque
ea concredebant emendanda. Quae pluribus exemplis
ifesta sunt. Atque haec frequentissime fiebant absque
scoporum interventu. Alias tamen eorum admittebatur
a : unde in Capitulis Caroli Calvi legitur ipsum in pro-
ias misisse legatos, qui una cum Episcopis et monaste-
um possessoribus, quos ad eamdem quoque sollicitudinem
gebat, vitam et mores monachorum regia vice examina-
cunctaque ad se referrent, ut patet ex secunda Synodo
sionensi (1) et ex Capitulari Compendiensi (2). « Et ne
ius abeamus, inquit Baluzius (3), cui passim consoni
Mabillonius (4), Cangius (5), Juenin (6), Auctores novi
tatus de re diplomatica (7) aliique, exempla petentes e
nquo; hic noster Lupus, ut ipse in epistola LXIII auctor
legatus fuit una cum Heriboldo Episcopo Autisiodorensi
rudentio Tricassino, ut monasteria in regno Caroli con-
ta visitaret. Ea fortassis de causa vir eruditus Fran-
s Florens canonici juris interpretes, praesertim vero
orum Glossae, graviter reprehendit, quod exemptiones a
bus concessas monasteriis ad temporalia tantum porrigi
int, non autem ad spiritualia. Non absimili autem insti-
hodie Pontifex Romanus persaepe delegat visitatores et
nissarios ad noscendos monasteriorum morbos... Et quo-
eo praesidio monasteria indigebant, ut facilius occur-
t contradictionibus sive Episcoporum, sive aliorum quo-
umque, ii qui monasteria de novo fundabant, ea statim
bant sub tuitione ac defensione principum... At principes,
m aliunde summa in hoc erat auctoritas, existimabant
fundatorum institutione sequi seu, *neglectis privilegiis*,

Labbe. Collect. Concilior.
. col. 83 et seqq.
Baluzius. Opp. B. Lupi
ensis. app. Vet. Act. pag.
seqq.
Ibid. Not. ad Lupum Ferrar.
53 et seq.
Ann. Bened. lib. 49. num.
om. 4. pag. 44 et alibi.

5) Glossar. latinit. med. et infim. v. *Monasteria regalia et fiscalia*.
6) Hist. de l'Abbaye de Tournus, tom. 1, pag. 56.
7) Nouveau traité de diplomatique, tom. 4, pag. 585. tom. 5. pag. 108 et seq., etc.

id sibi arrogabant), ut tota monasteriorum illorum dispositio penes ipsos esset, sive in constituendis Abbatibus, sive etiam in ordinandis rebus monasteriorum, monachorumque moribus (*scilicet per missos dominicos* (1)) informandis. Quae causa fuit, ut Abbates illic pro arbitrio constituerent sive ex monastico ordine sive ex laicali. Unde Lotharium et Ludovicum Impp. graviter monuit Synodus Ticinensis habita anno 850 (2) ut idoneis viris monasteria committerent juxta ordinationem fundatorum. » Hactenus Baluzius (3), qui jam antea ostenderat ex vicibus coenobii S. Columbae Senonensis monasteriorum libertatem tum pependisse ex nutu principum, qui eam concedebant, dein vero, si res ita ferret, revocabant pro arbitrio (4). Sic etiam Carolus Magnus monasterium Senoniense in Vosago subdidit ditioni Angelramni, Mettensis Antistitis, successorumque ejus, « qui locus ab initio sui a imperio dependebat (5); » sic Caroli filius, Ludovicus Pius monasterium Glanafolium subjecit monasterio Fossatensi (6); sic Rodulfus Rex monasterium Tutelense subjecit coenobio S. Savini Pictavensis, idque postea ab eo onere liberavit quod ita religioni expedire arbitrabatur (7); sic denum Carolus Calvus monasterium Magniloci prius Arvernensi Episcopo subjecit, dein libertati restituit (8).

11. Inter haec plura esse quae abusum sapiant nemo prudens negabit. Verumtamen, quum usum ipsum probarint plurimi sanctissimi viri et Pontifices, non sane praesumendum est rem ipsam fuisse meram usurpationem potestatis civilis. Sane ex propria auctoritate nullum principibus jus est in sacra; sed ex concessione Pontificum precariam ab quam eis fieri posse potestatem, res manifesta est. Caeterum non ita difficile est reperire nexum spiritualem et hierarchic

(1) Baluzius, Not. ad Lupum, Retr. pag. 497.

(2) Vide plura hujuscemodi Synodorum statuta in opere Card. Norisii, l'Istoria delle investiture, cap. XVI, col. 547 et seqq.

(3) Not. ad Lupum, pag. 353 et seq.

(4) Ibid. pag. 351 et seq.

(5) Richerius Monachus, in Chronico Senoniensi, lib. 2, cap. 1, ap. Dacherium, Spicileg. tom. 2, pa 612, edit. 1723. Cfr. etiam Mabl lonius Annal. Bened. lib. 24, nu 20, tom. 2, pag. 201.

(6) Mabillonius, Annal. Bene lib. 31, num. 5, tom. 2, pag. 519 seq.

(7) Baluzius, Not. ad B. Lupu pag. 352.

(8) Ibid. Retract. pag. 497 seq.

isdictionis nodos, quibus olim impediretur ne monasteria
gia secundum jurisdictionem ecclesiasticam acephala fuisse
antur.

Re quidem vera adhibebantur ad visitanda monasteria
issi dominici, qui vulgo Episcopi, Abbates aut probati
rici erant. Ermoldus nempe Nigellus (1) ita loquentem
lucit Ludovicum Pium Augustum :

« Nunc nunc, o Missi, certis insistite rebus
Atque per imperium currite rite meum.
Canonicumque gregem, sexumque probate virilem,
Femineum necnon, quae pia castra colunt :
Qualis vita, decor, qualis doctrina, modusque
Quantaque religio, quod pietatis opus;
Pastorique gregem quae convenientia jungat,
Ut grex pastorem diligat, ipse ut oves;
Si sibi claustra, domos, potum, tegimenque cibumque
Praelati tribuant tempore, sive loco; etc. »

Verum, licet haec inter alia essent Missorum dominicorum
nera, ultimatim tamen subdita erant monasteria Cancel-
io seu Archicapellano palatii regii, ut tradunt Fleury (2),
oux (3), auctores novi Tractatus de re diplomatica (4),
que, nixi testimonio omni exceptione majori Hincmari (5),
chiepiscopi Remensis, seu potius S. Adelardi Abbatis Cor-
ensis, ex cujus libro *de ordine palatii* excerpta nonnulla
ncmarus inseruit in epistola sua ad Episcopos Galliae de
ta principis institutione.

2. Quum autem Archicapellanus *in dignitatis apice* con-
utus esset; *ecclesiasticorum* haberetur *magister; respon-
s negotiorum ecclesiasticorum* diceretur; *Metropolitanis
que, etiam in synodis, quibus praesidebat, praeferretur; ec-
iasticasque causas in palatio distringeret,* ut videre est apud
uzium (6), Mabillonium (7), Cangium (8) aliosque, multa

) Carmen elegiacum pro Ludo-
Pio, lib. 2, ap. Muratori, tom.
rt. 2 Rerum Italicarum, col. 44.
) Hist. ecclés. lib. 43, num. 23,
9, pag. 348 et seq. edit. 1721.
) Hist. eccl. de la cour de France,
1, pag. 7 et seq.
) Tom. 5, pag. 377 et passim.
) Du Chesne, Scriptt. rer.
cic. tom. 2, pag. 490 et seqq.
et D. Bouquet, Recueil des histo-
riens de France, tom. 9, pag. 265.

(6) Not. ad Lupum Ferrar. 386 et
seq. et pag. 443. Not. ad Capitula-
ria Reg. Francor. tom. 2, col. 738.

(7) De re diplomatica, lib. 2.
cap. 11, num. 10 et seqq. pag. 115
et seq.

(8) Glossar. med. et infim. latinit.
v. *Capellani.*

veterum de hoc munere colligentes testimonia ; nemo no videt fieri non posse ut per totum regnum suum exercer officium, nisi ipse a reliquis Episcopis independens fuisset.

Verum haec suprema adeoque quasi patriarchalis Archie pellani auctoritas legitima esse non poterat absque interven Romani Pontificis. Superest itaque ut aliquot hujus inte ventionis vestigia inquiramus : neque haec omnino desid rantur. Legimus quippe in Actibus Pontificum Cenomane sium Aiglibertum, qui circa annum 680 florebat, *Archicap lanum et principem Episcoporum regni* fuisse, et proin, *ut m Metropolitanorum est, detulisse pallium* (1), quod a solo R mano Pontifice concedi notum est. Ambigi quidem potest cu Mabillonio (2) aliisque, an illo tempore nomen *Archicapella* in usu esset, quin etiam videtur scriptor, qui saeculo IX vixis habetur, secundum morem sui temporis locutus, et loco *batis* dixisse *Archicapellanum* (3) ; sed ipsa res immer vocaretur in dubium.

Utut id est, alia supersunt pontificiae interventionis testim nia. Paulus Papa I scilicet rescripsit ad Pippinum (4) : « Pr celsa christianitas vestra petiit a nobis Georgium Episcopum Petrum presbyterum in vestro permanere servitio nos deb concedere. Et quidem praecellentissima vestra benigni agnoscat nos jam dudum de hoc vestrae obtemperasse vol tati. » Similiter Carolus Magnus suos non instituebat Arc capellanos absque S. Sedis licentia ; de eo enim in Conc Francofordiensi anni 794 legitur (5) : « Dixit Dominus E in eadem Synodo, se a Sede apostolica, id est, *ab Adri Pontifice licentiam habuisse,* ut Angilramnum *Archiepiscop* in suo palatio assidue haberet, propter utilitates ecclesiastic Deprecatus est eamdem Synodum, ut eo modo sicut An ramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum Episcopum hab debuisset : quia et de eodem sicut de Angilramno, *apostolic licentiam habeat.* » Notanda etiam est epistola Caroli C

(1) Mabillonius, Vet. Analect. pag. 276, edit. 1723.

(2) Annal. Bened. lib. 17, num. 14, tom. 1, pag. 517.

(3) Cfr. Oroux, Hist. eccles. de la cour de France, introduct. tom. 1, pag. 36 et seqq.

(4) Codex Carolinus, epist. ap. Cenni, Monum. Dominati pontif. tom. 1, pag. 230, Ro 1760.

(5) D. Bouquet, Recueil des l de France, tom. 5, pag. 631.

Nicolaum Papam : « Quae sedes Metensis, inquit (1), po-
latione avi nostri divae memoriae Caroli Imperatoris *hono-*
ri ab apostolica Sede meruit, et Engelramnus praedecessor
us, summus Capellanus et Apocrisiarius *(id est legatus)*
ostolicae Sedis in istis regionibus aliquando fieret. Et postea
precatione sanctae recordationis Pii Augusti domni et geni-
is nostri excellenti genio a Sede apostolica in praefato
ruo nostro Drogone venerando Episcopo fuerat honorata,
una cum praedicto ministerio et Imperatoris et apostolicae
lis etiam usu pallii potiretur ; » Mettensis nempe Ecclesia
n secus ac Cenomanensis non erat metropolitana. Plura
uscemodi missa facimus; id unum addere satis habentes
icmarum (2), Remensem Archiepiscopum, S. Adelardi
ipta sequentem, originem Archicapellanorum deducere a
ntiis seu Apocrisiariis apostolicis eosque horum successores
ere. Porro ubique fere tum in Oriente tum in Occidente
ibus suis fuisse Archicapellanos, insigni vestitos auctoritate,
notissima est (3).

3. Immensus vero erat numerus abbatiarum et monaste-
rum regalium, ut vel ex sola charta divisionis imperii,
r Carolum II et Ludovicum Germanicum anno 870
ae, manifestum est (4) ; et postea usurpatione vel cessione
tum iste numerus etiam auctus fuit. Adeoque contendit
izius (5) multisque testimoniis comprobare nititur ante
ns saeculum IX omnia Galliae monasteria sub tuitione
ditione regia stetisse. Verumtamen haec mihi aliquan-
er exaggerata sunt, quum facile nonnulla exempla cita-
tur, quibus generale istud assertum limitandum foret.
n Italia quoque ejusdem disciplinae innumera specimina
rrunt (6) ; e multis unum satis erit indicasse, Monaste-
n videlicet Casaurense seu Piscarense, anno 866 a Ludo-
II Imperatore conditum, et quo nullum fere in tota Italia

Labbe, Collect. Concil. tom.
1. 486.

Epist. de recta institutione
ipis. num. 13 et 14. D. Bou-
. Recueil des hist. de France,
9. pag. 264.

Ch. Jos. Caraffa de Capella
. Romae. 1749.

Vide hanc chartam, ap. Pertz, Monum. Germaniae, tom. 1 leg. pag. 517, Hannoverae, 1835.

(5) Not. ad B. Lupum Ferrarien. pag. 373 et seq. et 503 et seq.

(6) Vide integrum fere tractatum de monasteriis Italiae regiis ap. Muratori, Antiquitat. italic. medii aevi, tom. 14, col. 630 et seqq edit. 1787.

olim illustrius erat, « ab origine, ut loquitur Mabillonius (1 uni subjectum fuit Imperatori, nec quidquam juris etiar spiritalis in illud sibi tribuerunt Pinnenses Episcopi ant annum 951, tempore Ilderici Abbatis : quo tempore Joanne Episcopus hoc monasterium Ecclesiae suae vindicare ac sub jicere, sed perperam, molitus est. Nullum tamen a Pontifi Romano immunitatis privilegium Casaurenses petiere an praefecturam Dominici Abbatis, qui a Leone Papa IX d ploma obtinuit, quo se suumque monasterium contra Pinnens Episcopos et quosvis alios tutaretur. Quippe antea id no passuri fuissent Imperatores, rati, quod in Farfensi etiam m nasterio contigit, solam imperialem auctoritatem sufficere jus immunitatis defendendum. » Adeoque in hujus immun tatis signum, Abbas imperiali sceptro ipsius Ludovici pro b culo pastorali utebatur; quem tamen usum, ut tradit Casa rensis chronographus (2), dum monasterium hoc imperia esse desiit, Urbanus II immutavit, et Grimaldo sceptri lo pedum abbatiale tradidit.

Non alia erat in Anglia consuetudo; ut missis vetustiorib chartis, manifestum est ex privilegio, quod Gulielmus Co quaestor, solum inter Christianos principes S. Gregorii V solatium, concessit abbatiae S. Martini de bello (3). Not sunt lites postea motae ab Episcopo dioecesano adversus lib tatem hujus coenobii, et frustranei ejus conatus (4).

Similiter apud Graecos plura monasteria imperialia era eaque nulli Archiepiscoporum vel Episcoporum pareba Cujus rei testem habemus, omni exceptione majore Innocentium Papam III, qui hunc rerum statum confirma Ad Archipiscopum Heracleensem et Episcopos Cardicensem Fermopilensem de hoc argumento in haec scripsit verb « Cum libera monasteria, inquit (5), quae imperialia nun pantur, Graecorum quoque dominio, nulli essent Archiepis porum vel Episcoporum subjecta, praesentium vobis auctorit mandamus quatinus, inquisita et cognita veritate, in mo

(1) Annal. Bened. lib. 36, num. 59, tom. 3, pag. 123.

(2) Chron. Casaur. lib. 3, ap. Dacherium, spicileg. tom. 2, pag. 960, edit. 1723.

(3) Dugdale, Monastic. Anglic. tom. 1, pag. 317.

(4) Cfr. Novum Monastic Anglicanum, tom. 3, pag. 234, L dini, 1821.

(5) Lib. 13, epist. 39, tom pag. 424, edit. Baluzii.

eriis illis regalibus regni Thessalonicensis, quae Graecorum empore Archiepiscopis vel Episcopis subjecta non erant, non ermittatis Archiepiscopos vel Episcopos juris aliquid indeite usurpare, facientes ab eis carrissimae in Christo filiae Iariae quondam Constantinopolitanae Imperatrici illustri, rocuratrici (*loco filii*) regni praedicti, honorificentiam debiim exhiberi, contradictores, appellatione remota, censura cclesiastica compescentes. Si quis autem Archiepiscoporum el Episcoporum aliquid juris in eis sibi vendicare contendet, suam per nos poterit justitiam obtinere. Datum Lateani, etc. » Quae pauca monumenta pro praesentis quaestios elucidatione sufficere posse videntur.

14. Non tamen diffitendum est turbatam aliquando fuisse inc consuetudinem, et ab exeunte saeculo x aliquot Galliae piscopos contendisse, praeter jus et fas Abbates monasterioim non episcopalium omnino a sua jurisdictione immunes esse, eoque eos partim vicisse, partim victos fuisse. In hoc quippe cti fuerunt, quod monasteria, Romana libertate donata, sibi ustra etiam subjicere voluerint (1); in hoc autem vicerunt iod saeculo tandem XII Abbates monasteriorum ingenuorum u regalium adacti fuerint, ut in sua benedictione obedienm Episcopis promitterent (2). Verumtamen quam primum ec lis de regalibus monasteriis ad Pontificem delata est, ultum abest ut Episcopis adjudicata sit causa; contra omno ceciderunt, ut colligitur ex epistola Innocentii II (3) ad enricum II, Anglorum Regem, qui conquestus fuerat de rigone Archiepiscopo Rothomagensi (4), quod *contra consuetudinem* a quibusdam Abbatibus Normanniae, quos *suos* enricus appellabat, *professionem et obedientiam susceperat.* que, subdit Mabillonius (5), novus tunc erat usus iste in ormannia et *contra consuetudinem* inductus nuper in Concii Remensi. Praevaluit tamen tum Romani Pontificis favore, n principum indulgentia, adeoque facilitate quorumdam bbatum Episcoporum auctoritas; et monasteria, quae sub mani Pontificis tuitione non essent, passim debuerunt Epi-

1) Mabillonius, Annal. Bened. t. 4, lib. 49, num. 111, pag. 44.
2) Idem. Praef. ad saec. Bened. part. 1, num. 25, pag. XIII.
3) D'Achery, Spicilegium, tom. 3, pag. 384, edit. 1723.
(4) Ibid. loc. cit.
(5) Praef. ad saec. Bened. 6. part. 1, num. 23. pag. XIII.

scopis obedientiam, censum annuum, quem *jus synodale* seu *circadas* appellabant, procurationes seu jus hospitii, et processiones solemnes, id est jus celebrandi Missas et conventus solemnes in eorum ecclesiis (1); quibus annexae erant benedictiones Abbatum, monachorum ordinationes, consecrationes ecclesiarum et altarium, necnon chrismatis concessio (2).

15. Prisca tamen consuetudo saeculo elapso nondum omnino ex Ecclesia Latina sublata erat; siquidem anno 1756 Venetorum Dux in monialium monasterium, vulgo *della Vergine* nuncupatum, jurisdictionem adhuc retinebat; unde, si quae apud moniales corrigenda occurrerent, excluso Patriarcha, cui in easdem jus nullum erat, ad solum Ducem causa spectabat (3).

Demum olim in pristina universitate Lovaniensi, praesidi professore Juris Canonici, sequentem thesim defensam reperimus : « Qui loca hujusmodi (hospitalia, monasteria, aliaque loca pia) curae, jurisdictioni ac visitationi Episcoporum vu subducere, debet docere de exemptione, et quidem in limin fundationis, ut novissime cavit Concil. Trid. *cap.* 8 *et* 9 *sess.* 2 *de reformatione, nisi immediate exsistant sub protectione regia quo casu multi docent per Trid. d. cap.* 8 *exempta esse a juri dictione Episcopi :* IN QUO SUBSISTO. » Atque haec legere est i « Disputatione de sacris et eorum immunitatibus quam su auspiciis clarissimi et amplissimi viri D. D. Ignatii Francis De La Hamayde J. U. Doct. et profess. primarii defendet per illustris D. Carolus Josephus Lotharius L. B. Schenk Schmitberg, metropolitanarum Ecclesiarum Moguntinae et Tr virensis canonicus, Lovanii XX Decembris anni MDCXCI (4). Sed postmodum, ni fallor, aliter interpretata est sacra Concilii Congregatio dictum Tridentinae Synodi caput.

16. Operae pretium est hic addere quid sanctissimi viri iique Abbates, de hac regiae tuitionis disciplina sentirent. U autem ea non recoquamus quae jam supra de S. Abbone Fle riacensi retulimus (5), aliaque quae de hoc argumento praefatione ad partem I saeculi VI congessit Mabillonius, juv rit recitare responsum S. Lantberti, Abbatis Fontanellensi

(1) Ibid. num. 31, pag. XVI.
(2) Ibid. loc. cit.
(3) Calmet, Comm. in Regulam S. Benedicti, edit. latin. anni 1750, tom. 1, praefat. pag. XXVI.
(4) Tit. 3, de episc. dubium pag. 51 et seq.
(5) Vide supra, pag. 202.

legatos Pascharii Episcopi Namnetensis, qui eum circa an-
m 675 (1) convenerunt, postulaturi monachos qui coeno-
ım in dioecesi Namnetensi fundarent. In hac autem verba
rvavit nobis S. Lantberti responsum biographus S. Herme-
ıdi, qui tunc Namnetas a S. Lantberto missus fuit : « Vota
idem, filii carissimi, inquit sanctus Fontanellensis Abbas (2),
squarii Episcopi ejusque sancti gregis constat, sicuti divi-
tus inspirata, sanctissima recolere devotione; atque ideo ut
rticeps tanti voti esse merear, licet magno destituar solatio,
titionem a nostra parvitate postulatam per carissimum mihi
nc Fratrem Hermenlandum aliis cum eo Fratribus perficere
ıderem, si certissime nossem ab eo ita coenobium institui,
futuris temporibus Fratres in eo constituri, quantum ab eo
ari potest, nullius infestatione turbarentur... *Temporibus*
idem ejus fortassis optata uti pace valebunt : post obitum
o ejus, si ipsum coenobium sub dominio sui successoris reli-
erit, magnis (sicuti in nonnullis coenobiis actum esse compe-
ius) cupididatis instinctu pravorum turbabuntur inquietu-
ibus, ita ut necessitas eos inde exire compellat, errabundos
cumquaque vagari cogat. Mihi vero, si ita evenerit, qui
nmissos illuc dirigo monachos, multum incumbet periculi,
que nihil augebitur mercedis. Si autem perpetuae retribu-
nis intuitu monasterium aedificare desiderat, *hortor ut*
alibus eum manibus tuendum committat, et ut Regis clemen-
talem praeceptionem facere dignetur, ut nulla alia potestas
ligno instigata spiritu, omni dominationis occasione sublata,
testiam habitantibus in eo ingerere audeat : quatenus regali
ensi praesidio, pro ejus totiusque sui regni perpetua pace
ere, remota pravorum impulsione, Christi interpellent
mentiam. Noli, inquiunt *nuntii Pascharii*, noli cunctari
bus suspicionibus, Pater. Nam certissime de bonitate Pa-
s nostri Pasquarii confidere potes, quia juxta tui oris impe-
m omnem hujus operis causam, Domino juvante, perfi-
i. » Atque secundum haec deinde actum est et fundatum
trense monasterium.

17. Verum experientia postea docuit hanc regiam ca-

1) Mabillonius, Annal. Bened. num. 9, Acta SS. Ord. S. Benedicti,
16, num. 51, tom. 1, pag. 485. saec. 3. part. 1, pag. 387.
2) Vit. S. Hermelandi, cap. 2,

ptare tuititionem idem esse ac Scyllam vitare ut incidatu in Charybdim. Quod Richerius, Senoniensis monachus saeculi XIII scriptor, in sui monasterii Chronico satis apte de clarat. Hic enim, postquam narrasset quomodo tempore Ar gelramni, Mettensis Episcopi regiique Archicapellani seu Ca cellarii, Senoniense monasterium penes Episcopos Mettens factum esset, « eo jure quo et Imperatores a primo tenueran perpetualiter concessum; » subdit : « *Unde iste noster loc Episcopis Mettensibus huc usque subjectus esse noscitur... M nachi vero, qui a tanto honore, imo melius dicendum onere, descendisse videbant, gravissime tulerunt.* Non enim consid rabant, quod *sicut et aliae circumjacentes ecclesiae oppressio imperiali saepius terebantur et deficiebant, tum pro armatori cuneis in expeditione mittendis, tum quia ab inimicis imper crudeliter vexabantur, et non erat qui adjuvaret,* quia et Im perator multoties aberat, et ecclesiae ab inimicis erui n poterant. Vano igitur dolore consumebantur. *Certe si ab il temporibus ista omnia monasteria in hac parte Vosagi s adhuc imperii essent, jam lapis super lapidem non remans set.* » Ita Richerius; in cujus verba pauca videntur anima vertenda. Habemus imprimis hic exemplum, quo constet sa culo IX non omnino omnia monasteria regia fuisse facta; d monasterium istud Episcopo Mettensi *eo jure* concessum e *quo et Imperatores a primo tenuerant,* id est, ut inferius Rich rius tradit, ut Abbates non sine Mettensis Praesulis consen eligerentur (1) et ut ab Episcopo Mettensi temporalia, ab ip vero Episcopo Tullensi, in cujus dioecesi tunc situm erat co nobium, spiritualia reciperent (2), id est benedictionem abb tialem, ordines et chrisma ; ast, si ad resarciendam disciplina extraneum auxilium necessarium videretur, non adibat Tullensis Episcopus, sed Mettensis, ut liquet ex coenobii refo matione, peracta tempore Ramberti Abbatis (3). Demum ab sus, quos notat Richerius, potius infra veritatem quam exa gerati sunt. Nam ut mittam, quod superius ex Baluzio j intelleximus, passim Reges principesque propter suum tuiti nis jus electionem seu potius constitutionem Abbatum, spre

(1) Chron. Senoniense, lib. 2, cap. 2, 4, 24, etc. Spicileg. Dacheri, tom. 2, pag. 612, 613, 619.

(2) Ibid. lib. 2, cap. 4, et pag. 613 et 618.

(3) Ibid. lib. 2, cap. 18. pag. 6

onastica regula et privilegiis, sibi arrogasse, interdum
iidem consensum relinquentes monachis (1), saepe vero
inc prorsus negligentes; passim imitati sunt Episcopos Hi-
panos, in quos tam graviter animadversum a Concilio Tole-
no alibi (2) vidimus; adeoque, si fieri possit, longius pro-
ressi, monasteriis praefecerunt milites, qui cum uxore et
beris inter medios monachos habitarent (3). Insuper inter
gia monasteria plurima erant (ut videre licet in Notitia (4),
ino 817 in Synodo seu Conventu Aquisgranensi confecta,
iae tamen non omnia capit monasteria, quae ad bellicas
peditiones participandas saepius adacta fuerunt); plurima,
quam, erant, que non tantum orationibus et donis, verum
iam militia Reges aliosque principes juvare deberent; unde
nnumquam castra potius quam loca pia fierent asceteria.
ium autem Abbates ipsi non secus ac Episcopi adigerentur
militares suos cuneos in bellum deducendos (5), et quum
si etiam monachi ad militaria merenda stipendia cogeren-
r (6), quot quantaque mala ex ejuscemodi rerum conditione
irentur et quam misere temporalia monasterii bona dilapi-
rentur, luctuosissime patefaciunt vel soli Casus Monasterii
ervensis (7).

Quocirca haec attulimus, non sane ut ea laudaremus,
l ut lectori manifestum faceremus, quam a vero abludat
D. Verhoeven, dum aestimat Episcopos plena fere potestate
monasteria usos fuisse priscis temporibus; et simul ut viam
rneremus ad ea quae modo de libertate Romana, quam vo-
nt, dicenda sunt. Nam si Ecclesia permisit, ut principes sae-
lares tantopere impedire possent Episcoporum in monaste-
auctoritatem; quid mirum, si Pontifices pro *ordinaria* sua

1) Baluzius, Not. ad B. Lupum rrariensem, 387 et seq. 177.

2) Vide supra, pag. 177.

3) Norisius in Istoria delle inves-ire, pag. 579 et seqq. et innu-rii alii.

4) Sirmundus, tom. 3, Concil. lliae; Chesnius, Scriptt. rer. ncic. cit. a Baluzio in Not. ad pum Ferrar. pag. 383. Vide ndem Notitiam notis instructam ap. Mabillonium, Ann. Benedl. lib. 28, num. 64, tom. 2, pag. 407 et seqq. Item. ap. Baluzium Capitul. Reg. Francor. tom. 1, col. 589 et seqq. et tom. 2, col. 1092 et seqq.

(5) Cfr. epist. 32 B. Lupi Ferrariensis, pag. 66.

(6) Casus Monaster. Dervensis, Act. SS. ad 16 Octob. pag. 1019.

(7) Ibid. pag. 1021. Cfr. insuper cit. epist. B. Lupi.

in universam Ecclesiam potestate (1) Episcoporum jurisdictionem, ubi id utile censebant, inter certos limites constrinxerint, sibique aliquot hominum coetus immediate subjecerint. Quod caeterum per canones Carthaginenses et vetustissimam Ecclesiae disciplinam absque ullius injuria eis licebat.

(1) Concil. Lateran IV, can. 5.

CAPUT NONUM.

DE PRIVILEGIIS, QUAE PONTIFICES ROMANI USQUE AD SAECULUM XI CONCESSERUNT.

1. *Privilegia, quae Pontifices Romani usque ad saeculum* X *concesserunt monasteriis, ad nihil fere reducit R. D. Verhoeven.*
2. *Redarguitur ope privilegiorum S. Hormisdae et Vigilii qui ineunte saeculo* VI *pontificatum obtinuerunt.*
3. *Item ope privilegiorum S. Gregorii Magni.*
4. *Item ope privilegii Bobiensis, concessi a Theodoro Papa, e Lutrensis, quod S. Deicolus consecutus est.*
5. *Joannes IV circa annum* 640, *praeter omnimodam libertatem, pluribus coenobiis concedit licentiam accipiendi quolibet Episcopo quae sunt ordinis episcopalis.*
6. *Quatuor dein Pontifices nulla privilegia concessisse videntur : hinc intelligitur quare Adeodatus dixerit* morem atque traditionem plus non suppetere.
7. *Anno* 680 *S. Agatho insigne privilegium concedit monasterio Petroburgensi in Anglia.*
8. *Referuntur aliquot pontificiae Formulae plenariae exemptionis, ad iniens saeculum* VIII *pertinentes.*
9. *Saepius hae Formulae adhibitae fuere.*
10. *Anno* 742 *omnia per totum orbem terrarum Casinensia monasteria territoria exempta fiunt, et nanciscuntur privilegia quibus nunc nulli Ordines gaudent.*

. *Constructa et construenda per Galliam S. Dionysii monasteria anno* 757 *consequuntur maxime insignia privilegia. Plura coenobia Episcopum proprium habent.*
2. *Anno* 800 *Centulense coenobium fit territorium exemptum. Exemptio Corbejae Veteris.*
3. *Plures Pontifices accuratius indicant verba, quae plenariam exemptionem designent.*
4. *Olim monasteria, sub protectione Sanctae Sedis posita et censum solventia, erant aeque exempta ac monasteria sub ditione S. Petri collocata.*
. *Enumerantur plura monasteria, libertate Romana donata et censum solventia.*
. *Cluniacum et triginta octo ei subjecta monasteria eadem libertate fruuntur et sacros ordines a quolibet Episcopo accipere possunt.*
. *Enumerantur plura alia monasteria censuaria et plena libertate donata.*
. *Quam varius esset ille census. Novus catalogus monasteriorum plene liberorum.*
. *Territorium exemptum Bisuldunense.*
. *Limitationes, quas privilegiis apposuit R. D. Verhoeven, aperte cum historicis monumentis pugnant.*
. *Valde infeliciter tradidit usque ad saeculum* XI *exemptionem in susceptione eorum, quae sunt ordinis episcopalis, non fuisse concessam.*
Non melius asseruit criminalia Abbatum judicia Episcopis reservata fuisse.
Aeque perperam adstruxit monachos Episcopis subfuisse in tuitione privilegiorum.
Eadem placita jam pridem in Febronio refutavit Zaccaria.

1. Hinc itaque delabimur ad alteram partem numeri III, § III, . I, R. D. Professoris, quae de privilegiis pontificalibus est. Haec eadem privilegia, inquit (1), iis temporibus a Summis m Pontificibus fuere concessa, vel petentibus ipsis Epipis dioecesanis, vel rogantibus monasteriorum fundatori-, qui ex observantia in Sedem apostolicam, vel ad praeca-

) Pag. 26.

venda etiam incommoda ex mala agendi ratione quorumdam Episcoporum monasteriis aliquando illata, vel aliis etiam ex causis mallent, ut certis in rebus monachi monasterii a se fundati immediate Sedi apostolicae potius quam Episcoporum potestati prorsus essent subjecti.

» Attamen (sic concludit, hactenus dicta restringens), per indulgentiam hujusmodi privilegiorum episcopalis in monachos jurisdictio non omnino cessabat; in iis enim quae ad ordines, oleum, chrisma, dedicationes ecclesiarum, consecrationes altarium, criminalia Abbatum judicia, et ipsas exemptionum tuendarum causas pertinebant, episcopali jurisdictioni adhuc continuo suberant. »

2. Ut autem intelligatur nihil ex his stare posse et simul ut corroborentur quae superius raptim tantum de pontificiis privilegiis saeculo VI et VII conditis retulimus, ab exordio repetamus horum diplomatum historiam.

Superius jam meminimus duorum privilegiorum, quorum alterum Arelatensi monialium, alterum Divionensi ad Episcoporum S. Caesarii et S. Gregorii petitionem concessit S. Hormisdas Papa. Vigilius, qui 14 annis (1) post S. Hormisdam anno nempe 536, apostolicam Sedem legitime conscendit, a petitionem Childeberti Regis concessit Arelatensi virorum S. Petri monasterio « privilegia quaedam tam in dispositione rerum quam in ordinatione Abbatis; » quae licet excideris et eorum memoria epistola tantum S. Gregorii Magni (2) eadem confirmantis, fuerit servata, plures tamen ab Episcopo jurisdictione exemptiones cepisse Mabillonio (3) videntur adeoque sagacissimus hic antiquitatis sacrae scriptor probabile habet his temporibus « exemptiones a jure spiritali Episcoporum consecutam fuisse ex temporali immunitate, tam quam effectum a sua radice (4). » Et de hoc ipso Vigilii rescripto et nonnullis S. Gregorii Magni agens, ita disserit (5) « Privilegium a Vigilio concessum monasterio Arelaten

(1) Propyl. Maji, pag. *82.

(2) Lib. 9, epist. 111, ad Virgilium Episc. Arelatensem, tom. 2 Opp. col. 1018 et seq.

(3) Annal. Bened. lib. 9, num. 28, tom. 1, pag. 231.

(4) De re diplomatica, lib. 1, cap. 3, num. 11, pag. 14. Videntur hanc etiam sequi ex argumentis, quae Petrus Abbas in Concilio Carthaginensi anni 525 evolvit. Vide supra pag. 164 et seqq.

(5) De re diplomatica, lib. 1, cap. 3, num. 11, pag. 15.

uod etiam de aliis in Brunechildis gratiam a Gregorio scri-
s dicendum est) ejus erat generis, ut non solum regiam sed
am pontificiam auctoritatem exigeret. Atqui exemptio a jure
nporali Episcopi pertinebat ad Childebertum Regem, qui
ie Vigilium Papam non adiisset privilegii gratia, nisi mona-
rium Arelatense a jurisdictione Episcopi eximere voluisset :
i si id ipsum pro monasterio Arelatensi a Pontifice Romano
stulavit, quod ipse obtinuit a Patribus Concilii Aurelianen-
quinti pro xenodochio Lugdunensi, in cujus res ac posses-
nes nihil Lugdunensi Antistiti licere voluit. » Quae dein
nfirmat ex Recapitulatione Regulae S. Caesarii, quam nos
ɔi citavimus (1).

3. Ut ex Mabillonii verbis intelligere fuit, concessit S. Gre-
ius Magnus nonnulla privilegia monasterio et xenodochio
gustodunensi. Haec quidem saepius impetita fuere; ast ita
egie ea defendit Mabillonius (2), editores operum S. Gre-
ii (3), scriptores novi Tractatus de re diplomatica (4),
que, ut ne dubitem quin ea integra relicturus sit R. D. Ver-
ven. In epistola (5) itaque ad Senatorem, Presbyterum et
ɔatem xenodochii, a Syagrio Episcopo Augustodunensi et
nechildi regina constructi, praecipit imprimis ut bona om-
o semper integra maneant; ut is sit Abbas, quem Rex con-
su monachorum designaverit; ut Episcopus gratis peragat
e sunt episcopalis ordinis; ut ne Abbas deponatur nisi ex
cordi sententia sex Episcoporum, cum Ordinario loci judi-
tium; ut, si Abbas creetur Episcopus, prius deponat Ab-
s munus; ne ulli monachi ad sacros ordines promoveantur
que licentia Abbatis : quae omnia sub gravissimis poenis
uuntur.

n epistola (6) vero ad Thalassiam, Abbatissam monasterii
Mariae, similiter a Syagrio fundati, eadem omnino sta-
ntur. Atque duplex hoc praeceptum dedit S. Gregorius
ta scripta Brunichildis ac nepotis ipsius Theoderici, nulla
nino de Episcopi Augustodunensis consensu facta mentione.

) Vide supra, pag. 194.
) De re diplomat. lib. 1, cap. 3,
. 7, pag. 13 et seq.
) Tom. 2 Opp. col. 1221 et
..

(4) Tom. 5, pag. 122.
(5) Lib. XIII, epist. 8, tom. 2 Opp. col. 1221 et seqq.
(6) Lib. XIII, epist. 9, tom. 2 Opp. col. 1223 et seq.

Scripsit insuper ad eosdem principes de his privilegiis (1 nequaquam vero ad Praesulem Syagrium.

Idem concessit Luminoso, Abbati monasterii S. Thomae Arimino, amplissimum privilegium, quod Decreto Gratiani (2 insertum fuit, Castorio Episcopo ejusque successoribu « *illa videlicet juridictione relicta, ut in defuncti Abba locum alium, quem dignum communis consensus congregation elegerit, debeat ordinare* (3), » seu benedicere; et in alia eumdem Castorium epistola (4) ita statuit, ut Castori ejusque successores, seu Ariminensis « *Ecclesia suo tantur modo jure sit contenta,* (nempe ordinandi Abbatem electum *et monasterium illud nulli ulterius alii quam generali canon caeve jurisdictioni deserviat;* » seu ut vetus editio habe *Nulli alterius aliqua ratione generali canonicaeve jurisdictio deserviat.* Hunc vero, quem intendimus, subjicit ad ha Mabillonius (5), earum epistolarum esse sensum existima Cardinalis Antonius Carafa, quin in indice a se concinnato Gregorii epistolas ita rem exprimit in articulo de regularibu *Privilegium a jurisdictione Episcopi omnino eximit, praet quam in Abbatis ordinatione* (6), subnotatque duas, qu modo commemoravimus, epistolas. Animadvertere velit lect has duas epistolas a S. Gregorio scriptas fuisse, non ad petiti nem et consensum Ariminensis Episcopi, sed ad querelas Abb tis Luminosi de gravaminibus monasterio ab Episcopo illat Demum ad petitionem Dynamii et Aurelianae fundatorum, n vero Episcopi, decrevit in epistola (7) ad Respectam, Abbatiss Massiliensis S. Cassiani parthenonis, ut Episcopus nec eccles sticorum quisquam ullam haberet potestatem in dispositio monasterii; attamen in correctione culparum jus Episcopi i tegrum servat. Atque hic denuo nulla de Episcopi consensu mentio : quae etiam non facta est in exemptionis Classitar diplomate, quod alibi jam referendum fuit (8), imo exordit ducitur a querelis de Ravennatensis Praesulis molestia.

(1) Lib. XIII, epist. 6, et 7, tom. 2 Opp. col. 1218 et seqq.

(2) Caus. 18, quaest. 2, can. *Luminoso.*

(3) Lib. 2, epist. 42, tom. 2 Opp. col. 604 et seq.

(4) Lib. 2, epist. 41, tom. 2 Opp. col. 602 et seq.

(5) De re diplomat. lib. 1, cap num. 7, pag. 13.

(6) Opp. S. Gregorii, tom. 2, 1413.

(7) Lib. 7. epist. 12, tom. 2 O col. 858 et seq.

(8) Vide supra, pag. 111.

4. Recitanda hic jam foret tota historia controversiae de bertate Bobiensis monasterii, prout eam retulit scriptor ieluctabilis auctoritatis Jonas, monachus Bobiensis, qui ipse ac de causa cum S. Bertulfo Honorium Papam anno 628 (1) liit. Sed ne prolixior sim, ex Mabillonio exhibeo synopsim ujus historiae, quam lector integram legere poterit in Vita Bertulfi (2), conscripta ab ejus socio Jona. « A Bobiensi onasterio, inquit Mabillonius (3), demonstrandum aggre-or, privilegia immunitatis monasteriis a Romano Pontifice m inde a saeculo VII indulta fuisse. Ut enim Theodori Papae ivilegium hoc loco dissimulem, manifesta est hac de re aucto-as Jonae, monachi Bobiensis in Actis Sancti Bertulfi ejusdem ci Abbatis; qui Bertulfus a Dertonensi Episcopo de immu-tate sua agitatus, et ad Ariowaldi Langobardorum Regis dicium provocatus est. Sed, quum Rex, tametsi Arianus, n suum esse diceret Sacerdotum causas discernere; cum gio supplemento praedictus Abbas accessit ad Honorium pam : qui, examinata Bertulfi causa, ipsi *praebuit optatum inus; privilegia Sedis apostolicae largitus est; quatenus llus Episcoporum in praefato coenobio quolibet jure domi-ri conaretur.* Hunc vero esse istius privilegii sensum patet ex ro de miraculis sancti Columbani sub initio saeculi decimi ipto, in cujus capite XXIII fuse commemorantur ea, quae tinent ad ejus loci privilegia, in his, quod cuiquam Epi-po nulla sit licentia, *sub obtentu reprehensionis,* aliquam monasterio ostendere potestatem; sed ejus capiti, id est li apostolicae. Deinde eadem privilegia « contradicunt etiam Praesulibus, maximeque sanctae Terdonensis Ecclesiae itque Placentinae, quae viciniores esse videntur, *ut nullus inquam praedictum monasterium, vel quae ad ipsum per-inent, a sancta Sede apostolica subtrahere et suae dioecesi ubjugare appetat : sed et libertate secundum concessionem postolicam, nullique subjectum, nisi sanctae Sedi aposto-icae* (4). » Haec aliaque continebantur in privilegiis Ho-ii, Theodori, Martini, Sergii, Gregorii, Zachariae et rum, ut testatur praedictus anonymus : cujus testimonio

(1) Mabillonius, Annal. Bened. 12, num. 7, tom. 1, pag. 315.
(2) Acta SS. Ord. S. Bened. 2, pag. 161.
(3) De re diplomatica, lib. 1 cap. 3, num. 6. pag. 12 et seq.
(4) Acta SS. Ord. S. Benedicti, saecul. 2, pag. 50 et seq.

nihil signantius afferri potest, maxime cum ejus tempor authentica privilegia coram Hugone Rege lecta, approbata e recognita sint. » Hactenus Mabillonius.

Ad haec animadvertimus : primo, Honorium non largitur esse Bobiensibus privilegia, consentiente Episcopo Dertonens sed obstante adeoque Regis Ariani auxilium adversus Bo bienses frustra implorante ; secundo, litem inter Dertonense Praesulem et Bobienses monachos ortam fuisse ex eo, quo ille, quemadmodum habet testis oculatus Jonas (1), « ut sub jectum sibi praefatum Abbatem cum coenobii supplemen faceret, omni vi intendebat ; » tertio, notabile esse responsu Regis, quod (quum id memoria dignum judicarit Jonas) j commune horum temporum indigitare videtur, scilicet Dert nensis Antistitis fautoribus « probandum esse ecclesiasti jure, utrum coenobia procul ab urbibus ita episcopali debea ministrare dominio (2). »

Verisimiliter jam pridem ante S. Bertulfum Romana Sedem adierat S. Deicolus, Abbas Lutrensis, qui anno 6 obiisse videtur (3). Refert scilicet ejus biographus, saeculi scriptor, eum ad limina Apostolorum perrexisse et *Apostol rum principi firma traditione delegasse* duo oratoria princi bus Apostolorum constructa, suumque Lutrense monas rium, praediis quam optimis et fiscis regalibus dotata ; « videlicet tenore, ut successores mei, inquit sanctus Abb qui amodo et deinceps ipsum disciplinabiliter gubernatu sint locum, *annis singulis huic praesentiae apostolicae censu deferant decem solidos argenti.* Patratis autem omnib pro quibus perrexerat, juxta firmae petitionis ratione accepit chartam apostolica auctoritate sigillatam, ut quamd mundus steterit, ejusdem loci Abbas, qui secundum electi nem Fratrum ibi commorantium ordinatus fuerit, in omnib habeat liberum arbitrium disponendi quae Dei sunt absq ullius contradictione (4). » Quae quum scripsit biograph anonymus, sane sub oculis habuit sui monasterii privileg

5. Tria amplissima privilegia, concessa a Joanne Papa qui ab anno 640 ad 642 S. Petri Sedem occupavit, nobis n invidit temporum vetustas. In primo, concesso coenol

(1) Ibid. pag. 161.
(2) Ibid. loc. cit.
(3) Ibid. pag. 108.
(4) Ibid. pag, 107 et seq.

eatae Mariae et S. Columbae et ad omnes Episcopos Galliae
recto, post alia multa, quibus Episcoporum jurisdictio tollitur,
iec de correctione monialium leguntur (1) : « Si autem, quod
on optamus, monachae, in eodem monasterio constitutae,
pide in Dei amore aut institutis Patrum (*versentur*), *ab*
bbatissa, ut est mater monasterii, *corrigantur.* Et, si in
ave facinore inventae fuerint, in secretiore cellula retru-
ntur, quoad usque culpas suas Deo satisfaciant in gemitu et
ctu ac lamentatione. Si autem et ipsa Abbatissa in torpore
egligentiae (*contra*) instituta Patrum fuerit (quod absit)
prehensa, et in aliquam vel sinistram partem inclinata,
Sede apostolica, SUB CUJUS DITIONE CONSISTIT, *statuimus corri-*
nda. Nec enim cuidam Episcopo damus licentiam sub
tentu reprehensionis aliqua in monasterio praedicto suam
tendere ditionem aut potestatem, sed ejus capitis, id est
ostolicae Sedis, esse praecipimus. Si certo zelo Dei instinctu
tatis innitetur, suis epistolis debebit suggerere, ut quid Pon-
ici Romanae Ecclesiae apostolicae Sedis placuerit juxta suam
udentiam ac discretionem provideat disponendum. Quo facto
nc inreprehensibiliores videantur exsistere. » Luxoviense
ivilegium (2), itidem a Joanne IV porrectum, similiter
rrectionem monachorum Abbati, Abbatis vero sanctae Sedi
ervat, ne mentione quidem habita de criminum delatione
Episcopo ad Romanum Pontificem facienda. In hoc poste-
ri diplomate Episcopo dioecesano reservatur tantum bene-
tio Abbatis; in altero autem statuitur liberum esse Abba-
iae, hanc, non secus ac benedictionem monialium, a quovis
) libitu recipere; ast in utroque decernitur ut *chrisma vel*
idquid ad sacra mysteria pertinet, a quo sancto Sacerdote seu
iscopo *Abbatissa vel Abbas praeviderit* postulandum, *modis*
nibus annuendum seu largiendum sit : ita ut in uno nullum,
altero quasi nullum Episcopo dioecesano relictum sit jus
rituale. Advertendum autem est haec non ut nova aut
udita concedi, sed in utroque aperte dici contrarium :
Nec enim, inquit Joannes IV, *nova* postulantium vel indul-
tium est auctoritas privilegii largiendi, *dum profecto cuncti*
ro apostolicae Sedis Praesules, non solum sub ditione nostra

1) Mabillonius, Annal. Bened. . 2, num. 17, tom. 1, pag. 635.

(2) Ibid. app. num. 18, tom. 1, pag. 635.

constitutis, sed etiam in caeteris longe regionibus postulata semper indulgenda sanxerunt, praesertim in regno Francorum : dum profecto cuncti usque ad fines terrae et Oceani terminum sub beati Petri Apostolorum principis ditione consistunt : et oportet omnes omnino medullitus obedire quae per beati Petri auctoritatem apostolica Sedes postulat dinoscitur indulgere. » Insuper haec privilegia non ad petitionem seu consensum Episcoporum, qui contra monentu ut ea obedienter observent, concessa fuerunt; sed prius a preces Regis Clodovaei, posterius ad ejusdem Regis e S. Wandelberti et Luxoviensium monachorum efflagitatio nem. Demum idem Pontifex, ut liquet ex exemplaribu interpolatis, quibus usus est Calmetus (1) et ex exemplar Dervensi adhibito a Mabillonio (2), collatis cum Vita prolixio S. Romarici, Abbatis Habendensis (3), simile omnino privile gium concessit monasterio Habendensi seu S. Romarici.

6. A Theodoro I et S. Martino I, qui continentur in Petri Sed successerunt Joanni IV, privilegia Bobiensia tantummodo co firmata reperio (4), nulla vero nova concessa. Re quidem ver adscribuntur Martino I Privilegia S. Petri Gandensis et S. Aman Elnonensis; sed haec sacculo x fabricata fuisse ostendit Brequ gny (5), et jam anno 1655 in lite mota de immunitate inte Tornacensem Episcopum et Abbatem Elnonensem, re di agitata, hic causa cecidit (6). S. Eugenius I, qui dein venit, ferte privilegium immunitatis concessisse monasterio S. Mauri in Valesia ; sed huic substituendus videtur Eugenius II (7 Demum sub nomine Vitaliani, in apostolica Sede successori circumfertur Stabulense privilegium, quod auctoritate su munire non videtur Mabillonius (8), neque scriptores Galli Christianae novae (9); insuper omittunt quaedam huic d plomati inserta, quae aperte ostendunt istud apocryphu

(1) Hist. de Lorraine, tom. 2 Append. LXXI et seqq. Nancy, 1748.

(2) Annales Benedict. tom. 1, app. 2, num. 28, observat. pag. 635,

(3) Act. SS. Ord. S. Bened. saec. II, pag. 418.

(4) Vide supra, pag. 219.

(5) Diplomata, etc. ad res Francicas spectantia, prolegomena, pag. LXX.

(6) Miraeus, Donationes Belgica tom. 1, pag. 334, edit. Foppens.

(7) Brequigny, Diplomata, et prolegom. pag. LXXI.

(8) Annal. Benedict. lib. 1 num. 20, tom. 1, pag. 428.

(9) Gallia Christiana nova, to 3, col. 940.

e. De qua re conferri potest Josephus Ghesquière (1). Quoniam itaque duo Pontifices leguntur solummodo conmasse privilegia, duo vero nulla concessise, hinc intelligitur o pacto Adeodatus, qui immediate eis successit, recte dixe- : « *Mos atque traditio sanctae nostrae Ecclesiae plus* (amus) *non suppetit a regimine episcopalis providentiae religiosa a secernere* (2). » Adeoque, quum Pontifices usque ad nnem IV plurima sub immediatam suam ditionem recesent coenobia, primitus episcopali jurisdictioni subdita, ue vulgo ad petitionem Regum et Abbatum absque ullo aesulum consensu, indubium videtur nonnullos ex his erelas adversus hunc usum effudisse apud Pontifices ; unde num fit quare pristinus mos atque traditio sanctae Roma- Ecclesiae cessasset.

7. S. Agatho, qui, interposito Dono, successit Adeodato Pa-, maxime insigne privilegium, quod multum laudant scriptonovi Tractatus de re diplomatica (3), condidit anno 680 in icilio CXXV Episcoporum. Per id enim ad preces Ethelredi, gis Merciorum, et nonnullorum ejusdem regionis Praesulum icessit monasterio Medeshamstedensi seu Petroburgensi, jam *rtate regia* adornato, ut haec Ecclesia, « sicut regia auritate regia, ita apostolica confirmatione sit *apostolica*... iscopus quoque dioeceseos non typo praelationis sed officio itatis huic se impendat, *Abbatemque ipsius acsi Romanum ttum et comministrum Evangelii habeat, et secundum sibi um aestimet, non subjectum. Nullum vero potentatum in hoc nasterio praeripiat, nec ordinationem ibi nec quodlibet offim sine Abbatis favore arroget, sed neque ab ipsius intimis et uliaribus locis aut parochiis vel in omni privilegio ipsius, is quicquam praeter Abbatis assensum accipiat vel faciat*... autem electus ab ipsa congregatione Abbas ordinandus , *ab Archiepiscopo Dorobernensi* (id est Cantuariensi), Roni Pontificis Vicario, aut a quo ipse modo inefficatior jus- t Rege favente *ordinetur; nec parochianus Pontifex* (is Episcopus Merciorum), *sive aliquis alius praedicta dumt auctoritate ordinaverit; quicquam in eum praeter fra-*

(1) Syllog. hist. de S. Papoleno Baboleno, Abb. Stabulensi, . 2, Act. SS. Belgii, tom. 3, 684.

(2) Cfr. supra, pag. 190 et seq.

(3) Nouveau traité de diplomatique, tom. 5, pag. 146.

ternitatis obsequium praeripiat. » Constituitur dein id mon
sterium supra omnia alia in eodem tractu constructa
deinceps construenda (1). Haec privilegia fere omnia ant
jam concesserat Rex Edgarus in diplomate *regiae libertatis* (2
Mitto privilegia, quae idem S. Agatho concessit monaster
Wiremuthensi, quae S. Benedictus Biscopus, hujus coenob
conditor « cum licentia, consensu, desiderio et horta
Ecgfridi Regis accepta » Roma retulit et de quibus Vener
bilis Beda, ipsemet ejus discipulus et Wiremuthensis mon
chus, fusius meminit tum in Historia Ecclesiastica Anglorum (3
tum in Vita S. Benedicti Biscopi, Abbatis Wiremuthensi
ejusque successorum (4). Similiter ne nimium crescat opu
omittimus plurima alia, ut demum deveniamus ad Formul
Pontificias, in Libro Diurno Romanorum Pontificum co
servatas.

8. Joannes Garnerius, presbyter Societatis Jesu, q
incredibili adhibita opera (5) Librum Diurnum edidit et e
stigavit, postquam nonnulla de ejus antiquitate disseruiss
sic concludit (6) : « Nihil probabilius dici posse reor, ni
definiri certius, quam quod ad Gregorii II prima tempo
pertineat, sitque compositus paulo post annum 714 : id en
si ponatur, congruent omnia, consentientque tum inter
tum historiae, ut in observationibus annotabitur, prout s
res et temporis notae offerent. » Neque dissentit Mabil
nius (7), qui nonnulla omissa a Garnerio supplevit, neq
Godofredus Hoffmannus (8), qui novam Libri Diurni edit
nem paravit, neque scriptores novi Tractatus de re diplom
tica (9), qui passim vetustate hujus Libri nituntur, neq
ipse demum Rev. D. Verhoeven (10). Superest ut aliquot
his Formulis lectorum oculis subjiciamus.

(1) Dugdale, Monasticum. Anglican. tom. 1, pag. 66 et seq.

(2) Ibid. tom. 1, pag. 65 et seq.

(3) Lib. 4, cap. 18, tom. 3, col. 136 et seq. edit. Basileens. 1563.

(4) Lib. 1, num. 6, Act. SS. Ord. S. Benedicti, saecul. II, pag. 1004 et seq.

(5) Praefat. num. 16, pag. VIII.

(6) Ibid. num. 13, pag. VIII.

(7) Libri Diurni supplement. observ. in Musaes Italico, tom. part. 2, pag. 35. Item An Bened. lib. 3, num. 14, tom. pag. 54.

(8) Nov. scriptor, ac monum tor. collect. dissert. de libris c mon. § 5, tom. 2, pag. 20 et seq

(9) Nouveau traité de diplor tom. 5, pag. 109 et seq. et pas

(10) Dissert. canonic. de Mi sacrificio, pag. 7.

Quod vocatur *privilegium I*, id ad *conditorem* monasterii, ullius adhuc jurisdictioni subjecti, dirigitur atque ita so-at (1) : « Quoniam semper sunt concedenda quae rationali-us congruunt desideriis, oportet ut devotio *conditori piae nstructionis* oraculi in privilegiis praestandis minime dene-etur. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus monasterium ancti *ill.*, situm in loco *ill.*, privilegiis Sedis apostolicae de-oretur, *ut, sub jurisdictione sanctae, cui Deo auctore deser-imus, Ecclesiae constitutum, nullius alterius Ecclesiae juris-ctionibus submittatur.* Pro qua re piis desideriis faventes, ic nostra auctoritate id quod exposcitur, effectui mancipa-us : *et ideo omnem cujuslibet Ecclesiae Sacerdotem* (id est oiscopum) *in praefato monasterio ditionem quamlibet habere l auctoritatem, praeter Sedem apostolicam, prohibemus;* ita ut, si ab Abbate monasterii fuerit invitatus, nec Missarum idem solemnitatem quispiam praesumat celebrare, omni-odo constituentes per hujus decreti nostri paginam, atque terdicentes omnibus omnino cujuslibet Ecclesiae Praesuli-is, vel cujuscumque dignitatis potestate praeditis, sub athematis interpositione : qui praesumpserit, praesenti nstituti a nobis praefato monasterio indulti, quolibet modo sistere temerator. »

Privilegium II (2) est ejusdem tenoris omnino; sed addun-r dein multae clausulae, quibus cavetur « ne ullus Sacerdos l quispiam alius » bona monasterii sibi vindicet.

Unum vero e *diversis privilegiis apostolicae auctoritatis,* itum a Mabillonio (3), conceditur, non conditori, sed Abbati onasterii jam pridem constructi, quod proin a jurisdictione n acquisita Episcopi dioecesani eximitur. Caeterum similia nino continet iis, quae secundo Garnerii capiuntur.

Privilegium autem XII (4) editionis Garnerii, seu *privile-um monasterii in alia provincia* similiter conceditur Abbati onasterii episcopalis, eoque totum vergit, ut deinceps mona-rium sub sola jurisdictione sanctae Sedis militet. Alia mit-ius.

1) Garnerius, Lib. Diurn. Ro-n. Pontif. pag. 118 et seq. et ffmannus, nov. script. ac monum. lect. tom. 2, pag. 167.

2) Garnerius, pag. 119 et seq. et Hoffmannus, pag. 168 et seq.

(3) Libri Diurni supplem. Mus. Ital. tom. 1, part. 2, pag. 33 et seq.

(4) Lib. Diurnus, pag. 128 et seq. Hoffmannus, pag. 177 et seqq.

Porro in his omnibus nuspiam fit mentio petitionis a consensus Episcopi; quod jam pridem animadverterunt scr ptores novi Tractatus de re diplomatica (1), ut arguere eos, qui toti in eo sunt ut consensum hunc urgeant et obtru dant.

9. Saepius autem has Formulas adhibitas fuisse quis d bitet? Caeterum exempla aliquot suggeramus. Privilegiu *e diversis* Mabillonii usurpatum fuit in eximendo monaster virorum S. Mariae de Plumbariolo in agro Aquinensi, qu sine ullo dubio antiquitus factum est (2). Privilegium aute I Garnerii, mutatis aliquot verbis secundum Plumbariolen invenitur expressum in diplomate exemptionis Monaste Fuldensis, quod anno 751 Zacharias Papa, rogante ejus co ditore S. Bonifacio Moguntinensi, largitus est (3). Primus, fallor, Thomassinus (4) statuit nullum ante hoc Fuldense emi sum fuisse privilegium, quo omnis episcopalis jurisdictio monasterium aliquod cessaret. Eum secuti sunt Fleurisius aliique, et quod mireris, Mabillonius (6). Verum, ut miss faciamus probationes quibus contrarium statuunt scripto novi Tractatus de re diplomatica (7), sufficit in memoria revocare privilegia concessa a Joanne IV aliisque Pontifi bus, quibus multo significantius exprimitur immediata sanct sedi omnimoda subjectio. Urgere tamen nolim Fuldense diploma, non tam propter intrinsecas difficultates, motas Eckharto, quae ex ipso Libro Diurno Pontificum facile se vuntur, quam propter res quasdam gestas S. Lulli, Mogunt Praesulis (8). Parum enim nostra refert utrum id diplo

(1) Nouv. Traité de diplomat. tom. 5, pag. 379.

(2) Mabillonius, Mus. Ital. tom. 1, part. 2, pag. 35 et seq. Annal. Bened. lib. 3, num. 14, tom. 1, pag. 54; lib. 22, num. 42, tom. 2, pag. 137; lib. 25, num. 61, tom. 2, pag. 259. Cfr. Leo Ostiensis Chron. Cassin. cum. notis Angeli de Nuce lib. 2, cap. 8, ap. Muratori, Scriptt. rerum Italic. tom. 4, pag. 271.

(3) Garnerius, Lib. Diurn. pag. 118; Hoffmannus, Nov. collect. tom. 2, pag. 167; Mabillonius, Annal. Bened. lib. 22, num. 60, tom pag. 145; Nouveau Traité de dip mat. tom. 5, pag. 109, etc., etc.

(4) Disciplin. eccles. part. 1, l 3, cap. 30, num. 9, tom. 1, p 730.

(5) Hist. ecclés. liv. 42, num. tom. 9, pag. 310, edit. 1721.

(6) Annal. Benedict. lib. num. 60, tom. 2, pag. 145.

(7) Tom. 5, pag. 109.

(8) Act. SS. ad 16 Octob. V S. Lulli, commentar. praev. nu 48 et seq. pag, 1065 et seq.

ia habeat necne; quandoquidem, si apocryphum foret, an-
uitus tamen exaratum fuisset secundum alterius monasterii
ivilegium, et proin argueret Formulas Libri Diurni in usu
isse positas: quod unum nobis sufficit.

10. Jam decem annis ante, primo nempe sui pontificatus, de-
rat Zacharias Bullam valde insignem, secundum nullam usi-
am Formulam conscriptam, pro monasterio Casinensi (1).
primis in ea confirmat coenobio omnes suas possessiones;
tuit dein ut Abbas et monasterium ubique primas teneat;
ctionem Abbatis monachis asserit, Summisque Pontificibus
ıfirmationem et benedictionem reservat. « Insuper, inquit,
ıradictum locum una cum omnibus ibi pertinentibus *eccle-*
et possessionibus per totum orbem roboramus, atque *ut nul-*
alterius Ecclesiae nisi Romani Pontificis dicionibus sub-
tatur, auctoritate apostolica interdicimus : ita ut, nisi ab
bate vel a Praeposito fuerit invitatus, Missarum solemnita-
ı nullus Episcopus celebrare praesumat in eisdem posses-
nibus. » Postea eis licentiam facit per totum orbem oblata
ıa recipiendi. « Concessimus etiam, sic pergit, hoc aposto-
privilegio ut *pro oblatione vel ordinatione presbyterorum,*
conorum, subdiaconorum et altarium consecratione, chri-
ıeque acceptione in quibuslibet ejusdem monasterii possessio-
us quemcunque voluerint Episcopum invitandum. » Concedit
a Casinensibus facultatem diebus dominicis et festis ponti-
liter Missae sacrificium celebrandi. « Simili modo, ait dein,
ntiam damus et corroboramus *in praefato monasterio et in*
ıibus ejus ecclesiis per totum orbem terrarum constructis
tem benedici, et sacrum baptisma celebrari, et non solum ibi,
in iis quoque, quae amodo in possessionibus praedicti coenobii
esentibus vel futuris temporibus ecclesiae edificandae sunt,
ota scilicet cujuscumque Episcopi interdictione. Addimus
m ut nullus Episcopus prohibeat Christianum populum
.redi ad easdem ecclesias, vel in eisdem de suis rebus aliquid
rre, ut solet fieri religione pia. Observari quoque hanc
tram jussionem volumus, ut *nullus Episcopus in jam dicto*
ıobio Casinensi et in omnibus ejus cellis per totum orbem
arum constructis decimas tollat, *sacerdotem excommunicet,*

) Recitat eam Tosti, Storia della lib. 1, Docum. E, pag 82 et seqq
a di Monte-Cassino, tom. 1, Neapoli, 1842.

vel ad synodum provocet. Simili etiam modo licentiam dam
eidem dilecto filio (*Petronaci*) ejusque posteris Abbatibus m
nachorum synodum congregandi, et *quemcumque clericum v*
luerint cum suis substantiis suscipere ad habitandum in omnib
Calsinensis monasterii possessionibus, sive presbyter sit, a
diaconus, vel cujuslibet ecclesiastici ordinis; et nullius Episco
timere contradictionem. Et liceat eidem religioso Petrona
ejusque posteris, et eorum praepositis in perpetuum judica
praedictas ecclesias, curtes et possessiones per totum orbem te
rarum; et omnem in eisdem possessionibus degentem clericum
officium promoveri absque personae saecularis potestate, et c
juslibet Episcopi prohibitione. » Sequuntur dein solita anath
mata. Secundum hanc bullam mense Februario anno 742 d
tam non tantum Mons Casinus, sed omnes ejus cella
ecclesiae et possessiones per universum orbem terrarum ter
toria exempta facta sunt, ut liquet tum ex contextu, tum
sententia judiciaria, quam refert Gattola (1). Adversus ej
sinceritatem difficultatem aliquam movit Papebrochius (
censens Zachariam Papam nimium aliis negotiis hoc tempo
fuisse occupatum : ast argumentum istud, ut cuilibet evid
est, ex natura sua quam maxime est infirmum; et sane eva
scit, si consideretur de eo privilegio mentionem fieri in dipl
mate Caroli Magni, aliisque monumentis, quae nuperrim
Casinensis historicus allegat (3).

11. Stephanus II, Zachariae successor, non diu post, an
scilicet 757, concessit S. Fulrado, Abbati S. Dionysii, in ag
Parisino, privilegium secundum Formulam secundam Garn
rii (4), nonnullis novis facultatibus auctum, scilicet (5) aedi
candi libere monasteria ubicumque Fulradus ejusque succ
sores vellent in regno Franciae; quae omnia in antecessu
jubet esse sub ditione apostolicae Sedis et sub providen
Episcopi ab ipsis designati, qui praedicationi tam in princi

(1) Hist. Cassin. pag. 731.

(2) Propylaeum Maji, art. de Zacharia, num. 3, pag. 120 * et seq.

(3) Tosti, Storia della Badia di Monte-Cassino, tom. 1, lib. 1, Docum. E, pag. 81 et seq.

(4) Cfr. Liber Diurnus, pag. 119 not. Hoffmannus, Nova Colle tom. 2, pag. 168.

(5) Gaetano Marini, Papiri plomatici, pag. 6, et seqq. et p 217; Mabillonius, Annal. Ben lib. 23, num. 26, tom. 2, pag. 1 Act. SS. Ord. S. Bened. sacc. part. 2, pag. 336 et seq.

onasterio quam in aliis huic subjectis operam impendat. Haec clausula de proprio Episcopo, ut animadvertit Mabillnius (1), quae in editis Conciliorum libris deest, invenitur in eterrimis scriptis exemplaribus nonnullis, habetque auctoritem a libro primo Miraculorum sancti Dionysii, ubi legitur, orem ejus aliquandiu fuisse hujus ecclesiae Episcopos hare, qualis fuit Herbertus Episcopus ibidem laudatus. » enuo ne haeream in confutandis objectionibus Cointii adverus hoc diploma, quas sincerus quisque lector facile concedet a abillonio (2) aliisque (3) contritas fuisse, juverit animadverre hic intervenire, non secus ac in Casinensi privilegio, vem communicationem privilegiorum inter omnes unius quasi ongregationis cellas seu monasteria; deinde privilegium handi proprium Episcopum non ita singulare fuisse his remoribus temporibus, nam per plura saecula exstiterunt etiam uscemodi Episcopi in monasterio S. Martini Turonensi, in ohenhovenensi in Alsatia, in Morbacensi, in Lobbiensi in lgio, in S. Michaelis ad Mosam, in Stabulensi et alibi : de uibus videri possunt Mabillonius (4), Salmon (5), scriptores vi Tractatus de re diplomatica (6), aliique quos mittimus, et ui piura veterum testimonia allegant. Hi autem Episcopi, ut uet etiam ex Bullis pontificiis, quae episcopalis ordinis sunt unia in his coenobiis peragebant (7).

Si tamen aliquis consentiat Cointio, Mabillonii exemplar udicienti et laudanti illud quod prius a Sirmondo in Conciliis allicanis, dein a Labbeo (8) aliisque editum fuit, id parum nnino nostra interest. Nam Sirmondianum exemplar easdem nes continet facultates praeter ea quae de Episcopo proprio untur; (talem tamen adfuisse Sandionysianis, tum propter stimonium scriptoris Miraculorum S. Dionysii, tum propter loma Adriani I, cujus autographum exeunte saeculo XVI

(1) Annal. Bened. lib. 23, num. 338.
tom. 2, pag. 167.
(2) De re diplomatica, lib. 6, (5) Traité de l'étude des Conciles, oll. 3, pag. 628 et seq. pag. 468.
(3) Nouveau traité de diploma- (6) Nouveau traité de diplomaue, tom. 5, pag. 165 et seqq. tique, tom. 5, pag. 425.
(4) Act. SS. Ord. S. Bened. (7) Cfr. cit. auctores.
c. 3, part. 1, praef. pag. XXI et (8) Collect. Concil. tom. 6, col. .; part. 2 Vit. S. Fulradi, pag. 1646 et seq.

adhuc exstabat (1), et in quo dicitur (2) : « ut penitus licea ibidem habere Episcopum, sicuti a priscis temporibus et usqu hactenus fuit, » extra controversiam est;) sed loco eorum quae de Episcopo proprio traduntur, statuitur ut omnibu Sandionysianis monasteriis liberum sit a quolibet Episcop recipere chrisma aliaque quae sunt episcopalis ordinis. Nequ soli Fulrado ejusque Congregationi haec concessit Stephanus II sed in Bulla Calixti II anni 1123, qua Carpense territorium exemptum factum est, mentio fit de simili ejusdem Stephan diplomate, quo Carpense coenobium « specialius sanctae Sed adhaerens et jure proprio subjectum factum erat. Astulphu siquidem Langobardorum Rex in regni sui pago quod Carpun dicitur, B. Mariae semper Virginis ecclesiam construxisse ait pontifex (3), dignoscitur; quam ut a vicinorum Episco porum, in quorum confiniis idem pagus erat, contentionibu et molestiis omnino liberam redderet, quosdam de praedict curte possessiones in locis convenientibus utrique dedit, e Mutinae quidem juxta ecclesiam S. Thomae, Regino vero juxt ecclesiam S. Apollinaris. Super haec ecclesiam illam in jur semper Sedis apostolicae permanere constituit et libertatem *e Stephani Papae privilegio acquisivit*.... De chrismate et ole sancto atque ordinatione vestra, sive consecrationibus eccle siarum, a quocumque velitis, Episcopo catholico, accipiendi licentiam vobis liberam indulgemus, *sicut a praefatis Pontifi cibus* (*Stephano II, Gregorio VII, Urbano II et Paschali II* constat fuisse concessum. »

Circa annum autem 776 Adrianus Papa I amplissimun concessit Nonantulensi abbatiae privilegium, quo etiam « chri sma vel quicquid ad sacra ministeria pertinent, si a patri monasterii fuerit postulatus, a quocumque praeviderit (*Abbas* concedit tribuenda (4). » Quod diploma cum duobus aliis con firmavit Innocentius III (5).

12. Anno 800 Angelbertus, Abbas Centulensis, Roman

(1) Act. SS. Ord. S. Bened. saec. 3, part. 2, pag. 338.

(2) Ibid. loc. cit.

(3) Muratori Antiqnit. Italiae diss. 69, de censib. ac redit. Roman. Eccles. tom. 14 Opp. col. 213 et seqq.

(4) Epist. Innocentii III, edit Baluzii, lib. 16, epist. 16; Marini Papiri diplomatici, pag. 9.

(5) Ibid. loc. cit. Cfr. Mabillo nius, de re diplomatic. lib. 1, cap. 6 num. 14, pag. 37.

mitatus erat Carolum Magnum; cujus coronationis die a eone Papa III, annuente Jesse Ambianensi Episcopo, privigium obtinuit, quo totius monasterii ac villae circumpositae ram ecclesiasticam solus haberet Abbas, nec quidquam Epiopus Ambianensis de ecclesiis aut clericis ejusdem loci posset sponere; quod primum territorii exempti et jurisdictionis quasi iscopalis et ordinariae, inferiori praelato collatae, exemplum se censet Benedictus XIV in opere de Synodo dioecesana (1). d antiquitate praecedere territorium Casinense modo videus. Per illud insuper Abbati licet « ea quae ad usum ecclerum necessaria sunt a Remensi Archiepiscopo, vel a quoet ejus suffraganeo petere et accipere, et benedictionem nsecrationis postulare a quocumque Episcopo a quo idem ctus benedici maluerit (2). »

In Bulla data a Benedicto III anno 855 pro Corbejae Veis privilegiis confirmandis adimitur Episcopo Ambianensi nis in Abbatem et monachos auctoritas, « quoniam cum bas vices Christi in monasterio creditur agere, pastoris cium super creditas sibi oves habere cognoscitur : utque pensationis suae ministerium exercere praevaleat digne, llius debet perturbari potestate subjectus; sed ab omni scopali liber dominatione, Christum tantummodo judicem tineat (3). »

13. Quoniam pro angustiis operis nostri licet tantum nobis immensa segete aliquot seligere spicas, debet (ut lector fa intelliget) noster labor versari in seligendis potius diplotibus, quam in iis acervatim conferendis. Quocirca, pluris missis, venimus tandem ad aliud privilegiorum genus, npe ad onerosa. De his pauca praenotanda.

Attendendae imprimis sunt binae decretales literae; alte, quas anno 1179 Alexander III ad apostolicae Sedis legan; alterae, quas anno 1298 Bonifacius VIII condidit. tuit scilicet Alexander III (4), « ut, si fuerit deprehensum,

1) Lib. 13, cap. 8, num. 20, edicti XIV Opp. omn. tom. 12, . 106, edit. Basan.

2) Mabillonius, Annal. Bened. 26, num. 97, tom. 2, pag. 324 eq.

3) Marini, Papiri diplomatici, pag. 17 et seqq. Mabillonius, de re diplomat. lib. 5, tabul. 48, pag. 438 et seq.

(4) *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 8, *Recepimus litteras*, (lib. 5, tit. 33).

quod ecclesia quae censum solvit, specialiter B. Petri jur exsistat, et ad judicium *perceptae libertatis* census annuus co feratur, non immerito poterit speciali praerogativa gaude Si vero, sic pergit, ad indicium *perceptae protectionis* cens persolvitur, non ex hoc juri dioecesani Episcopi aliquid vid tur esse subtractum. » Idem principium applicuit perso Innocentius III, sed multo fusius haec explicuit Boni cius VIII : « Si Papa, inquit (1), ecclesiae vel monaste exemptionis privilegium concedendo, vel super ipsius exe ptiones sententiando... asserat ipsam ecclesiam fore *exemptam* aut eam *juris beati Petri* exsistere, sive *ad jus et proprietat Romanae Ecclesiae*, vel *ad Romanam Ecclesiam speciali aut sine medio,* vel etiam simpliciter *pertinere :* per hoc ple debet exempta hujusmodi ecclesia judicari. Quum enim ju communi omnes ecclesiae, per orbem diffusae, ad Romana Ecclesiam pertineant; si id alicui concedatur ecclesiae, vel ea per sententiam judicent, ex hoc ipsius comprobatur exe ptio, ut privilegii nihil alias allatura concessio ei, cui concec tur, et sententia nullum aliter datura subsidium, ecclesia pro qua fertur, praerogativam (quum verba aliquid opera debeant) conferat gratiae specialis. Et est idem, si privilegiu contineat, vel ipse Papa per modum exprimat suprascriptu quod ecclesia sit *libera*, vel quod in hoc *praerogativa* gaud *speciali :* aut si dicat indefinite, quod Ecclesiae Romanae a nuum censum solvat *ad perceptae indicium libertatis ;* sive qu ipsam ecclesiam *eximit ab Ordinarii potestate :* vel quod *non a deat illic Episcopus cathedram collocare, aut imperandi* (*seu o dinationem quamvis levissinam faciendi*) *exercere aliquam po statem*... Si vero dicatur simpliciter, quod aliqua ecclesia Rom nae Ecclesiae annuum censum solvat, non propter hoc eccle exempta dici debet... Licet autem sic diversos privilegiorum quibus ecclesiae ac monasteria eximuntur, tenores ad litiu materiam amputandam duxerimus designandos : per hoc tam aliis exemptionum, si reperiantur, seu aliarum libertatu modis, vel eorum effectibus nolumus aliquatenus derogari. Hactenus Bonifacius VIII.

14. Ex his intelligitur post Alexandri III et Bonifacii VI decreta Formulas, quae meram *tuitionem* aut *protectionem* e

(1) *De privilegiis, in sexto,* cap. 10, *si Papa,* (lib. 5, tit. 7).

merent, etiamsi census annui adjecta esset conditio, non plius valuisse ad condendam exemptionem ; sed illas tantum mulas quae *ditionem, jus, proprietatem* sanctae Sedis, *liber-em* monasterii, aut *exclusionem auctoritatis* Episcopi aperte ignarent. Verum, ut habetur tum ex quaestionibus Legati xandrum III sciscitantis, tum ex clausula Decretalis Boni-ii VIII, ante haec statuta non ita manifesta res erat ; adeoque dubitamus asserere, saltem usque ad exiens saeculum XI ic distinctionem inter *ditionem* et *protectionem* et reliqua agnitam aut observatam fuisse in condendis diplomatibus rtatis Romanae ; unde factum sit, ut per illas decretales ra monasteria exemptionem suam amiserint (1).

Quod ut patefiat, satis fuerit amandare lectorem ad pluri-s Bullas, quas in Antiquitatibus Italicis medii aevi (2) Anto-s Muratorius congessit : quas inter nonnullas reperire est quibus vocabula *protectio* et *ditio, patrocinium* et *jus* aliaque genus ut synonyma manifeste adhibentur : adeo ut, dum *tectio* postulari dicitur, concedatur *susceptio in jus* aut *di-tem* sanctae Sedis, et ut in iisdem rescriptis *ditio* paulo rius appelletur *patrocinium :* ita scilicet permiscentur et sdem censentur esse valoris haec eadem vocabula, quae tea tam diversa significarunt (3). Maxime autem notari retur privilegium exemptionis monasterii B. Mariae de nposia, datum anno 1052 a S. Leone IX ; in quo leguntur uentia (4) : « Constituimus et ordinamus per illam aucto-tem, quam Christus Dominus noster B. Petro Apostolorum ncipi suaeque Ecclesiae rectoribus concessit, ut numquam is ipse, aut res ad ipsum pertinentes, alicui submittantur sonae, nisi *apostolicae tuitioni* et *regiae ditioni.* » Unde um est colligere, saeculo XI de monasteriis exemptis regiis imperialibus dictum non fuisse ea esse *sub apostolica di-e,* sed tantum *sub tuitione apostolica.* Utut est, indubium nino nobis videtur saltem usque ad exiens saeculum XI aut dium XII monasteria, quae essent sub *protectione, patro-*

) Benedictus XIV, bulla *Cau-m palatii*, tom. 2, constit. 40, 5, pag. 322 et seqq. edit. Me-liae.

) Cfr. praesertim, tom. 13, 14 , edit. Aretiensis. 1778.

(3) Cfr. inter alia multa ap. Muratori, Antiq. medii aevi, tom. 14, col. 203 et seqq. ; ibid. col. 217 et seqq.

(4) Ibid. tom. 13, col. 125 et seqq.

cinio, defensione, tuitione Sedis Romanae, aeque exempta fui ac ea quae in diplomate dicerentur esse sub ejus *ditione, p tinere ad* ejus *jus,* seu *de* ejus *proprietate* esse. Hinc intelligit quomodo Rota, non obstante decreto Bonifacii VIII, decid potuerit « censeri concessam plenariam exemptionem, quan una cum receptione sub protectione Sedis apostolicae concu rit etiam onus aliquid solvendi (1). » Distinctio autem, Alexandro III inducta, ortum suum debere videtur consue dini, qua pluribus ecclesiis et totis regnis protectionis litte datae fuerant, quibus cavebatur ne Episcopi absque sanc Sedis consensu interdictioni subjicerent ea loca; sed nuspi fere ejusmodi limitatio monasteriorum privilegiis adje fuerat. Atque haec pauca, quae de aliquot verborum signifi tione praemittenda duximus, nemini nova videantur, qu passim Mabillonius in Annalibus Benedictinis et Murator in Antiquitatibus Italicis medii aevi similia jam pridem cuerint.

15 Usum autem illum solvendi quotannis certam pecun ratiunculam aut dona aliquot mittendi ad sanctam Sedem indicium libertatis perceptae seu immediatae ditionis Pontifi repetit Muratorius ex imitatione reipublicae civilis: «Uti al dia, inquit (2), alicui in emphyteusim concedentes, praescrib solent censum quotannis persolvendum, in signum praes tim directi dominii : ita et monasteria atque ecclesiae, q allodiorum ad instar Romano Pontifici donata ad plen ipsius potestatem spectabant, quoties alicui incolenda dimit bantur, census annui obligationem quodammodo pariebant

Difficile autem dictu est quo tempore inceperit h ecclesiastica consuetudo. Nullum forsan monasterium est, id onus antiquius impositum referatur, quam monasteri Lutrense, de quo alibi fuit dictum (3). Vetustissimum B niatense monasterium, ut habet Muratorius (4), quod pos episcopatus evasit, sub ipsis Langobardis Regibus subjectu

(1) Rot. apud Seraphinum, decis. 1025, num. 8, et in Theatina, seu nullius jurisdictionis de Bucclanico 23 Junii 1614, coram Rev. D. Coccino decano, in fin. Op. decis. 59, num. 3. Ap. Tamburinum, de jure Abbatum, disput. 15, quaest. 6, num. 19, tom. 1, pag. 154.

(2) Antiq. Ital. med. aevi disse 69, tom. 14, col. 189 et seq.

(3) Vide supra, pag. 220. C Muratorius, tom. 14, col. 188.

(4) Ibid. col. 187 et seq.

se videtur uni Romanae Ecclesiae, cui censum quotannis solvebat denariorum octo, et candelas duas. Anno Chri- 790 Jacobus diaconus, fundator monasterii Virginum ensis, condidit diploma (1), quo statuit ut, si vacuus aneret hic parthenon, « deveniret in potestatem beati ri in Roma, vel Pontifici in omnibus ordinandus et guber- dus; » et quidem, ut ex eodem diplomate constat, jam a idem diaconus fecerat chartam in ecclesia S. Petri nae oblatam, qua jubebatur « abbatissa pro sua et ipsius asterii *protectione* per singulos annos reddere in Ecclesia Petri in Romam ad luminaria in decem solidos auro m. « Eodem demum diplomate aufertur Episcopo spiri- is in monasterium et adjectum hospitale jurisdictio, et e omnis in temporalia bona et domus regimen.

nno 867, seu etiam ocius, fundatores Pultariensis et liacensis coenobiorum, sibi per vitam *tuitionem atque nsionem* reservarunt; quocirca volunt ut nefas sit aliquid onis monasterii erogare « excepto quod *pro benedictione* is singulis ad reverentissimam Sedem beatorum Aposto- m *cui loca,* inquiunt, *ea subdidimus,* Romae offerantur Pontifici Urbis librae argenti duae et quae ultronea vo- ate charitatis atque humanitatis officio quotidiana bene- docent exercenda (2). » Multis dein explicatur immediata tificis potestas, cum cujus approbatione Abbas unius et atissa alterius monasterii ordinandi sunt, et qui ab scopis impediendus non est, quin « sit eis rector, assiduus solator et tutor (3). » Haec in charta fundationis; dein fu- exponuntur eadem in oblationis diplomate (4). Admisit usque *traditionem* Nicolaus I, sed pro *piae paternitatis ragio* unam tantum argenti libram ab unoquoque quotannis li voluit; ut habetur ex epistola Nicolaï I in Historia liacensi servata (5), et ex plurimis litteris Joannis VIII, ariense coenobium adversus quorumdam infestationes licantis (6). Hic vero nuspiam de consensu Episcoporum

(1) Ibid. dissert. 37 de hospital., 8. col. 27 et seqq.
(2) Hugo Pictavin. Hist. Vizelia- s, lib. 1. Spicileg. Dacherii, 2. pag. 499, edit. 1723.
(3) Ibid. pag. 500.
(4) Ibid. pag. 500 et seqq.
(5) Ibid. pag. 502 et seq.
(6) Epist. Joannis VIII, ep. 210, 211, 212 et 213, ap. Labbe, Collect. concilior. tom. 9, col. 152 et seqq.

mentio reperitur. Ad haec annotamus ex epistola Joannis V ad Bosonen Comitem de Pultariensi coenobio (1), facile col numerum monasteriorum, quae tunc temporis immediate Sanctam Sedem *per totius Galliae provincias* pertineb multo majorem fuisse, quam quem nunc ex superstiti monumentis eruere possimus. Cujus rei exemplum sit, epistola CXCI Joannis VIII, anno 879 ad Archiepisco Arelatensem, Narbonensem et Aquensem scripta, casu in tescere tunc temporis in dioecesi Nemausensi exstit monasterium, a Sancta Sede *super Episcopum acquisitam ad beatum Petrum pertinens,* quod Gislebertus Nemause Episcopus, monachis expulsis rebusque omnibus inter mines suos distributis, invaserat (2) et cujus alia memoria superest (3).

Blasillense sanctimonialium monasterium, ineunte saecul fundatum, a conditoribus, qui consensum dioecesani Episc non leguntur expetivisse, ab initio « beato Petro Apostolo at Episcopo qui tunc temporis apostolicae Sedi praesidebat, proprio jure concessit. Ipse autem Papa huic dono beni favens quinque solidos monetae Pictaviensis sancto P semel in anno persolvi decrevit. Insuper apostolici privil auctoritate idem coenobium abbatiam monacharum per tuum constituit. Altare etiam, quod adhuc habemus, aj moniales, sua propria manu consecratum, per ipsam mat nam (*Ermengardem, Comitissam Pictavorum*), nobis trans sit. » Ita sanctimoniales Blasillenses in epistola, querelar plena, quam dederunt ad Urbanum II et quam partim ed Mabillonius (4).

Aliquot annis ante, anno videlicet 894, S. Geraldus Cor et Aureliacensis coenobii conditor, Romam profectus, Au liacum insigne praedium beato Petro, facto solemniter inst mento, seu, ut tunc loquebantur, testamento, legavit ad tandum monasterium, ex quo annuum censum duode solidorum *ad urnam beati Petri* persolvi praecepit (5).

16. Hinc, saltu facto, devenimus ad Cluniacensem ab

(1) Ibid. epist. 213, col. 154.
(2) Ibid. epist. 191, col. 124 et seq.
(3) Mabillonius, Ann. Bened. lib. 38, num. 23, tom. 3, pag. 206.
(4) Ibid. lib. 41, num. 61, tom pag. 311.
(5) Ibid. lib. 39, num. 98, t 3, pag. 272.

ı; de qua alibi (1) Petrum Venerabilem, ejusdem Abba-
, scribentem vidimus, libertatis Romanae privilegium
e ante Cluniacum conditum MULTIS *aliis monasteriis a Sede*
tolica concessum cerni. Porro Cluniacum, anno 910
ıoatum, ab initio « *soli Romanae Ecclesiae,* cui per singula
ıquennia decem solidi ad luminaria persolvantur, » a
ielmo, Aquitaniae Comite illiusque fundatore, « *subjectum*
» quin ulla episcopalis consensus fiat mentio (2). Ut
litis satis innotescit, paulatim innumera monasteria, etiam
Oriente, Cluniaco subjecta fuere ejusque participarunt
ilegia; quae omnia interventu Ottonis Imperatoris, non
Episcoporum, Gregorius V anno 996 Cluniaco confirma-
declarans ex illis 38 asceteria ab Episcopo dioecesano ita
ıpta esse, ut etiam a quocumque alio sacros ordines
ıere possent (3). Unde factum est, ut nonnumquam,
tente frustra dioecesano Praesule, extranei Episcopi sacros
nes administrarint Cluniaci

7. Gulielmum Comitem Pictavensem imitati fuerunt anno
seu etiam aliquandiu ante, Ebbo et Hildegardis fundatores
ınsis apud Bituriges monasterii, cum hac tamen differentia
ngulis quinquenniis non decem sed quinque tantum solidi
ɔndi essent ad demerendam Romani Pontificis *defensio-*
(4); quo pacto id monasterium soli apostolicae Sedi *sub-*
m fuit (5).

iginti fere annis post occurrit Pontius, Comes Tolosanus,
decem solidorum annuum vectigal statuit, quum coeno-
ı S. Pontii Thomeriarum (deinceps in episcopatum ere-
ı), et a se extructum et dotatum, facto pro more solemni
mento seu instrumento, Ecclesiae Romanae *subjecit* et
nni alia dominatione immunem voluit (6).

ullius census mentio fit tum in diplomate sanctissimi Pon-
s Agapeti II, quo secundum primam Garnerii privilegii For-
ım (7) Gandershemiense coenobium anno 949 Sedi aposto-

Vide supra, pag. 170.
Act. SS. Ord. S. Bened.
5, pag. 78, et Annal. Bened.
ı, num. 33, tom. 4, pag. 95 et

Annal. Bened. lib. 51, num.
m. 4, pag. 95 et seq.

(4) Ibid. lib. 42, num. 12, tom. 3, pag. 331 et seq.
(5) Ibid. num. 13, pag. 332.
(6) Ibid. lib. 43, num. 77, tom. 3, pag. 402.
(7) Vide supra, pag. 225.

licae subditum declaratur, et omnis cujuslibet Ecclesiae Sacc dos seu Episcopus in praefato monasterio ditionem quamlib habere prohibetur (1), tum in altero ejusdem Pontificis (2), q renovat, secundum Formulam editam a Mabillonio (3), privi gium libertatis Romanae jam pridem a Zacharia Papa anno 7 concessum Asindensi dioecesis Coloniensis monasterio. V rumtamen ex Bulla Innocentii III, exemptionis Gandersh miensis confirmatoria, constat « monasterium ipsum in libi censuali camerae apostolicae inter cetera monasteria libe et exempta annotatum fuisse (4); » et quidem « tenebat Ecclesiae Romanae singulis annis *in duabus stolis pretio serico et cum aurifrisio contextis;* in quibus xxx *Bisan auro frisio contexti debebant esse inserti,* » ut habet Liber ce suum Romanae Ecclesiae, a Centio camerario composit secundum antiquorum Patrum regesta et memorialia diver anno 1192 (5). Asindense vero monasterium in eodem ce suario libro non notatur (6).

Eodem circiter anno 949 Asnerius Vicecomes, redux a p peregrinatione Romana, consilio et auctoritate Papae mon sterium B. Mariae *Patricianum* condidit, sic nuncupatu quod nulli, ut tradunt, nisi *Patri coelesti* id subditum volu rit (7). Equidem determinare non ausim utrum ex mer conditoris Romanae Sedis auctoritas exclusa fuerit; nam, li Asnerius ille vir pientissimus fuisse et *ad coelicas sedes* perv nisse traditur (8), non raro his temporibus ab optimis vi condebantur diplomata omni ecclesiasticae disciplinae a versa. Sic S. Eduardus Confessor, Rex Angliae, porre Westmonasteriensi abbatiae, satis mirum diploma (9); et instrumento Adelaidis, sororis Rodulfi I Burgundiae Reg quo dedit anno 930 S. Odoni Cluniacensi Abbati Romanen monasterium, cavetur « ne aliquis principum saeculariu

(1) Marini, Papiri diplomatici, pag. 34.

(2) Ibid. pag. 35.

(3) Vide supra, pag. 225.

(4) Marini, Papiri diplomatici, pag. 50.

(5) Editus a Muratorio, Antiquit. Ital. med. aevi, dissert. 69, tom. 14 Opp. Cfr. col. 331.

(6) Ibid. Cfr. col. 332.

(7) Mabillonius, Annal. Ben lib. 45, num. 22, tom. 3, pag. 4 et seq.

(8) Ibid. pag. 465.

(9) Nouveau traité de diplom tom. 5, pag. 586.

Comes quisquam, nec Episcopus quilibet, *non Pontifex ra dictae urbis Romanae... non beneficiet alicui, non ali- m praelatum super eos contra eorum voluntatem statuat* (1). » ue haec sancti viri probabant.

8. Sed e diverticulo isto redeamus, non quidem ut singillatim nseamus omnes chartas, quibus monasteria pontificii juris a sunt; sed ut lectori viam sternamus ad judicandum ex cis, quas congerimus, de innumeris aliis quas lubentes ttimus. Ut breviores simus, non amplius monebimus quem ;um solverent indicanda monasteria, quum ex praemissis ; manifestum sit hunc valde fuisse varium; constabat a jam certa pecuniae ratiuncula, jam parvo auri aut ar- i pondere; nunc equis albis, nunc evangeliariis, epistо- s, lectionariis et sacramentariis; hic meridien versus ario amygdalarum, illic ad septemtrionem centenis hale- s; istic aliquot telae lineae aut panni ulnis, alibi vesti- tis sacris; jam duabus candelis, dein aliqua olei mensura; excentis ejuscemodi. His missis, annotanda veniunt se- ntia monasteria, pleraque *expresse libertate Romana*, m vel alterum *defensione et tuitione* donata : Anno 956 mes XII ex consensu Regis Ludovici Humolariense mo- erium in sanctae Sedis tutelam suscepit (2); anno 958 egarius, Lemovicensis Episcopus, cavit ne quis e suis suc- oribus Usercense a se conditum monasterium a potestate etri et ab Ordine monastico alienare auderet (3): anno ente Baltramnus Abbas regium Lutrense coenobium, l olim jam Sanctae Sedis fuerat, dein vero occupatum a alaribus, iterum Romano Pontifici subjecit (4); idem fecit 961 Berta, Paterniacensis in dioecesi Lausanensi mo- erii fundatrix (5); circa annum 963 Leo VIII ad preces atis Maurinci juri S. Petri vindicavit Montis Majoris in incia asceterium (6); anno 966 Hugo, Clusini conditor obii, itidem id juris fecit Sedis apostolicae (7); anno 968

Act. SS. Ord. S. Bened. 7, pag. 135 et seq.

Mabillonius, Annal. Bened. , num. 99, tom. 3, pag. 495.

Ibid. lib. 46, num. 5, tom. 3, 99 et seq.

Ibid. lib. 46, num. 24, tom. 3, pag. 507.

(5) Ibid. lib. 46, num. 67, tom. 3, pag. 524.

(6) Baluzius, Miscellan. tom. 3, pag. 5, et seq. edit. Mansi.

(7) Annal. Benedict. lib. 4 num. 4, tom. 3, pag. 540 et seq.

Coxanense ad Pyrenaeos montes sub ditione et jure sanc
Matris Romanae Ecclesiae, interveniente Comite Oliva, dec
ratur (1); anno 972 e fundatoris voluntate monasterium S. I
nedicti de Bagiis Romano Pontifici subditur (2); eodem f
tempore Benedictus VI coenobio S. Caeciliae Montis Serr
privilegium omnimodae libertatis et apostolicae protectionis
dulsit (3), et paulo post simile monasterio Rodensi (4); ci
annum 977 Episcopi Urgellensis et Gerundensis cum Bisul
nensi Comite condita a se S. Mariae de Taxo et Bisuldune
monasteria libera declarant, et Sanctae Sedi subjiciunt

19. Demum, ut per territorium exemptum finiamus, Be
dictus VII, hanc oblationem admittens, praecepit (6) «ut nu
Archiepiscopus, nullus Episcopus monasterium, sive suas ec
sias a praedicto Episcopo datas, neque clericos in eis stan
et in eo monasterio, neque Abbatem et monachos ac conver
suos audeant et praesumant sententiam excommunicatic
inferre, et a nullo possit interdici vel excommunicari ni
Romano Pontifice. Concedimus quoque, ita pergit Pa
ipsius loci Abbati correctionem cunctorum suorum clericor
institutiones ecclesiarum suarum et clericorum, ut nullus E
scopus, nulla ecclesiastica vel laica persona dominationem
habeant, sed quicquid ecclesiasticum est per manum il
Abbatis et sub regimine et praecepto illius cuncto subsist
tempore. Oleum vero sanctum, chrisma baptizantium, con
crationes altariorum a quocumque voluerit catholico Episc
suscipiet, etc. » Haec concessit et confirmavit Pontifex
subjectionis signum statuens, ut quotannis Bisulduner
S. Petro penderent quinque solidos. Alia multa mittim
quae tum in Antiquitatibus Italiae medii aevi Muratorii
Annalibus Benedictinis Mabillonii, in Historia ecclesias
Germaniae P. Calles, in Monastico Anglicano, et sexce
aliis operibus reperire est : ut enim saepius jam professi
mus, spicas aliquot colligere, non messem coacervare lib

20. Revertamur itaque ad Rev. Dominum Verhoeven : c

(1) Marini, Papiri diplomatici, pag. 51 et seqq.

(2) Annal. Bened. lib. 47, num. 78, tom. 3, pag. 571.

(3) Ibid. lib. 47, num. 79, tom. 3, pag. 571.

(4) Ibid. lib. 48, num. 4, tor pag. 583.

(5) Ibid. lib. 48, num. 53 et tom. 3, pag. 598.

(6) Marini, Papiri diploma pag. 56 et seq.

ba, quibus agnoscit a saeculo VIII usque ad XI privilegia cessa fuisse monasteriis, retulimus alibi (1); ast haec ıde limitat in hunc modum : « ATTAMEN PER INDULGENTIAM USMODI PRIVILEGIORUM EPISCOPALIS IN MONACHOS JURISDI- NON OMNINO CESSABAT; IN IIS ENIM QUAE AD ORDINES, UM, CHRISMA, DEDICATIONES ECCLESIARUM, CONSECRATIONES ARIUM, CRIMINALIA ABBATUM JUDICIA ET IPSAS EXEMPTIONUM NDARUM CAUSAS PERTINEBANT, EPISCOPALI JURISDICTIONI UC CONTINUO SUBERANT; » quae asserta talia sunt, ut vix ne vix quidem exspectanda forent.

ane haec non scripsisset Rev. Dominus, si ei in memoriam ırrisset ante saeculum XI plura *territoria* jam declarata se *exempta*. Ut nil dicam de territoriis exemptis Casinensi et ldunensi, dubium nullum est quin R. D. Professori notum t diu ante saeculum XI territorium Centulense exemptum e, ita ut Abbas jurisdictione quasi episcopali frueretur in s et clericos, etiam non monachos : quae omnium maxima ıptio est, utpote activa simul et passiva. Fieri enim non st ut res tam insignis aliquem juris peritum praeterierit. ulense enim territorium, falso quidem, sed tamen a pluri- omnium primum exemptum habetur; patriae nostrae ad- ; de eo mentio fit in *aurco*, quod vocat Rev. Dominus (2), Benedicti XIV *de Synodo dioecesana;* atque haec exem- concessa fuit inter coronationis Caroli M. festa. Verum na ingenia ita aliquando sunt comparata, ut omni fere oriae subsidio destituta videantur, et res notissimae eos ereant.

. His etiam omissis, quis intelligat, nisi similis oblittera- ıpponatur, a R. D. Verhoeven universim asseri ante sae- n XI monasteria exempta adhuc continuo subfuisse epi- li jurisdictioni in iis quae ad ordines, oleum, chrisma, ationes ecclesiarum, consecrationes altarium pertine- ? quum multis saeculis antea multa fuerint monasteria, in his etiam forent exempta. Retulimus antiquissima pla ex Anglia; citavimus monasteria S. Pirmini; Formu- Burgundicam adduximus, quae non singularitatem sed ıetudinem indicet; vidimus praeter Casinensia et San- siana triginta octo congregationis Cluniacensis coenobia

(1) Vide supra, pag. 215 et seq. (2) Pag. 135.

hoc privilegio donata; indicavimus plura monasteria, quae proprios haberent Episcopos; allegavimus exemplum Adrumetini monasterii, ad saeculum forte IV ascendens, et complura alia quae lectoris menti praesentia adhuc sunt. Sed quid haec? Thomassinus ipsemet fatetur Fuldense monasterium a Zacharia Papa medio saeculo VIII in his exemptum fuisse; en ejus verba : « Exemit enim, inquit (1), Adeodatus quidem Abbatem monachosque ab Episcopi correptione, at non tamen concessit ut chrisma, ordinesque ab alio quam dioecesano Episcopo flagitarent. Hoc quoque vinculum antiquissimae obedientiae abrupit Zacharias, Fuldensem abbatiam Sedi Romanae immediate subjiciens. » Porro Formula, qua Zacharias usus est, nova non erat, sed reperitur in Libro Diurno Romanorum Pontificum; et aliae Formulae, quae indidem supra (2) indicavimus, augent potius quam minuunt illius exemptionis extensionem; unde denuo intelligere potuisset adversarius quantum a veritate abluderet.

Priusquam autem haec penitus dimittamus, juverit annotasse, hanc in suscipiendis sacris ordinibus aliisque hujus generis libertatem esse privilegium tam eximium, ut valde pauca religiosa instituta eo nunc gaudeant; quin etiam privilegium accipiendi sacros ordines ab Episcopo catholico quocumque, cum consensu tamen Ordinarii in cujus dioecesi ordinatio peragenda sit (quae conditio olim apposita non erat), incommunicabile est inter religiosos Ordines, qui caeterum secum invicem privilegia sua communicant.

22. Ait deinde Rev. Dominus monasteria exempta « continuo adhuc Ordinario subfuisse in iis quae ad criminalia Abbatum judicia pertinerent; » quae ut reliqua ex Thomassino descripsit (3). Jam vero ut lector ex specimine aliquo capiat hujus scriptoris in praesenti de privilegiis argumento disserendi modum, noverit haec ita generatim asseri, quoniam in diplomate, quo Pontifex confirmat *partialem* exemptionem, olim *ab Episcopo* concessam et per consuetudinem forte nonnihil extensam, statuitur « quodsi Abbas infamiae vitio notatus sit, *ex regali providentia* Episcoporum *non minus quam*

(1) De vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 30, num. 9, tom. 1, pag. 730.

(2) Vide supra, pag. 225.

(3) De vet. et nov. eccl. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 33, num. 10. tom. 1, pag. 742.

sex habeatur conventus, quorum e numero sit Cenomannicus Episcopus, ad causam Abbatis discutiendam; nec is deponi possit absque manifesta criminis probatione (1). » Sed quid tandem non probabitur, si satis fuerit hanc S. Carilefi privilegii *confirmationem*, quae Regibus multo magis favet quam Ordinario, proferre? si liceat omittere privilegia a Joanne IV aliisque Pontificibus concessa, tacere territoria exempta, negligere monasteria donata libertate Romana, adeoque silentio premere privilegia nonnullorum Episcoporum, largientium ut causae Abbatum, non a se cum quinque aliis episcopis secundum Concilia Africana, sed a probis vicinorum monasteriorum monachis examinarentur.

23. Sed, si fieri possit, multo etiam graviora sunt quae subnectuntur, quum statuitur monasteria, privilegiis ornata, « Episcopis subfuisse in his quae ad ipsas exemptionum tuendarum causas pertinerent. » Etenim generale istud assertum vix singularibus exemplis fulcitur; dein, quis *protectionem* contra regias infestationes *subjectionem* dixerit? ita scilicet judices conservatores fierent monasteriorum superiores. Tertio, Rev. Dominus nonnihil sibimet adversatur, quandoquidem decem lineis ante docuerit, privilegia saepius fuisse concessa « ad praecavenda incommoda ex mala agendi ratione quorumdam Episcoporum monasteriis aliquando illata : » unde secundum R. D. Professorem Episcopi contra se ipsos causas tuendarum exemptionum suscepissent. Quarto demum, valde parum prosunt, nisi etiam obsunt, singularia ista exempla, quibus illam universalem assertionem a Thomassino fulcitam reperit Rev. Dominus. Prius enim in eo positum est, quod in confirmatione privilegiorum S. Carilefi, de qua supra dictum est (2), haec scripta reperiuntur : « Licentiam habeant (monachi S. Carilefi) *Metropolitanum* Episcopum (*seu Archiepiscopum*) Turonensem convenire et pressuram innotescere suam. Quod si Metropolitanus eorum precibus adjutorium praestare detrectaverit, licentiam habeant Romanam Sedem adire (3). » Atque hic, nedum Ordinario, id est Episcopo Cenomanensi, sed Turonensi Archiepiscopo et Sanctae Sedi

(1) Ibid. num. 4, pag. 741, et Mabillonius, Annal. Bened. lib. 36, num. 8, tom. 3, pag, 99.

(2) Vide supra, pag. 242.

(3) Thomassinus, de vet. et nov. discipl. eccles, part. 1, lib. 3, cap. 33, num. 3, tom. 1, pag. 741.

reservatur tuitio privilegiorum adversus ipsum Ordinarium : « *Si vim,* inquit ipse Thomassinus (1), *pararet Cenomannensis Episcopus ad infringendas ejus abbatiae libertates,* monachi confugient ad Turonensem Metropolitanum, etc. » Siquis plura de his Episcopi Cenomanensis controversiis cum ascetis S. Carilefi cupiat, adeat Mabillonium, ipsa instrumenta fuse subministrantem (2).

Alterum exemplum paulo plus ad rem facit, si tamen aliquid ad rem facere possit. Est scilicet clausula quaedam Corbejensis privilegii, quam modo suo exponit Thomassinus (3), sed quae in ipso diplomate in haec sonat verba (4) : « Si reipublicae rectores..., quem eorem dominatio voluerit, illi praeposuerint congregationi (*agitur de* sola *libertate electionis*), monachi loci ejusdem Episcopum, ad cujus dioecesim monasterium pertinet obsecrent, ut aut per se ipsum, aut una cum eis ad Archiepiscopum Remensem referat, atque simul principem conveniant, et eum super transgressionis suae periculo commoneant. Quodsi Episcopus dioecesis illius aut propter timorem aut favorem principis, aut propter imprudentiam vel pastoralis curae negligentiam, ferre auxilium vel noluerit, vel contempserit, Fratres per se ipsos praefatum Archiepiscopum et vicinos Episcopos adeant, et necessitudinis suae causam eis manifestent utque sibi ferant auxilium supplicent. » His dein *sub anathematis poena jubetur,* ut Regem super electionis libertate violata commonefaciant. Atque id vocatur *subjectio* monachorum in his, quae ad tuendarum exemptionum causas pertinent! Rarissima sunt privilegiorum diplomata, quae similes clausulas contineant; adeoque (quantum recordor) unum tantum, praeter hoc Corbejense, mihi aliquando apud Muratorium, in Antiquitatibus Italicis medii aevi, obviavit privilegium, in quo statueretur ut Episcopus curam gereret ne concessae immunitates a quopiam violarentur. Secus pertinebat haec tuitio ad fundatores, ad advocatos monasteriorum, ad principes, ad Metropolitanum aut Synodum provincialem, et maxime ad Summum Pontificem. Generatim tamen id non scribebatur in ipsis privilegiis ; si tamen fundatores,

(1) Ibid. num. 8, pag. 742.
(2) Ann. Bened. lib. 36, num. 7 et seqq. tom. 3, pag. 97 et seqq.
(3) De vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 33, num. 8, pag. 742.
(4) Marini, Papiri diplomatici, pag. 22.

principes et Pontificem Romanum excipias, qui nonnumquam ut tutores et vindices factarum concessionum indicantur; sed vulgo satis habebatur imprecationes et anathemata violatoribus interminare; quin etiam non raro videre est anathemata intorta ab ipsis laicis et monachis.

24. Sed quid tandem huc usque tam operose agere conati sumus? Idem scilicet quod Zaccaria contra Febronium. Quum enim ille in Antifebronio plura congessisset ad exemptionum antiquitatem adstruendam exempla, reposuerat Myriophytanus Episcopus in Floribus sparsis (1) : « Non advertit Zaccaria modernas exemptiones alterius omnino generis esse quam primae illae in eo potissimum consistentes, ut monachi neque de reditibus rationem reddere Episcopo, nec permittere tenerentur ut Episcopus ad sacrum faciendum veniret in oratorium claustrale et monasticam solitudinem turbaret... Post haec multi Episcopi, Concilia, Reges, monachorum pietate tacti, vel ipsi eamdem indulserunt, vel ut Romae exemptionem impetrarent, auctores fuere. Fuit harum exemptionum solus finis ut monachi diversis vexationum generibus subtraherentur... Hactenus exemptiones ad infringendam auctoritatem canonicam Episcoporum minime suffragabantur... Nescio sane qua fronte Zaccaria immunitates et privilegia, monasteriis a tempore Gregorii M. usque ad sacculum x subinde concessa, quoad *substantiam*, quoad *fontem*, quoad *justitiam* et quoad *bonum ordinem* comparare velit cum iis, quae deinde monachos ab omni Episcoporum jurisdictione exemerunt. » Viden, eadem omnino sunt quae statuit Rev. Dominus. « Sed, respondit Zaccaria (2), haec nullo negotio repelluntur; » et indicat deinde pauca ex diplomatibus quae superius a nobis relata sunt et alia nonnulla addit.

(1) Cap. 7, § 5, de statu eccles. lib. sing. vindic. tom. 2, pag. 495 et seqq. edit. 1770.

(2) Antifebronius Vindicatus, diss. 10, cap. 4, Theologiae cursus completus, tom. 27, col. 1168.

CAPUT DECIMUM.

DE NECESSITATE CONSENSUS EPISCOPORUM PRO PRIVILEGIIS PONTIFICIIS.

1. *Contendit R. D. Verhoeven privilegiis saeculi* XI *suam epi scopis servatam fuisse jurisdictionem.*
2. *Ad saeculum* XI *refert disciplinam, quae* V *et* VI *saeculo jam vigebat.*
3. *Adstruit etiam saeculo* XI *Pontifices exemptionem tantum elargitos esse cum consensu et concessione Episcoporum.*
4. *Quaenam de eadem re doceant hostes Ecclesiae.*
5. *Ostenditur ex antiquissima disciplina nullum consensum requisitum fuisse pro exemptione monasteriorum, fundatorum in loco antea non sacro; secus pro aliis monasteriis.*
6. *Exemplum Perusinum, quod refert R. D. Verhoeven, a posterius monasteriorum genus pertinet.*
7. *Potuisset millena ejuscemodi exempla, etiam hodierna, re ferre.*
8. *Exemplo Perusino ne recte quidem stabiliri potest, decer ut Pontifex Romanus exspectet Episcopi consensum, prius quam exemptum declaret monasterium in fundatione Ordinario subjectum.*
9. *Ex aliis fontibus haec disciplinae pars haurienda est.*
10. *Saepenumero usi sunt Pontifices absoluta sua in omnes r sacras potestate.*

1. « Saeculo undecimo deinde, ait R. D. Professor (1) nu merum quartum ejusdem paragraphi tertii exordiens, mul monasteriis concessa leguntur privilegia; sed etiam in iis se servabatur Episcopis jurisdictio spiritualis. » Ex citatis ja diplomatibus judicare poterit lector de hoc asserto. Quae br vis responsio si non sufficiat R. D. Professori, superest ut

(1) Pag. 27.

quocumque velit pacto nobis significet, paratis ei texere elenchum *territoriorum exemptorum*, et *innumerorum* monasteriorum libertate Romana fruentium similibusque exemptionibus.

2. « Vel siqua, ita pergit (1), monasteria ei subtraherentur, id tunc cautum erat in ipsa fundatione monasteriorum, ita scilicet volentibus fundatoribus, qui ea Romano Pontifici prorsus subjiciebant. » Hanc disciplinam, quae Pontificum in eximendis monasteriis potestati tantopere favet, jam saeculo v et vi exstitisse fatetur Febronius (2), licet totus sit in adscribendis Pontificum juribus Collectioni canonum Isidorianae; quodsi meminisset R. D. Professor, qui se probaturum nuntiavit praesentem Ecclesiae disciplinam in remotissima fere antiquitate reperiri (3), eamdem sane ad saeculum xi non retulisset.

3. « Vel concessa ipsis fuit, ait dein (4), exemptio a jurisdictione episcopali, Regibus et Episcopis illud petentibus. » Id ita aliquando esse factum fatemur; sed quid non meminit Rev. Dominus id multo saepius fuisse factum, petentibus Abbate et monachis? Verum quo haec vergant, modo apparebit.

Concludit enim his verbis (5) : « Thomassinus ex hoc eodem saeculo monumentum quoddam profert, quo probat, Romanum Pontificem ne in Italia quidem abbatias Romanae Ecclesiae ut proprias sibi vindicasse, *nisi ubi assentiebantur Episcopi.* » In Concilio Romano, inquit, anni 1002, sub » Sylvestro II Papa, Pontifici ipsi controversiam fecit Episco- » pus Perusinus de Perusino monasterio. Repraesentavit » Pontifex libertatum instrumenta a praedecessoribus suis » collatarum. Responsum est ab Episcopo, numquam assensos » fuisse majores suos Perusinos. *Sine antecessoris mei consensu » privilegium illud factum est; si solum viderem consensum, » haberem inde aeternum silentium.* Tum vero universus cle- » rus Romanus vociferatus est, vidisse se litteras, consensum » adeoque et preces antecessoris ejus. *Vidimus autem* epistolam antecessoris tui, in qua et consensus erat, et precibus, » ut hoc fieret, postulabat. »

(1) Ibid. loc. cit.
(2) Vide supra, pag. 162.
(3) Vide supra, pag. 156.
(4) Pag. 27.
(5) Ibid. loc. cit.

4. Equidem non dubito quin haec expunxisset R. D. Verhoeven, si animadvertisset quam facile his concessionibus abuti possint Protestantes et Febroniani. Ut enim non meis sed alienis verbis illorum Ecclesiae hostium molimina exponam, Raphael Pacetti Dissertationem suam de exemptione personarum non regularium ab auctoritate episcopali, anno 1823 publico praemio Romae coronatam, exorditur generalibus quibusdam de exemptione animadversionibus; quarum omnium prima et initium totius opusculi sequens est : « Innumerabiles propemodum infelicissimis hisce temporibus in apostolicam Sedem circa rem, quam pertractare aggredimur, calumnias mordacesque objurgationes nedum Protestantes, verum etiam nonnulli, qui se Catholicos dicunt, evomere non erubescunt. Parce admodum et circumspecte, ajunt ipsi (Boehmerum (1) dico praesertim, necnon Febronium (2), Tamburinium (3), Eybel (4), et hujus furfuris alios) olim Sedem Romanam perpaucos suae jurisdictioni immediate subjecisse; neque id suo quodam jure; sed Episcoporum *concessione,* approbationeque synodali fecisse; temporis autem progressu factum esse, ut hujusmodi exemptiones latissime propagatae fuerint. » Haec ille laureatus pugil; in quibus advertendum est vocabulum *concessione,* quod maxime adversarium nostrum impetit, alio charactere in laudata Dissertatione esse excusum.

Jam vero quid, quaeso, agit R. D. Professor? Quid probare nititur? Exemptiones totales esse saeculo XI recentiores, easque tantum ex *concessione* Episcoporum a Romanis Pontificibus constitutas fuisse; hoc ingerit, hoc proclamat, hoc stabilire conatur. Quae quum nequaquam malevolo animo fiant, sed nimiae erga Thomassinum fiduciae debeantur, denuo patet quam infidus dux ille sit in praesenti argumento.

5. Ne tamen inultam relinquamus Romani Pontificis auctoritatem ejusque auctoritatis ab antiquissimis temporibus usum, paulo fusius de hoc Perusino negotio dicamus oportet. Imprimis duo rerum ordines valde diversi ab adversario hic confunduntur, quin tamen quidpiam ex hac confusione extundi

(1) Jus eccles. protestantium, lib. 5, tit. 33 de privilegiis et excessibus privileg.

(2) De statu eccles. cap. 7, § 7.
(3) Vera idea della S. Sede, cap. 2.
(4) Quid est Papa?

queat. Antiquissimi scilicet canones et disciplina, tum in Oriente tum in Occidente recepta, ferebant, quemadmodum saepissime jam vidimus (1), ut liceret fundatoribus *monasterium, in territorio libero seu ad Ecclesiam quamdam non pertinente constructum*, cuivis Episcopo, maxime Archiepiscopis, Patriarchis et Pontifici Romano subjicere. Desuetudine quidem Episcopi et Archiepiscopi paulatim amiserunt jus admittendi has subjectiones, quae exemptionem ab Episcopi dioecesani auctoritate involvebant; sed Patriarchae Orientales et Summus Pontifex id semper retinuerunt. Porro, cujus ditioni primitus subjectum fuerat asceterium, in ejusdem jure remanebat, donec is *concederet* ut monasterium alterius fieret; quam concessionem expectare decebat ipsum Summum Pontificem, nisi secus exigerent rerum adjuncta. In his vero duo valde distincta esse quis non videat? Libertatem nempe omnimodam, ut *sine ulla* Episcopi *concessione* monasterium, in loco libero constructum, Pontifici subjiceretur; deinde vero *decentiam exspectandae hujus concessionis*, quum monasterium a jure Episcopi ad jus papale transferretur.

6. Age vero in negotio Perusini S. Petri monasterii agebatur de posteriori hac disciplinae parte servanda, nequaquam de priori, ut liquet ex Vita B. Petri, Abbatis Perusini. Etenim locus, in quo Perusinum constructum fuerat monasterium, non erat liber, sed sacer et ad episcopatum Perusinum spectans : « Non longe autem a civitate, inquit B. Petri biographus (2), *ecclesia quaedam* sita ad honorem beati Apostoli Petri fuerat in loco dicto Monte Calvario, *in qua episcopatum* (Perusinum) *priscis fuisse temporibus nonnulli dicunt*, quae a paganis destructa fuerat, eamque sanctus vir reaedificare satagebat, si supradictus Praesul (*Perusinus, Honestus nomine*,) sineret. » Et pergit dein biographus ecclesiae reaedificationem et monasterii in eodem fundo constructionem enarrare.

Ast quaero jam, si rudera pristinae ecclesiae alicujus cathedralis adhuc superessent, et regulares aliquot exteri venirent in patriam, eisque concederet Episcopus, ut sibi monasterium in dirutae ecclesiae fundo aedificarent; nonne secundum dictam disciplinam monasterium in potestate esset Episcopi,

(1) Vide supra, pag. 156. et seqq. 6, part. 1, append. pag. 762.
(2) Act. SS. Ord. S. Bened. saec.

nisi hic suo jure cederet? Quodsi cedat, et dein pereant cessionis instrumenta, quid mirum si post semisaeculum novus Episcopus contendat id monasterium penes se debere esse, causam ad tribunalia Romana deferat, ibique verba faciat quae ex ore Perusini Episcopi excepimus?

7. Ut autem adhuc magis pateat quam male id Perusinum negotium hoc loco proponatur, non dubitamus asserere Rev. Domino non dicendum fuisse : « Thomassinus ex hoc eodem saeculo XI monumentum quoddam profert, quo probat, Romanum Pontificem ne in Italia quidem abbatias Romanae Ecclesiae ut proprias sibi vindicasse, nisi ubi assentiebantur Episcopi; » sed plane, ut secum constaret, sic fuisse loquendum : « Thomassinus ex hoc eodem saeculo XI monumentum quoddam profert, *cui integra volumina, conflata ex Bullis Pontificum omnium fere saeculorum et ex tribunalium Romanorum decisionibus, addere potuisset,* quo probat *et quibus eodem jure probare potuisset* Romanum Pontificem ne in Italia quidem *aut alibi* abbatias Romanae Ecclesiae ut proprias sibi vindicasse, nisi ubi assentiebantur Episcopi. » Ne vero ipse haec integra volumina congeram, satis habebo lectorum oculis subjicere Bullam Benedicti XIV, qui in discutienda exemptionis causa citat hanc ipsam controversiam Perusinam. « In hisce terminis, inquit (1), disserens de causa capituli Bruchsalensis, quod locum occupabat veteris monasterii fundati a S. Brunone, Trevirensi Archiepiscopo, in hisce terminis versatur species facti, quae agitata et discussa est in Concilio Romano, quod habitum est coram praedecessore nostro Romano Pontifice Silvestro II anno 1002. Asserebat Abbas S. Petri de Perusio, se frui omnimoda exemptione a jurisdictione Episcopi ejusdem civitatis, vi ac ope privilegiorum, quae sibi a Summis Pontificibus concessa fuerant. Mandavit Pontifex ut ea ederentur, et deinde Synodus sententiam suam proferret : « Veniant privilegia nostrorum antecessorum » Paparum; et, his perlectis, censeant Fratres Coepiscopi, » quae sit aequitatis rectitudo. ».... Ait Episcopus : « Privi- » legia haec non reprobo; sed sine consensu praedecessoris » mei, cujus temporibus illud prius privilegium factum est.

(1) Bullarium Benedicti XIV, edit. Mechliniens. tom. 2, constit. 40, vol. 5, pag. 333,

» factum fuisse dico : si solum viderem consensum, haberem » inde aeternum silentium. » Episcopi autem oppositioni universus clerus respondit, consensum intervenisse, et a se visum ac lectum fuisse... Prolata est deinde sententia secundum Abbatis petitionem, impositumque est silentium Episcopo ejusque successoribus. Haec omnia recensentur ab Ughellio (1) et in Collectione Labbeana (2). » Atque haec refert Benedictus XIV ad adstruendum « Romanum Pontificem, licet ex potestate absoluta, etiam sine consensu Episcopi, monasterium plenarie ab ejus jure subtrahere possit, tamen, exceptis quibusdam particularibus casibus, ea absoluta potestate uti non consuevisse. »

8. Verumtamen, licet haec propositio, (intellecta de consuetudine Romana, quae ab Adeodati temporibus viguit), generatim vera sit, fateri liceat eam nobis non videri ex hac Perusina causa recte deduci posse. Nam si ipsos adeamus notariorum commentarios, quos citati Ughellus et Labbeus ediderunt et Dacherius (3) et Mabillonius (4) secuti sunt, nihil ibidem quod ad hanc consuetudinem adstruendam valeat reperimus. Re quidem vera Conon, Perusinus Episcopus, postquam se purgasset ab impactis criminibus, parum majestatis et auctoritatis pontificiae reverens et nonnihil ira commotus, ait : « Tu mihi ecclesiam Perusinam commisisti, et ut ego ne illam imminuerem, neque imminui consentirem, me fecisti jurare. Monasterium illud, quod iste Abbas tenet, ad meum episcopatum proprie pertinet, et nulli alteri subjacebit : si lex inde fieret, vester apostolatus nullam specialitatem (*jurisdictionem specialem*) in eo haberet. » Quis autem haec probet? Contendit sibi ne quidem licitum esse consentire; juravit enim. Denegat Romano Pontifici absolutam in res ecclesiasticas potestatem : « Si lex inde fieret, vester apostolatus nullam specialitatem in eo haberet. » Quid quaeso elicere licet ex tam temeris et inverecundis assertis?

Sane ea non probavit Silvester II; sed multa animi moderatione quaestionem ad verum suum statum revocavit, significans Cononi, ei nullam secum esse controversiam de nova

(1) Italia sacra, tom. 9, col. 918.
(2) Collect. concil. tom. 9, append. col. 1247.
(3) Act. SS. Ord. S. Benedicti, saec. 6, part. 1, pag. 70.
(4) Annal. Bened. lib. 52, num. 30, tom. 4, pag. 149 et seq.

aliqua acquisitione; hic non agi de ejus consensu aut dissensu; sed rem dirimendam esse ex veteribus privilegiis Pontificum : « Ego monasterium Ecclesiae tuae neque subtraxi, neque subducere feci; sub jure et dominio Ecclesiae nostrae illud inveni, et ita possessum usque nunc tenui. Veniant privilegia nostrorum antecessorum Paparum etc. »

Prolatis ergo in medium privilegiis, Joannis scilicet Papae atque Gregorii, Conon, qui paulo ante contenderat *se non posse consentire,* jam concedit *antecessorem suum potuisse consentire,* aitque se haec privilegia non reprobare, sed sine decessoris consensu facta esse; quodsi consensus iste sibi exhiberetur, se aeternum hinc habiturum silentium. Quibus auditis, clerus sanctae Romanae Ecclesiae, id est Cardinales, usi *argumento ad hominem,* responderunt se vidisse hunc consensum, quin etiam preces. Hinc Conon, verbis suis captus, monasterium « domino suo Silvestro Papae refutavit et praefato Abbati pacis osculum attribuit. » Unde, quum litigantes partes inter se convenissent, non ultra in principia, quibus niteretur Conon, inquisitum est : quod quotidie adhuc fit apud omnia tribunalia. Unde siquid colligere liceret ex verbis Cononis : « Si solum viderem consensum, haberem inde aeternum silentium, » quoniam scilicet ea non confutavit Papa aut clerus Romanus; eodem jure ex aliis ejusdem Cononis dictis deduci posset, Episcopum non posse consentire ut monasterium a suo jure transeat sub dominium Ecclesiae Romanae, et quidquid statuat de hac re Pontifex aut Concilium, id irritum et nullum fore : haec quippe impune etiam prolata fuere a Cononc. Quocirca eliminandum nobis videtur negotium istud Perusinum ex argumentis quibus stabiliatur praemissa Benedicti XIV propositio.

9. Et sane aequitas et suavitas apostolici regiminis, institutio Synodorum et dein sacrorum tribunalium, confectio canonum et decretalium epistolarum, satis ostendunt mentem Ecclesiae Romanae nullo tempore fuisse ut pro absoluta sua auctoritate controversias dirimeret, sed eas secundum juris apices dijudicaret, eamque Ecclesiarum jurium non esse usurpatricem, sed moderatricem potius et benevolam patronam.

Hinc tamen non fit ut ante et post Silvestri II tempora numquam sibi vindicarit Pontifex abbatias episcopales, absque

consensu Episcoporum; nam, ut monuit Benedictus XIV, *in quibusdam casibus particularibus* id pro absoluta sua ditione facit, omnique tempore fecit. Quum enim arbitratur id cessurum in majorem regularium quietem, aut alia rationabilis eum ad id inducit causa; jam facilius, jam difficilius, pro temporum varietate, non dubitat suam explicare potentiam. Quo pacto ex Jona, teste oculato et omnibus accuratissimo habito, intelleximus (1) monasterium Bobiense, repugnante Episcopo, sub jus pontificium transiisse; similiter plura alia retulimus exempla; adeoque ex testimonio Adeodati collegimus, aliquandiu ante ejus pontificatum morem et traditionem Ecclesiae Romanae fuisse ut quam facillime Romana libertas monasteriis episcopalibus concederetur; sed postea hunc morem cessasse, adeo ut tantum cum Episcoporum consensu ab horum ditione eximerentur.

10. Nihilominus quum Episcopi premerent monasteria, non frustra Romam recurrebatur, ut habemus ex S. Gregorii VII, cujus verba placet denuo lectorum oculis subjicere : « An ignoras, inquit, Episcopum Taurinensem alloquens (2), an ignoras quod sancti Patres plerumque et religiosa monasteria de subjectione Episcoporum, et episcopatus de parochia metropolitanae sedis propter infestationem praesidentium diviserunt; et, perpetua libertate donantes, apostolicae Sedis velut principalia capiti suo membra adhaerere sanxerunt? » Quis autem crediderit *consensum praesidentium* accessisse, quum monasteria et episcopatus eximerentur *propter infestationem praesidentium?* Hactenus de isto consensu; de quo caeterum videri possunt scriptores novi Tractatus de re diplomatica (3), et de quo verba Cardinalis Bathiani, inferius exhibenda, probe ponderari merentur.

(1) Vide supra, pag. 219.
(2) Lib. 2, epist. S. Gregorii VII, epist. 69, Labbe, Collect. Concil. tom. 10, col. 120 et seq.
(3) Tom. 5, pag. 379.

CAPUT UNDECIMUM.

DE NOVITATE ET CAUSIS, QUAS R. D. VERHOEVEN ASSIGNAT PRIVILEGIIS REGULARIUM IN EXCIPIENDIS CONFESSIONIBUS ET ANNUNTIANDO DEI VERBO.

1. *Tradit R. D. Verhoeven ex documentis authenticis non constare regulares ante saeculum* XIII *ex auctoritate pontificia expiasse poenitentes et annuntiasse Dei verbum.*
2. *Exponitur status quaestionis.*
3. *Referuntur documenta authentica ex saeculo* VI, *quibus assertum R. D. Professoris convellitur.*
4. *Refertur documentum authenticum ex saeculo* IX.
5. *Referuntur documenta authentica ex medio saeculo* XI.
6. *Referuntur documenta authentica ex exeunte saeculo* XI.
7. *Referuntur documenta authentica ex ineunte saeculo* XII.
8. *Referuntur documenta authentica ex adulto saeculo* XII *et ineunte* XIII.
9. *Gregorius IX non concessit similia privilegia ut* nova *et* inaudita.
10. *Plura praetermittuntur.*
11. *Discutitur testimonium Matthaei Parisii, quod opponi solet.*
12. *Ita loquitur R. D. Verhoeven ac si Romanus Pontifex non esset immediatus pastor omnium Christi fidelium. Confutatur hic loquendi modus.*
13. *Asserit R. D. Professor tradi a S. Bonaventura haec privilegia concessa fuisse propter negligentiam Episcoporum et parochorum.*
14. *Ostenditur S. Bonaventuram de alia omnino re loqui, et hoc ipso loco a S. Doctore confutari R. D. Professoris principium de ministerio sacro regularium.*
15. *Tradit S. Bonaventura suo tempore communiter clericos in Anglia, vel Francia, vel alibi litteratos fuisse, clericaliter vixisse et subditos suos bene rexisse.*
16. *Pontifices concesserunt haec privilegia ob utilitatem Christi fidelium.*

17. *Docet R. D. Verhoeven haec privilegia concessa fuisse a Pontificibus ex amore erga Ordines, in quibus educati fuerant. Quam parum ei suffragetur Cardinalis Petra.*
18. *Pontifices aliam omnino his privilegiis assignant causam.*
19. *Vetera haec privilegia non desiderantur a regularibus; sed nequaquam sunt culpanda.*

1. Vix tactis privilegiis saeculi XI, saltu facto, pergit Rev. Dominus ad privilegia, FF. Praedicatoribus et Minoribus aliisque concessa; quibus Pontifices Romani facultatem fecerunt auctoritate S. Petri et sua verbum Dei praedicandi et confessiones audiendi, quin Ordinarii eis jurisdictionem impertirentur et parochi paroecianis suis licentiam darent eorum ministerio utendi.

Hoc loco, non secus ac alibi, oblitus se pollicitum esse ostendere « praesens jus non novum esse aut recenter introductum, sed in remotissima etiam antiquitate fere idem reperiri (1), » numerum v exorditur verbis sequentibus (2) : « Quod autem in hac de privilegiis disquisitione novisse *nostra praesertim refert,* hoc est, *quandonam* et *quas ob causas* privilegia fuerint regularibus concessa, quorum vi functiones sacras, audiendi scilicet saecularium confessiones et praedicandi verbum Dei, persolvere potuerunt. Qua in re illud quidem statuendum esse videtur, authenticis documentis non constare, regulares privilegio hujus generis a Summis Pontificibus donatos fuisse ante saeculum XIII. Tunc temporis autem regularibus Ordinum Mendicantium, Franciscanis et Dominicanis, et deinceps aliis etiam, facultates concessae fuerunt confessiones excipiendi injussu Episcoporum et parochorum. Non quidem omnino liberi erant a petenda facultate Episcopi; at ubi ipse eam licentiam non daret, regularibus nihilominus fas erat, Episcopo etiam invito, confessiones excipiendi. » In hac re Rev. Domino adstipulantur Van Espen (3) et Febronius (4), nixi testimonio Matthaei Parisii (5), nisi tamen corrupta sit ejus Historia Anglicana.

(1) Pag. 1.
(2) Pag. 28.
(3) Jus eccles. univ. part. 2, sect. 1, tit. 6 Opp. omn. tom. 1, pag. 458.
(4) De praesenti statu ecclesiae, liber singularis, cap. 7, § 7, num. 2, tom. 1, pag. 590, Bullioni, 1765.
(5) *Inauditum privilegium. his etiam ipsis temporibus novum.* Ad annum 1246.

2. Ut autem latentes hic errores deprehendantur, nequaquam opus esse arbitramur ostendere ab antiquissimis temporibus Romanos Pontifices usos esse ordinaria sua in universam Ecclesiam omnesque fideles auctoritate, mittendo Nuntios et Vicarios apostolicos, perpetuos aeque ac temporaneos; conferendo ecclesiastica munia; admittendo ad Romana poenitentiae tribunalia extraneos peregrinosque ex Anglia, Gallia, Germania aliisque dissitis locis poenitentes; certos reservando casus, a quibus ipsi soli peccatores absolverent; quaquaversum ad infidelium regiones destinando missionarios : haec enim omnia facile nobiscum admittet R. D. Professor, neque negabit saepius ad haec officia adhibitos fuisse religiosos viros. Dabit etiam ab antiquissimis temporibus monachos in Ecclesia Orientali solos fere fuisse adhibitos ad excipiendas poenitentium confessiones; et similiter in Ecclesia Occidentali pluribus saeculis ante Mendicantium ortum laicos et clericos ad monachos confessarios turmatim confluxisse; neque diffitebitur maximam partem tum Europae, tum Asiae, tum Africae (ut omittatur America et sparsae per Oceanum insulae) quae in Christum credit, ab ascetis, monachis aliisque regularibus ad Christum conversam fuisse. Haec omnia missa facere licet, quum unice agatur de facultate praedicandi divini verbi, excipiendarumque confessionum *ex auctoritate apostolica,* in dioecesibus jam pridem erectis, independenter ab Episcoporum jurisdictione : unde, ut ruat R. D. Professoris assertum, sufficiet aliquot indicare exempla, quae *authenticis documentis* fulciantur, atque hujus facultatis mentionem faciant. E pluribus pauca seligamus.

3. *Authenticum documentum* est Dialogi S. Gregorii Magni, maxima veneratione in Ecclesia quum Latina tum Graeca semper suscepti : ex his habemus S. Equitium, Abbatem Provinciae Valeriae, qui, divino instinctus spiritu, licet sacrum ordinem non haberet, per singula loca discurrebat et studiose praedicabat. Hinc accusatus a clericis, a Pontifice, qui tum Petri Cathedram occupabat, accersitus est; sed, priusquam advenisset, Papa coelitus monitus sententiam mutavit, eique permisit ut, sicuti antea, *per ecclesias,* per castra, per vicos, per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret et corda audientium ad amorem patriae coelestis excitaret. Quae multo fusius digesta apud S. Gregorium M. videat lector.

Authenticis documentis plurimis constat S. Gregorium Magnum misisse S. Augustinum Abbatem cum monachorum corona in Angliam, ut ibidem, licet plures adessent Episcopi Britanni, *pro se praedicarent* (1), et tardius tantum eumdem S. Augustinum creatum fuisse Cantuariensem Episcopum et totius Angliae Primatem (2).

4. *Authenticum documentum* est diploma Gregorii Papae IV, per quod anno 836 Rabano Mauro, Fuldensis Abbatiae Rectori, concessit cum multis aliis privilegiis facultatem *praedicandi verbum Dei auctoritate S. Petri Apostoli, et sua ejus indigni vicarii.* En ipsa verba (3) : « Concedimus etiam tibi, quem bene eruditum, et bene eloquentem virum esse novimus, dulcissime fili, *praedicare verbum Dei auctoritate S. Petri Apostoli et nostra* ejus indigni vicarii; et ut tam vos, quam successores vestri ante omnes Abbates totius Galliae seu Germaniae primatum sedendi in omni loco, conventuque, sive judiciali sententia, seu in omnibus Conciliis ac ordinibus nostra apostolica auctoritate obtineatis. Abbas vero nonnisi ab apostolica Sede benedicatur, a qua benedici debet; nec umquam ab aliquo Episcopo consecrationem expetat, nisi a Romano Pontifice; nec consecratus ad aliud monasterium in Fuldensi introducatur, vel praeponatur monasterio. Usum quoque Dalmaticae, caligarum et *sandaliorum,* secundum quod ab antecessoribus nostris concessum est, vobis concedimus. » *Sandalia* porro insigne erant *majoris* seu *episcopalis praedicationis;* et Episcopis ita propria, ut quum episcopatum abdicarent, ea cum annulo suo ad Metropolitanum aut Summum Pontificem remitterent, ita testantes se non amplius Ecclesiae suae sponsos esse, neque de iis amplius dicendum : « Quam pulchri sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. »

5. *Authenticum documentum* est Vita S. Gervini, medio saeculo XI Abbatis S. Richarii, seu Centulensis, quam Hariulfus, Centulensis monachus et testis oculatus, inseruit suo Chro-

(1) Epist. S. Gregorii M. lib. 11, epist. 46, tom. 2 Opp. col. 1150. Vit. S. Augustini episc. Cantuar. num. 4, Act. SS. Ord. S. Bened. saec. 1, pag. 505.

(2) Mabillonius, Annal. Bened. lib. 9, num. 13, tom. 1, pag. 224 et lib. 10, num. 26, tom. 1, pag. 255.

(3) Calles, Annal. eccles. German. lib. 4, num. 13, tom. 3, pag. 276; Gretserus, Opp. omn. tom. 10, pag. 692, edit. Ratisbonnensis.

nico. In eo autem legimus (1), tantum illi fuisse ardorem ad lucrifaciendos Deo homines ut non tantum vicinos corrigeret « sed etiam Neustriam et Flandriam, Galliam quoque et Aquitaniam, necnon Hungariam, pia gyrans sedulitate, crimina eorumque confessiones acceptans Apostoli opus perexpleret. Vidimus persaepe, inquit Hariulfus, cum esset in Centulo apud gloriosum Confessorem Richarium, totius diei spatium absque omni corporali edulio infirmis animabus mederi. Erat enim super hoc officio ei deputata cellula, quam Fratres *confessionem* vocabant, in qua vir beatus multorum per confessionis humilitatem et suae precis interventionem divinae misericordiae restituit animas. » Sed ex invidia clerici multi nostrum Equitium (2) carpebant, « *cur absque Apostolici licentia* (non inauditum itaque tunc erat ut Apostolicus seu Papa similes licentias concederet) *homo non Episcopus praedicare auderet et peccatorum confessiones seu conversiones cur praesumptor non sui officii inquireret,* oblatrantes. » Hoc enim tempore non semper presbyteri poenitentes absolvebant, sed post auditas confessiones et data spiritualia monita remittebant eos ad Episcopos, qui brevibus excepta eorum confessione eos absolvebant. Hinc Romam accitus est a S. Leone IX, cui sanctus vir rationem reddidit de suo ministerio deque negligentia Fulconis Ambianensis Episcopi, non animabus sed avibus et feris venandis intenti. His exceptis, sanctus Pontifex : « *Christi Domini nostri,* inquit, *et beati Petri Apostoli ac nostra non solum auctoritate, sed etiam deprecatione concedimus et imperamus, te in recipiendis scelestorum confessionibus et tradenda poenitentia nostri officii participium tenere, et quae ligaveris, Christi Domini auctoritate ligata, et quae solveris, ejusdem Domini miseratione sint soluta.* » Obtulit ei dein sandalia, episcopalis praedicationis insigne; sed ea recusavit S. Gervinus, sibi sufficere inquiens apostolicae licentiae auctoritatem. « Multimodo igitur favore Pontificis auctus, concludit Hariulfus, regreditur et coeptum Domini opus quo liberius eo melius *latiusque* reincipit exercere. »

Authentica documenta sunt Vita S. Gualteri, fundatoris et

(1) Chronic. Centul. lib. 4, cap. 27, Spicilegium Dacherii, tom. 2, pag. 348, edit. 1723.

(2) Vide supra, pag. 256 Cfr. Dialogi S. Gregorii M. lib. 1, cap. 4, tom. 2 Opp. col. 168 et seq.

Abbatis Stirpensis (1), necnon Chronicum Willelmi Godelli, monachi S. Martialis Lemovicensis (2), ex quibus habemus S. Gualterum « a Romanae Sedis Episcopo Victore (II, qui ab anno 1055 usque ad annum 1057 Petri cathedram tenuit), potestatem accepisse, etiam de criminibus judicare et poenitentibus Ecclesiam pro suae discretionis arbitrio vel claudere vel aperire. » Qua potestate quam suaviter et discrete erga poenitentes peccatores egerit tradit etiam ejus biographus.

6. *Authenticum documentum* est epistola Alexandri II ad S. Hugonem Cluniacensem, inter annum 1061 et 1073 data; qua Cluniacum factum est « perpetuum divinae miserationis et pietatis refugium, et *apostolicae* benedictionis et *absolutionis* praesidium (3). »

Authenticum documentum est Affligemiensis in Belgio monasterii Historia, quam secundum narrationem oculatorum testium scripsit monachus suppar primis istius asceterii coenobitis, ut ipse testatur (4). Narrat autem hic chronographus (5) : « Eo itaque tempore, quo dissidium ortum est inter Papam Gregorium, qui alio nomine Hildebrandus dictus est, et Henricum IV hujus nominis Imperatorem,... pius Dominus... *plures religiosos* suo spiritu inflammatos excitavit.... Horum unus fuit Wedericus sacerdos et *monachus* sancti Petri Gandensis coenobii, vir saeculari nobilitate et, quod majus est, divina religione valde conspicuus, qui *apostolicae auctoritatis licentia roboratus, Flandriam et Brabantiam provincias circuibat, verbum Dei disseminando et populum Dei a peccatis sua praedicatione convertendo.* »

Authentica documenta sunt epistolae S. Gregorii VII, Vita S. Anastasii Devotensis, Chronicum Trenorchiense, editum a Chiffletio in Historia Trenorchiensi, et alia monumenta, quae in Commentario praevio ad Vitam S. Anastasii (6) laudata fuere et ex quibus constat S. Gregorium VII misisse monachos Cluniacenses in Hispaniam praedicationis causa, ad ritus Mozarabicos Romanis commutandos, et ad sociandos milites Bur-

(1) Act. SS. ad. 11 Maji, Vit. S. Gualteri, cap. 3, num. 13, pag. 705. Cfr. Gallia Christ. nov. tom. 2, col. 620.

(2) Ap. D. Bouquet, Recueil des hist. de France, tom. 11, pag. 283.

(3) Labbe, Collect. concil. tom. IX, col. 1148 et seq.

(4) Hist. Affligem. Praefat. Dacherius, Spicilegium, tom. 2, pag. 769.

(5) Ibid. pag. 770.

(6) Acta SS. ad 16 Octob. pag. 1131 et seqq.

gundiae ibidem praeliaturos. Sed quum pleraque haec alibi jam evoluta sint, neque placeat crambem coctam recoquere, diutius his non inhaeremus.

7. *Authenticum documentum* est Vita B. Bernardi, Congregationis Tironiensis fundatoris, conscripta ab ejus discipulo Gaufrido Grosso. In ea legimus sanctissimum virum Romam perrexisse pro sui S. Cypriani monasterii negotiis et secundum ejus preces latum fuisse a Cardinalibus judicium. « Hocque judicium, inquit (1) coaevus ejus biographus, qui quae vidit suis oculis aut ex ore B. Bernardi audivit referre solet, hocque judicium Apostolicus confirmans... multis precibus hoc ab illo obtinere voluit, ut cardinalis sacerdotii dignitatem susciperet... Sed Bernardus... ut... ad solitudinem redire liceret petiit; quod multis supplicationibus vix tandem impetravit, Papa autem tantae constantiae tantaeque sanctitatis hominem,... ei hujusmodi officium injunxit : scilicet *ut populis praedicaret, confessiones acciperet, poenitentias injungeret, baptizaret, regiones circuiret, et omnia quae publico praedicatori sunt agenda solicitus expleret.* At postquam ei *vicem apostolatus* tradidit, nolens ut *Apostolorum vicario,* quem sine pecunia ad praedicandum destinabat, victus deficeret; monuit ut ab illis cibum corporis acciperet, quos verbo salutis reficeret; volensque a seipso incipere, ad prandium invitavit : et quoniam diu Romae moratus est, participem suae mensae quotidie constituit. » Haec Mabillonius ad annum 1106 referenda censet (2). Praedicabat autem B. Bernardus et reliquum sacrum ministerium exercebat per magnam Galliae partem, maxime in Normannia.

Authenticum documentum etiam est Vita S. Ayberti, monachi Crispiniensis, composita a Roberto, Archidiacono Osterbantiae, scriptore coaevo; qui, priusquam beati viri gesta in publicum emitteret, ea corrigenda porrexit Alviso, Atrebatensi Episcopo, laudatissimoque Praesuli. « Illos quoque, sic loquitur sincerus biographus (3), qui *causa confessionis* adveniebant, prius quasi juramento astringebat, ut, audito consilio suo, ad Episcopos redirent, eadem flagitia eis confessuri. Quos equidem videbat pertinaces et obstinatos et jurantes se nulli alii

(1) Vit. S. Bernardi Tironiensis, cap. 7, num. 59, Act. SS. tom. 2, Aprilis, pag. 236.

(2) Annal. Bened. lib. 71, num. 17, tom. 5, pag. 463.

(3) Act. SS. tom. 1. April. pag. 678.

sua crimina relaturos, timens ne in baratrum desperationis inciderent, si eos non audiret, tandem improbitate eorum devictus, *ad confessionem eos recipiebat*, secundum modum scelerum medicamentum poenitentiae injungens, nec tamen desistens fortiter persuadere et vehementer adjurare, ut turpia quae ei detexerant suis Episcopis non celarent; alioquin gravem et fere importabilem poenitentiam eis imponebat; quo modo utique eum, oblique subsannantes et mordaci dente sua facta carpentes, non debere facere mentiebantur. Attamen a domino Papa Paschali (*II, qui sedit ab anno* 1099), per dominum Odvinum, Abbatem S. Gisleni, *mandatum accepit, ut omnes ad se venientes ad confitendum enormitatem suorum facinorum alacriter audiret*, et secundum quantitatem reatuum modo poenitentialis medicamenti eos oneraret : dein hoc idem ei a (*domino Honorio II, qui sedit ab anno* 1124, *et*) a domino Papa Innocentio (*II, qui sedit ab anno* 1130), injunctum est. Unde ex supra dictis colligere possumus, quam multi ei suas spurcitias detexerunt; qui numquam alicui alii revelassent, cum suis iniquitatibus potius perituri. *Tantus autem concursus populorum, undique venientium*, plerumque confluebat ad eum, ut locus ille, in quo morabatur vir Dei, sic ex omni parte circumdaretur, sicut aliquando castella vel urbes solent ab hostibus obsideri,... ut vix modicum posset comedere et paululum quiescere;... et ut plures... non locum habere valentes... abhorrenda flagitia publice... confitentes vociferarentur. »

8. *Authenticum documentum* est epistola Innocentii II, ad hunc ipsum S. Aybertum anno 1131 data; quam recitare lubet, ut cognoscatur forma concedendae hujus pontificiae jurisdictionis : « Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, carissimo filio suo Ayberto, monacho et recluso, salutem et apostolicam benedictionem. Quia veridica relatione comperi, te a praedecessoribus meis Paschali et Honorio licentiam accepisse poenitentiam dare et absolutionem facere confitentibus peccata sua; eamdem tibi potestatem auctoritate Dei et beati Petri Apostoli et nostra concedimus, rogans dilectionem tuam, ut memor sis nostri in orationibus tuis... Omnes vero te visitantes in eundo et redeundo pacem ex toto habere praecipimus; in eos autem, qui in eis manum injecerint, gladium excommunicationis, quoad resipuerint et tibi satisfecerint,

exerimus. Vale. Data Remis XII kalendas Novembris (1); » quum ibidem anno 1131 Concilium celebraret Innocentius II.

Documentum authenticum est opusculum XIX S. Thomae Aquinatis, qui hanc fere difficultatem, quam movit R. D. Professor, confutans, ait (2): « Unde et Innocentius III ante Concilium generale (*Lateranense anni* 1215) quosdam Cisterciensis Ordinis misit ad praedicandum in partibus Theolosanis. »

Anthenticum documentum est canon LX Concilii generalis Lateranensis IV, quo quidem graviter objurgantur nonnulli Abbates, sed quo simul liquet tunc temporis fuisse Abbates, qui non tantum privatas sed etiam publicas poenitentias (quod munus ad solos Episcopos pertinebat (3),) ex *speciali concessione vel alia legitima causa* imponere poterant. Quin etiam nonnulli de causis matrimonialibus cognoscebant (4).

9. *Authenticum* demum *documentum* est narratio Thomae Cantipratensis, ex Ordine S. Dominici et Episcopi suffraganei Cameracensis, ex qua constat mentem Gregorii IX nequaquam fuisse *nova* et *inaudita* conferre privilegia. Ille enim scriptor coaevus, qui utique res sui Ordinis novisse censendus est, « de augmento privilegiorum Praedicatoribus concessorum » agens : « Dominus Papa Gregorius, inquit (5), Fratri Joanni dicto de Argentina, quondam Bosnensi Episcopo, Magistro Praedicatorum Ordinis facto, cum magna devotione dixit : Me tibi, carissime, quasi pro incude Papam orbis constituo, linguam autem tuam pono pro malleo, ut secundum omnia privilegia, quae Ordini tuo expediunt, vel etiam quae aliis religiosis quibuscunque usque in praesens concessa sunt, scribi facias et bullabo. Nec mora, Magister Ordinis et qui cum eo erant Fratres, *omnibus registris Apostolicorum inspectis,* omnia privilegia, quae sibi commoda et utilia pro confirmatione Ordinis essent, vel fore possent, consensu Fratrum Cardinalium et curiae bullata et subscriptionibus insignita solemniter acceperunt. »

10. *Authenticis* his *documentis* addere possemus plura alia;

(1) Act. SS. ad 7 Aprilis, loc. cit. in Annotatis.

(2) Contra impuguantes Religionem, cap. 4 in fine. Opusc. pag. 256, Parisiis, 1634.

(3) S. Bonaventura, Centiloquium, part. 3, sect. 51, tom. 5 Opp. pag. 182, edit. 1754, et alii passim.

(4) Catalanus, Concil. oecum. illust. tom. 2, pag. 360 et 364.

(5) Mirac. et exempl. sui temporis. lib. 2, cap. 57, num. 44, pag. 573. edit. Colvenerii.

dein his accensere territoria exempta; non secus ac monasteria, quae a quocumque Episcopo accipere poterant quae sunt muneris episcopalis, ut liquet ex diplomate, quod circa annum 972 concessit Joannes XIII monasterio Ticinensi, statuens (1) ut « baptismus etiam in eisdem ecclesiis monasterii licenter fieret *apostolica auctoritate;* » tertio praedicatores Cruciatae et monachos qui exercitum, ministerii sacri exercendi ergo, comitabantur ; quarto, verisimiliter, idque ab antiquissimus temporibus, confessarios Regum saltem Francorum, plerosque monachos ; Chardon, qui exemplum S. Ayberti tantummodo allegat, testatur circa idem tempus *plures* in historiis reperiri viros qui ex licentia Pontificum Romanorum in alienis dioecesibus verbum Dei annnuntiarent et confessiones audirent, quin ulli paroeciae devincirentur (2).

11. Postquam autem symbolam nostram contulimus ad avertendum ab usu illius partis jurisdictionis pontificiae incusationem novitatis impactam ab Espenio et Febromio, et minus caute renovatam a R. D. Verhoeven; remanet nos haec sparta, ut adscripta Mathaeo Parisio verba ad crisim vocemus : nam, licet R. D. Professor scripserit « *authenticis documentis non constare*, regulares privilegio hujus generis a Summis Pontificibus donatos fuisse ante saeculum XIII, » verisimillimum tamen est potius ei fucum factum fuisse Parisii dictis quam defectu *authenticorum documentorum.* Imprimis evidens est Parisii testimonium, quo Gregorii IX « inauditum privilegium, his etiam ipsis temporibus novum » adstruitur, nil posse contra certa historiae monumenta, de quibus ad summum dici posset ea Parisio incognita fuisse. Deinde Parisii Historia Anglicana, qualis edita fuit, nullius est auctoritatis, quam primum de Romana Sede vel de religiosis Mendicantibus sermo est; adeo ut vulgo *maledicentissimus* audiat. Quin etiam hoc ipso loco, ubi illa verba reperiuntur, fuse loquitur de turbis, quas id privilegium excitasset, deque omnium Episcoporum et clericorum Angliae simultate; dum tamen prorsus contrarium constat ex constitutionibus synodalibus, quas Natalis Alexander recitat (3). Tertio complures eruditi autumant adeoque

(1) Muratorius, Antiq. Ital. med. aevi, dissert. 64 Opp. tom. 13, col. 123.

(2) Hist. des Sacrements, Pénit. chap. 7. tom. 3, pag. 9.

(3) Histor. eccles. saec. XIII et XIV. diss. 4, num. 26, tom. 8, pag. 283, edit. Mansi.

collatione codicum ostenderunt Parisii Historiam his adversum Pontificem et Mendicantes calumniis contaminatam fuisse ab editoribus (Anglis an Germanis) tempore reginae Elisabethae; quod argumentum tractant Bellarminus (1), Possevinus (2), Baronius (3), Sollerius (4), Cuperus (5), Waddingus (6), Stiltingus (7), Joannes Pitseus (8), sed omnium fusissime id prosequitur Henricus Schüz (9), qui praeter citatos scriptores allegat Brianum Twinum, de Antiquitate Academiae Oxoniensis scriptorem, Vossium de Historicis latinis, Labbeum de Scriptoribus ecclesiasticis, Natalem Alexandrum aliosque, qui omnes habent Anglicanam Parisii historiam multis locis fuisse auctam et corruptam.

12. Sed non tantum Rev. Domini *refert* novisse *quandonam* id primum factum fuerit, verum etiam *quas ob causas* privilegia ejuscemodi fuerint regularibus concessa (10). Duas autem assignat : calamitatem temporum, et affectum Romanorum Pontificum in Ordines unde assumpti fuerant.

« Summi Pontifices, ait (11) pro more sectatus Thomassinum (12), calamitosis istis temporibus sapientiae et pietatis consilio et ad lucrandas animas adducti fuerunt ad inusitatas has facultates regularibus concedendas, *etiam non exspectato quandoque consensu pastorum immediatorum.* » Hic sistimus R. D. Verhoeven, quoniam nobis non licet impune transmittere haec verba : « *Etiam non exspectato quandoque consensu pastorum immediatorum ;* » quum his indicetur parochos tantum et Episcopos *pastores immediatos* esse non vero Romanos Pontifices. Sane cavit sibi Thomassimus (13), ne loquens de Gre-

(1) De Scriptor. eccles. v. *Matthaeus Parisius.*

(2) Apparatus Sacer, v. *Matthaeus.*

(3) Annal. eccles. ad annum 996, num. 63.

(4) Act. SS. tom. 5 Junii, app. de Coptis Jacobitis, pag. 129, num. 127.

(5) Act. SS. tom. 1, August pag. 451, Comment. praev. ad Vit. S. Dominici, num. 479.

(6) Annales Minor. ad annum 1232, num. 35.

(7) Act. SS. tom. 5 Augusti, Comment. praev. ad Vit. S. Loduvici Regis, num. 35, 422 et seq.

(8) Illust. Angl. Scriptt. ad annum 1259, pag. 338.

(9) Commentarius criticus de scriptis et scriptoribus historicis, v. *Parisius*, pag. 325 et seqq. Ingolstadii, 1761.

(10) Pag. 28.

(11) Ibid. loc. cit.

(12) De vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 38, num. 4, tom. 1, pag. 759.

(13) Ibid. loc. cit. et num. 1, pag. 759.

gorii IX aliorumque Pontificum concessionibus, de inexspectato consensu pastorum *immediatorum* mentionem injiceret, sed *Episcopos* dixit et *parochos*. Et sane decuisset ut Rev. Dominus reliquisset Espenio (1) licentiam denegandi Romanis Pontificibus *immediatam* auctoritatem pastoralem in universum Christi gregem. Similiter Febronius, de iisdem facultatibus agens, ut earum fundamentum subrueret scripsit (2) : « Eidem (*Romano Pontifici*) firmatur praesidium et directorium universi, id est, sollicitudo omnium Ecclesiarum, sed non *immediata* cura et directio singularum ovium. »

Assertum istud in Antifebronio multis locis jam profligarat Zaccaria; sed in multiplicibus suis responsis doctrinam hanc renovavit Myriophytanus Episcopus. Quocirca Zaccaria in Antifebronio Vindicato hanc spartam reassumpsit, et denuo stabilivit hanc S. Thomae doctrinam omniumque genuinorum catholicorum : « *Immediata* in omnes et singulos quarumcumque Christiani orbis dioecesium fideles est Romani Pontificis auctoritas. » Continuo vero post : « Rem, inquit (3), aggredior Febronio perinfensam. Nihil illi odiosius occini potest quam Romanos Pontifices proxima et *immediata* uti posse in omnes singulosque omnium totius orbis dioecesium fideles auctoritate. Haec tamen altera est, eaque necessaria, Romani primatus affectio. » Quae dein demonstrat ex fine primatus, qui in servanda unitate positus est; ex sanctorum Patrum testimoniis, et ex Conciliorum decretis; hinc pauca refero. « Ipsa id agnovere, ait Zaccaria (4), generalia Concilia : « Romana Ecclesia (ita Lateranense oecumenicum Con- » cilium sub Innocentio III), disponente Domino, super omnes » alias ordinariae potestatis obtinet principatum (5). » Quid disertius? Possetne *ordinaria* haec esse potestas quin *immediata* esset? Tridentinum quoque Concilium id omnino sumit, quum declarat (6) : « Merito Pontifices Maximos, pro summa » potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas

(1) Jus eccles. univ. part. 2, sect. 1, tit. 6, num. 15 et seqq. tom. 1 Opp. pag. 460 et seq.

(2) Febronius abbreviatus. Antifebronius, cap. 7, § 7, num. 1, tom. 4, pag. 211.

(3) Antifebronius vindicatus, diss. 4. cap. 4, Theologiae cursus completus, Migne, tom. 27, col. 705 et seq.

(4) Ibid. col. 708 et seq.

(5) Cap. 5.

(6) Sess. 14, de poenit. cap. 7.

» criminum graviores suo peculiari judicio reservare. » Neque enim id esset Romanis Pontificibus potestatis, ut hasce peccatorum causas sibi reservarent, nisi suae fideles omnes auctoritati *immediate* obnoxios haberent. » Confutans deinde Febronii objectiones, addit (1) : « Miseret me illius, qui non possit quidquam Romani Pontificis auctoritati detrahere, quin Episcoporum, quorum dignitatem extollere maxime conatur, potestati vulnera infligat haud sanabilia. Episcopi certe *immediatam* in suas dioeceses auctoritatem habent; sed parochis quoque eadem singulis in singulas paroecias inest. » Inferius asserere non dubitat a Febronio « neminem certe inventum iri theologum, qui sibi consentiens haec adstruat (2). » Refert dein doctrinam Viguieri Galli, Merbesii Belgae, necnon S. Thomae dicentis (3) : « Super eamdem plebem *immediate* sunt et sacerdos parochialis, et Episcopus, et *Papa*. » Ex his concludimus non recte a Rev. Domino dictum fuisse regulares, munitos jurisdictione pontificia, *non exspectato quandoque consensu pastorum* IMMEDIATORUM, verbum Dei praedicasse et confitentibus aures praebuisse. Sed denuo animadvertendum est haec a R. D. Professore non ex proposito conscripta fuisse, sed ut tot alia ex incurioso calamo excidisse. Constat enim R. D. Professorem ex professo docere Romanum Pontificem *immediatum* omnium fidelium pastorem esse, quemadmodum videre potest lector in thesibus (4), quas exeunte mense Julio anni 1841 R. D. Kempeneers, R. D. Verhoeven discipulus, propugnavit, et maxime in ejusdem Dissertatione dogmatico-canonica de Romani Pontificis primatu (5).

13. Sed cum Rev. Domino dicta sua ex Thomassino comprobante pergamus : « Nam iis temporibus, inquit (6), non raro accidit, ut *pastores isti immediati* auxiliarium religiosorum virorum subsidium pertinaciter recusarent, quum tamen eorum opera imprimis esset necessaria. S. Bonaventura advertit, extraordinarias has facultates regularibus a Summo Pontifice ideo delegatas fuisse eo tempore, quod Episcopi et parochi de pastorali sollicitudine plurimum remiserant, quia rarius residebant, et curis ac negotiis se intricabant saecula-

(1) Op. cit. col. 708.
(2) Ibid. col. 709.
(3) Supplem. q. 8, art. 5, ad. 3.
(4) Thes. XVIII.
(5) Cap. 5, sect. 3, Immediata primat. potest. § 34, pag. 225 et seqq. Lovanii, 1841.
(6) Pag. 28.

ribus, atque parochiarum regimen in vicarios et mercenarios transferebant. »

14. Ad quae animadverto S. Bonaventuram nequaquam eo loci agere de extraordinariis his facultatibus, audiendi scilicet confessiones et annuntiandi divini verbi injussu Episcoporum et parochorum, sed de sacro obeundo ministerio, quin Fratres Minores curam parochialem susciperent. Et quoniam Rev. Dominus S. Bonaventurae verba non integra recitat eaque omittit quae regularibus favent, nos ita hunc defectum supplebimus, ut integrum afferamus locum, uncinisque includamus ea quae sola in adversarii opusculo reperiuntur. Quaestio itaque est (1) : « Cur Fratres Minores populo praedicent et confessiones audiant, quum animarum curam ordinarie non suscipiant; » quam sanctus Doctor ita ex mente adversariorum proponit : « Quum ergo, qui animarum curam ordinarie non suscipitis, praedicatis populo et confessiones auditis, mittentes falcem in messem alienam, quum illis proprie competat, qui animarum curam ex officio gerunt, injuriantes plebanis, in quorum videmini praejudicium exercere officia illis commissa, et decipientes illos quos absolvitis, super quos jurisdictionem non habetis ordinariam, contra canonum instituta et periculum animarum vestrarum? » Quae ad verbum fere ipse Rev. Dominus adversus regularium ministerium sacrum objicit (2).

« Respondeo, inquit S. Bonaventura. Nulli in hoc facimus injuriam, nec aliquem decipimus : sed [Sedes apostolica], quae *immediate* curam Ecclesiae habet, et a qua caeteri Ecclesiarum pastores, tam majores quam minores, gubernandi suscipiunt auctoritatem, tam mediate quam immediate, et a qua omnes canonum leges emanant, [videns in his novissimis temporibus, juxta Apostolum (3), instare tempora periculosa, et laxatis evangelicae praedicationis retibus in capturam tantos influxisse pisces hominum ad fidei professionem, quod rete scinditur, messem fidelium multam et operarios idoneos paucos, eo quod peccata quotidie multiplicantur in Ecclesia, et Episcopi negotiis exterioribus dediti spiritualibus intendere nequeunt et pauci sunt pastores in Ecclesiis personaliter residentes, sed vicariis et mer-

(1) Determinat. quaest. circa regul. S. Francisci, quaest. 2, tom. 5 Opp. pag. 747 et seq.

(2) Journal hist. et litt. livr. de Janvier, 1847. pag. 451.

(3) 2. Tim. 3.

cenariis committunt oves, sive animas regendas, in quorum plurimis multi eveniunt defectus imperitiae, et honestae vitae, negligentiae et aliorum defectuum, per quos ad gubernandas animas redduntur inhabiles, et non esse qui plebes erudiant, vel a peccati faecibus extrahant, vocavit nos in adjutorium tam cleri, quam populi, ut per officium praedicationis et confessionis subveniamus animabus], et onus pastorum sublevando alleviemus, sicut Petrus et ejus socii non valentes soli rete piscium ad littus trahere prae multitudine, annuerunt Jacobo et Joanni sociis suis in alia navi, quae signat Religionem, ut venirent et adjuvarent eos, ne vel ipsi mergerentur, vel pisces capti perirent (1). Quum ergo *ex apostolicae Sedis missione, Episcoporum benevolentia,* praedicationis opera et confessionis subditis eorum impendimus, *eos ex* caritate et *auctoritate eorum absolvimus* et non decipimus eos, sed juvamus, et in illis non fit praejudicium plebanis, sed beneficium, dum pro eis laboramus et ad obedientiam debitam eorum subditos exhortamur. Nam *si plebanus potest alteri vicem suam committere, multo fortius potest hoc Papa et Episcopi, qui pleniorem habent in omnes sibi commissos sine differentia potestatem.* Et sicut ex caritate non ex necessitate impendimus fidelibus spiritualia subsidia, docendo et orando et a peccatis in confessione absolvendo : ita ipsi non ex debito coactionis, sed ex libertate caritatis ministrant nobis corporalis necessitatis subsidium, quum Dominus ordinaverit iis, qui Evangelium nuntiant, de Evangelio vivere (2). »

Ut itaque liquet ex ipsis S. Bonaventurae verbis, non agit hic S. Doctor de facultate obeundi sacri ministerii cum sola Pontificis licentia independenter ab Episcoporum auctoritate; sed de praedicando divino verbo excipiendisque confessionibus paroecianorum absque consensu parochi, et quin parochialem curam Fratres Minores susciperent. Unde, siquid hinc concludere velit Rev. Dominus, oportet ut statuat revocandam esse disciplinam, quae olim non semper exstitit (ut pluribus probabimus, si velit), quae jam pridem abolita est, et quam Reverendissimi nostri Episcopi quotannis fere magis magisque sepeliunt; quum omnino velint ut maxima sit in seligendis confessariis libertas, ut ne parochi ullo signo ostendant se aegre

(1) Luc. 5. (2) I Cor. 9.

ferre siquis alii quam sibi peccata confiteatur, ut saltem sub Adorationis perpetuae solemnitate adsint confessarii extranei, ut in convictibus puellarum aeque ac in monasteriis sanctimonalium sedeant aliquando ad sacros crates confessarii extraordinarii, aliaque id genus. Haec scilicet omnia subvertenda sunt, ut restituatur disciplina, qua fideles *aliquando* adstricti fuere (nisi secus videretur Papae aut Episcopo) ad confitendum soli suo parocho.

15. Dabit itaque adversarius « S. Bonaventuram *non* advertere *extraordinarias has facultates* regularibus a Summo Pontifice ideo delegatas fuisse eo tempore, quod Episcopi et parochi de pastorali sollicitudine plurimum remiserant; » sed contendet ex hoc tamen S. Bonaventurae loco constare tunc temporis clerum omnino suis officiis defuisse; adeoque, ut iterum describit ex Thomassino, « ita rem revera se habuisse fidem fieri ab hujus aevi Conciliis. »

Equidem is non sum, qui horum temporum panegyrim seu apologiam conscribam; sed simul ita iniquus esse nolim qui generalem hanc corruptelam dicam. Re quidem vera Zaccaria (1) congessit aliquot statuta Conciliorum, ad saeculum XIII pertinentia, quae redarguunt in clericis concubinatum, simoniam et negotiationem, in laicis omnes fere contra decem praeccepta Dei transgressiones. Ast haec non ita intelligenda sunt quasi in omnibus regionibus communiter clerici impliciti fuissent illicitis amoribus, neu abstinuissent a simoniacis lucris. Ipse enim S. Bonaventura, de illis ipsis regionibus, ubi aliquot viri maxime persequebantur Fratres Minores et Praedicatores, testatur clerum illic generatim probum et doctum fuisse. En ejus verba : « *Licet enim,* ait (2), *communiter clerici, in quibusdam terris, istis defectibus non valde sunt impliciti, ut in Anglia, vel Francia, vel alibi, ubi clerici sunt litterati, et clericaliter vivunt, et subditos suos bene regunt :* tamen in pluribus aliis terris tanti defectus in clero reperiuntur, per quos inhabiles et minus idonei sint ad animas poenitentium absolvendas. »

16. Praeterea concedet sane Rev. Dominus medio sae-

(1) Antifebronius, cap. 7, § 7, tom. 4, pag. 235.

(2) Opusc. *Quare FF. Minores praedicent et confessiones audiant,* Opp. tom. 8, pag. 729, edit. 1754.

culo XVI, quum Concilium Tridentinum tantos ex Hispania, Gallia, Lusitania, Italia et Belgio theologos in sinum suum confluentes vidit, clerum non ubique ignorantiae caligine obrutum jacuisse; atque tunc tamen non ob aliam rationem, quam quod populus libenter a Patribus Societatis Jesu sacramenta susciperet, idem privilegium, de quo sanctus Bonaventura loquitur, iis Patribus Paulus III concessit : « *Quum intellexerimus,* inquit (1), *populos* civitatum, terrarum et locorum, apud quae habitationem iidem Socii habent, vel ubi eosdem versari aut transire contingit, exemplo allectos et inductos religiosae vitae, quam Domino concedente ducunt, *libenter ad confitendum eisdem* et sacratissimam Communionem de manibus eorum accipiendum *confluere,* ut illis sic confluentibus satisfacere valeant, universis utriusque sexus Christi fidelibus, ut cuilibet de Societate praedicta confiteri possint, *rectoris sui licentia minime requisita,* cui non teneantur eadem peccata, de quibus confessi et absoluti fuerint, rursus confiteri, etc. »

17. Hinc ad alteram, quam his privilegiis Rev. Dominus affingit, causam divertentes, prius pro more ejus dicta lectorum oculis proponimus : « Postea, inquit (2), Summus Pontifex Sixtus IV, Ordinis Minorum S. Francisci, constitutione *Regimini,* data die 13 augusti anno 1474, non tantum confirmavit privilegia a praedecessoribus suis eidem Ordini concessa, verum etiam alia multa maxima quidem munificentia adjecit. Atque « ex mutuo spiritualis amicitiae foedere, » ut ait Cardinalis Petra, et promiscuis amplexibus, quibus » SS. Dominicus et Franciscus, quum in humanis essent, » sanctum foedus inierunt, perpetuus prodiit amor et bene- » volentia, qua conjunctissimae fuerunt et adhuc sunt » inclytae Praedicatorum et Minorum Religiones. Hinc vide- » mus ipsos Summos Pontifices ex alterutro eorum Ordine » assumptos, mutua benignitate adhibita, prosecutos esse » favoribus et gratiis proprii et alterius Ordinis alumnos... » Quid igitur mirum, si Pontifex hujus constitutionis condi- » tor, Seraphici Ordinis alumnus, postquam benigne se con- » vertisset ad Religionem Minoritarum, ut dixi constitutione

(1) Bulla *Licet debitum,* Instit. Soc. Jes. tom. 1, pag. 48 et seq. edit. Antverp. 1635.
(2) Pag. 31.

» praecedenti, profuso munificentiae sinu, tot gratias et pri-
» vilegia Ordini Praedicatorum fuerit elargitus,... ut pari
» gradu, munificentia et benevolentia pontificia utrumque
» Ordinem complecteretur. »

Haec quidem habet celeberrimus Cardinalis Petra; verum, quum passim in operibus suis de regularium privilegiis ita disserat ut eorum utilitas maxime appareat, haec in ejus scriptis verba nihil aliud significant quam rationabilem in SS. Dominici et Francisci Ordines amorem aliquid contulisse ut Pontifex promptius quaedam concederet privilegia. Utut id est, nemo mirabitur Pontificem, ex Ordine religioso assumptum et melius proinde edoctum quid pristinos suos collegas, in vinea Domini sedulo operantes, magis adjuturum sit, faciliorem fuisse ad gratias et privilegia spiritualia iisdem elargienda; quin propterea pristina vitae societas indicanda sit tamquam potissima, quin etiam unica ratio pontificiarum constitutionum. Quocirca haec relinquenda sunt Febronio, qui scripsit (1) « facile regularibus fuisse, dum Pontifices haberent ex monachorum Ordine assumptos, ab his impetrare privilegia juri communi contraria et juribus Episcoporum adversa; » sed satius inspicientur ipsae Sixti IV, quae incusari videntur, constitutiones.

18. En ut exorditur Pontifex constitutionem suam (2) : « Regimini universalis Ecclesiae meritis licet insufficientibus disponente Domino praesidentes, curis perurgemur assiduis, ut juxta creditae nobis desuper dispensationis officium, quieti subditorum quorumlibet, praesertim sub Religionis habitu studio vacantium piae vitae, in quorum utique prosperitate reficimur, jugi quantum nobis ex alto conceditur sollicitudinis studio intendamus, et ut ea quae *pro divini cultus, dictae Religionis incremento animarumque salute* a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus provide facta sunt, sublatis ambiguitatibus quae exinde emersisse noscuntur, in sua integritate persistant, nostri ministerii partes interponimus efficaces.» Recitat dein Bullas Eugenii IV et Clementis IV, et pergit : « *Nos igitur, qui dicti Ordinis Fratrum Minorum, in quo Ge-*

(1) De praesenti ecclesiae statu liber singularis, cap. 7, § 7, num. 6, pag. 595, Bullioni, 1765.

(2) Bullarium Magnum, tom. 1, pag. 392, edit. Luxemburg.

neralis ministri fungebamur officio, dum ad cardinalatus honorem assumpti fuimus, et personarum ejus statum prosperum et tranquillum, propter uberes fructus, quos Ordo ipse multa refulgens gloria meritorum, et gratia redolens sanctitatis in agro militantis Ecclesiae in propagatione religionis et fidei orthodoxae hactenus produxit utiliter et producit, ac in futurum productu-rum fore spe firma tenemus, palmites suos a mare usque ad mare et etiam ad barbaras extendendo nationes, intensis desideramus affectibus, Clementis et Eugenii praedictorum, ac aliorum praedecessorum nostrorum, qui Ordinem praedictum Fratrum Minorum aliis variis privilegiis non immerito decorarunt, *motu proprio non ad eorum dicti Ordinis Fratrum Minorum professorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam,* sed de nostra mera voluntate et deliberatione ac ex certa scientia nostra, Clementis, etc., approbamus, etc. » Eadem habet altera constitutio *Regimini,* Fratribus Praedicatoribus concessa, si excipias verba : « In quo Generalis Ministri fungebamur officio dum ad cardinalatus honorem assumpti fuimus. » Ex quibus id unum colligimus, Romanos Pontifices prae oculis habuisse majorem Ecclesiae utilitatem, quum similia concesserunt privilegia ; eamdemque utilitatem menti Ecclesiae praesidum obversatam esse quum haec restrinxerunt aut immutarunt, nemo Catholicus inficias ibit. Secundum tempora enim varia potest esse Ecclesiae utilitas in rebus disciplinaribus.

19. Quum autem nullus sit inter regulares qui haec pristina amplissima privilegia Ordini suo reddi cupiat, non est quod diutius immoremur in enucleandis rationibus, quibus moti eadem olim elargiti sunt Pontifices. Satis quippe nobis fuit Pontificum constitutiones a novitate et praepostero fine vindicare. Nam, ut cum S. Anselmo (1) loquamur, non est cur probus et prudens Christianus « immittat cornua ad ventilandum ea, » quae Pontifices concesserunt ; quum, ut in Jure canonico reperitur, « sic omnes apostolicae Sedis sanctiones accipiendae sint, tamquam ipsius divini Petri voce firmatae sint (2) ; » et alibi : « Nemini est de Sedis apostolicae judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum ; videlicet propter Ro-

(1) Lib. de Trinitate et Incarnatione, cap. 2, pag. 42, Paris, 1675.

(2) Dist. 19, can. 2.

manae Ecclesiae primatum, Christi munere in beato Apostolo divinitus collatum (1). » Quocirca etiam in rebus disciplinaribus parati sumus, quantum per vires licet, eorum propugnare statuta.

Hic loci mittimus dicere de substantia et immutationibus horum privilegiorum, quoniam in altero forte volumine fuse dicendum erit de praedicatione verbi Dei et confessionum auditione; quo loco, si Deus det, quum multa alia de ministerio sacro a regularibus exercito dicturi sumus, aptiorem ibidem reperient locum.

(1) Caus. 18, quaest. 4, can. 30.

CAPUT DUODECIMUM.

DE QUERELIS, QUIBUS REGULARIUM PRIVILEGIA PRO SACRO MINISTERIO LOCUM DEDISSE DICUNTUR.

1. *Tradit R. D. Verhoeven privilegia regularium pro sacro ministerio continuis acerbisque querelis dedisse locum.*
2. *Omnia, quae ad regulares pertinent, semper invidiae et querelis pravorum obnoxia fuerunt.*
3. *Quomodo de his querelis judicandum sit.*
4. *Querelae Parisienses, suscitatae a Gulielmo a S. Amore.*
5. *Querelae Parisienses anni* 1281 *et* 1321.
6. *Querelae, ante Concilium Viennense subortae. Monitum Zallingeri in* I *Clementinam* (*lib.* 5, *tit.* 7).
7. *Querelae Avenionenses anni* 1351.
8. *Querelae Archiepiscopi Armacani.*
9. *Querelae universitatis Parisiensis de Bulla Alexandri V.*
10. *Quae in Concilio Constantiensi gesta sint.*
11. *Querelae Parisienses de Bulla Nicolai V.*
12. *Quae acta sint in Concilio Lateranensi sub Leone X.*
13. *Invitatur lector ad judicandum an quidpiam hae querelae contra privilegia probent.*

1. Non intacta praeterire licet quae Rev. Dominus prodit

de querelis, quibus privilegia illa obnoxia fuerunt. « Adversus illa privilegia, inquit (1), praesertim quibus facultas dabatur regularibus excipiendi confessiones saecularium injussu Episcoporum et parochorum, acerbae et multae querelae exortae sunt, atque dissensiones etiam saecularem inter et regularem clerum exinde efferbuerunt. Saepius quidem tunc temporis Episcopi institerunt, ut Summi Pontificis eadem revocarent aut saltem temperarent; at universum hoc de privilegiis negotium ante Concilium Tridentinum componi et absolvi non potuit. In hac Synodo cogitatum quidem fuit *de revocandis omnibus regularium privilegiis;* sed propter labores, quos regulares in Ecclesia impenderant, Patres Tridentini noluerunt gratias et privilegia prorsus omnia revocare. Quaenam autem revocatae non fuerint; quaeve post oecumenicam hanc Synodum a Summis Pontificibus denuo fuerint concessa, in reliquis hujus opusculi partibus indicaturi sumus. »

Ex quo narrandi modo diceres Rev. Domino plurimum cordi esse, ut privilegia, tum quae ad sacrum ministerium pertinent tum alia, credantur acerbarum et multarum querelarum causae; dissensionum saecularem inter et regularem clerum scaturigines; odiosam praesertim fuisse facultatem excipiendi cum sola Pontificis jurisdictione confessiones; eadem visa Episcopis Ecclesiae perniciosa, adeoque vel temperanda vel revocanda; negotium hoc per plura saecula suspensum mansisse et proin privilegiorum utilitatem habitam ut dubiam; adeoque futurum fuisse ut omnia privilegia regularium in Concilio Tridentino revocarentur, nisi habenda visa fuisset ratio laborum, quos olim regulares in Ecclesia impenderant.

Verum nequaquam dubitamus, quin haec omissurus fuisset R. D. Professor, si prae oculis habuisset Febronium (2) et Espenium (3), qui similia tradiderunt et mirum in modum his abusi sunt. Hinc etiam suspicatus sane fuisset haec nequaquam veritatem sapere.

2. Non quidem negamus exstitisse adversus regulares eorumque privilegia querelas, sed a saeculo IV aerae Christianae

(1) Pag. 32.

(2 De praesenti statu eccles. liber singularis, cap. 7, § 7, num. 2 et seqq. pag. 590 et seqq.

(3 Jus canonic. univ. part. 3, tit. 12, cap. 4, num. 48 et seq. tom. 2 Opp. pag. 424, et Repagulum adversus nimiam exemptionum extentionem objectum, epilog. tom. cit pag. 868 et seqq.

reperimus ejuscemodi oblocutiones. Jam suo tempore dicebat S. Antonius, ut refert S. Athanasius, neminem ita odio esse diabolo quam monachos et probos Christianos. Neque mirum proin est Arianos, Donatistas, Vigilantianos aliosque usque ad haec tempera haereticos et impios monachis infestos fuisse; cupidos avarosque quoscumque passim insidiatos esse eorum bonis, ambitiososque eorum libertati; praepotentes in eos, qui pro Christiana fide viriliter stabant, flagris, carcere, caede saeviisse, omnigenis probris et incusationibus Christi Martyres onerantes; invidos oblocutos esse eorum sacro ministerio; et innumera id genus accidisse inter medias de monachis querelas.

Non igitur inquirendum erat Rev. Domino an querelae exortae fuerint adversus illa privilegia, sed an justae, an aequae, an sincerae. Ut alibi dicemus, ubi de sacro ministerio regularium fiet sermo, semper fuere inter clericos, qui pati non potuerint sacramenta a monachis administrari : quid itaque mirabimur, querelas exortas esse contra ferventem Fratrum Praedicatorum, Minorum et Augustinianensium operam?

3. Ad dijudicandum autem de justitia ejuscemodi querelarum, statuendum est Summum Pontificem principalem Ordinarium omnium Ecclesiarum esse, et nullius jura laedi quum ipse hac sua utitur potestate, caeteraque in mentem revocanda quae superius (1) ex S. Bonaventura didicimus; praeterea eum esse judicem controversiarum, quae ex observatione seu transgressione suorum mandatorum ortae fuerint, adeoque, quum Roma rescripta venerint, causam finitam esse.

His positis, veniamus ad brevem harum querelarum historiam : quae tamen ita contrahenda videtur, ut ea tantum tangamus capita de quibus sermonem instituit Thomassinus; utque in his etiam modus adhibeatur, non directe confutabimus ejus errores; sed, rebus secundum veritatem historicam expositis, lectorem remittemus ad ea opera, in quibus haec multo fusius expenduntur.

4. Porro meminit imprimis Thomassinus (2) controversiarum Parisiensium. Earum causam aperit Thomas Canti-

(1) Vide supra, pag. 267 et seq.

(2) De vet et nov. discipl. eccles. part. 1, lib. 3, cap. 38, num. 1, tom. 1, pag. 758.

pratensis (1) his verbis : » Summa autem in supradictis magistris et aliis saecularibus clericis invidiae causa fuit, quod Fratres Parisiis plures et prope omnes litteratiores in scholis auditores habebant et in regimine praeeminebant.» Jam pridem hic fomes discordiae in animis latebat, quum Gulielmus a S. Amore et nonnulli ejus asseclae opportunam se nactos esse arbitrati sunt occasionem expellendi ex universitate Parisiensi S. Thomam, S. Bonaventuram aliosque religiosos Doctores : sed res pro machinatorum votis non successit (2); quocirca Gulielmus a S. Amore manum calamo applicuit, et contendit (3) Mendicantes non tantum a scholis verum etiam a sacro ministerio arcendos esse ; a Summo Pontifice alios quidem mitti posse ad praedicandum, sed nequaquam regulares, salva hierarchia ; ab his nil agi posse, non obstante jussu Pontificis, absque licentia presbyterorum parochialium ; Fratribus ab Episcopo vel Papa canonice destinatis confessos non satisfacere praecepto de confessione annua ; Fratres de Evangelio non posse vivere, quod in clericorum saecularium detrimentum cederet, etc. Quum haec in libro *de periculis novisimorum temporum* lucem aspexissent, ingens hinc turbatio orta est : ast « certissime constat, ut loquitur Touron (4), qui haec fuse post Dupin, Fleury, Du Boulay, Echard aliosque examinavit, Episcopos Gallicanos ante omnes, adversum id opus commotos fuisse; non videri ullum fuisse, qui ante vel post Alexandri IV damnationem illi faverit ; et in Gallia non secus ac in aliis regionibus catholicis Ecclesiae Praesules perrexisse eadem benevolentia et fiducia prosequi eos, quos ut falsos prophetas traducebant Doctores et aliquot clerici Parisienses. » Ad Pontificem, Anagniae residentem, liber delatus est circa annum 1256. Regularium causam dixere S. Thomas, S. Bonaventura et B. Albertus Magnus ; unde Alexander IV proscripsit Gulielmi librum eumque ignibus

(1) Mirac. et exempl. sui temporis, lib. 2, cap. 10, num. 31, pag. 180 et seq. edit. Colvenerii.

(2) Cfr. Touron, Vie de S. Thomas d'Aquin, Chap. 5 et seqq. pag. 130 et seqq. Fleury. Hist. eccles. liv. 83, num. 54, tom. 17, pag. 494 et seqq. Raynaldus, Continuatio Annal. Baronii, ad annum 1255, num. 38, tom. 2, pag. 531, edit. Mansi.

(3) Natal. Alexander, Hist. eccles. saec. XIII et XIV, art. 7, tom. 8, pag. 72, edit. Mansi. Et SS. Thomas et Bonaventara, passim.

(4) Vie de S. Thomas d'Aquin, chap. 8, pag. 147.

cremari jussit : cui sententiae subscripsere ipsimet Parisiensis academiae legati (1). Scripsit dein Pontifex ad Episcopos Turonensem, Rothomagensem et Parisiensem, eis mandans ut omnes magistri et alii, qui asseruissent « quod FF. Praedicatores et Minores de licentia vel commissione Romani Pontificis seu dioecesanorum Episcoporum praedicationis exercere officium et confessiones audire libere non valebant, *tamquam per hoc sacerdotibus parochialibus praejudicium inferretur,* » infra certam diem errores illos publice revocarent, asseverando constanter contrarium et illud etiam fideliter praedicando (2). Praecipui Gulielmi a S. Amore asseclae id strenue fuerunt exsecuti ; alii vero perrexere scommatibus S. Thomam et S. Bonaventuram sociosque eorum proscindere ; missus fuit bedellus quidam, qui « praedicante Fratre Thoma de Aquino Ordinis Praedicatorum, » libellum famosum adversus Mendicantes et Episcopum Parisiensem in conspectu populi et cleri adstantis perlegeret ; opus suum incudi denuo imposuit Gulielmus, idque aliquantum mutatum obtulit Clementi IV, qui ei respondendum curavit : « Te multae litterae faciunt insanire (3). »

5. Pro more tamen malum semen non in sterilem agrum cecidit. Licet enim passim Episcopi multa cum animi jucunditate exciperent Fratres (4), innumerabiles eis exstruerent vel exstruere permitterent conventus, Synodos celebrarent inquibus praecipiebant ut integra observarentur concessa a Sancta Sede privilegia, et si Sedes apostolica eis amplius indulgeret vel indixerit indulgendum, hoc ab omnibus observaretur (5) : fuere tamen alii, qui diversis principiis imbuti, aliter omnino agerent ; quin etiam, quum bona forsan eorum esset causa, nimia acrimonia eam pessumdarent. Hoc modo quatuor Archiepiscopi et viginti Episcopi die 6 Decembris anni 1281, Parisiis congregati, ad se convocarunt praecipuos ex singulis Ordinibus religiosos, Doctores universitatis omnes et innumeram scholarium multitudinem. Ad hanc concionem

(1) Ibid. chap. 9, et seqq. pag. 149 et seqq.

(2) Natal. Alexander, Hist. eccles. saec. XIII et XIV, art. 7, pag. 73.

(3) Ibid. pag. 73 et seq.

(4) Zaccaria, Antifebronius. cap. 7, § 7, tom. 4, pag. 237.

(5) Cfr. Synodus Oxoniensis, ap. Natalem Alexandrum, Hist. eccles. saec. XIII et XIV, diss. 4, tom. 8, pag. 183.

Archiepiscopus Bituricensis, Simon de Belloloco, verba Episcopo parum digna habuit, non ridiculum tantum nomen Fratribus Praedicatoribus imponens, sed non dubitans universatem, maxime juvenes clericos, in subsidium Episcoporum contra privilegia Mendicantium vocare : se, quotquot adessent Episcopi, aliquando Parisienses scholares fuisse; auditores loca sua aliquando occcupaturos; et proin non minus eorum quam suum negotium agi (1). Sermonem dein exorsus est Episcopus Ambianensis, sed nihil reposuere regulares. Postridie tamen Frater Minorita et die sequenti Dominicanus pro concione populo paucis exposuit privilegiorum historiam; quod modo prorsus contrario fecere paucis diebus post Doctor Parisiensis et Ambianensis Episcopus. Dubitabatur scilicet ac ultro citroque disputabatur, an ex Martini IV privilegio (2) et vi constitutionis *Omnis utriusque sexus* confessi Fratribus Minoribus et Praedicatoribus tenerentur eadem peccata parochialibus presbyteris confiteri. Partem affirmantem Henricus de Gandavo, Doctor Parisiensis, aliique propugnabant; negantem regulares, praeter doctissimum Augustinianensem Aegidium Romanum. Sed « tandem, ut narrat Eberardus Ratisponensis Archidiaconus in Annalibus ad annum 1287, super eadem quaestione omnes Archiepiscopi, Episcopi et totus clerus regni Franciae solemnes nuntios cum aliis viris sapientibus ad Sedem apostolicam transmiserunt, et quilibet eorum centesimam partem omnium redituum et proventuum ecclesiasticorum contribuit eisdem nuntiis pro expensis. Sed Dominus Nicolaus, quamvis assumptus esset de Ordine Minorum Fratrum, eamdem quaestionem pro neutra parte voluit terminare. » Interea resederunt animi; et Archiepiscopus Bituricensis, anno 1286 cum suis suffraganeis Concilium celebrans, sub poena excommunicationis universis ecclesiarum capellanis curatis praecepit, ut apud se haberent, diligenter intelligerent, et populo exponerent canonem *Omnis utrius sexus,* constitutionem Clementis III ad Fratres Praedicatores *Quidam temere sentientes,* et diploma Martini IV ad Fratres Minores *Ad fructus uberes;* tum constitutiones illas recensens, plane significat licere religiosis

(1) Fleury, Hist. eccles. liv. 87, num. 59, tom. 18, pag. 319, edit. 1716.

(2) Labbe, Collect. concil. tom. 11, part. 1, col. 1144 et part. 2, col. 1154.

illorum Ordinum sacerdotibus, non obstante canone *Omnis utriusque sexus*, audire fidelium confessiones, si a Romano Pontifice et Episcopis ad id fuerint destinati, sacerdotum parochialium assensu nullatenus requisito. De his fusius vide Fleurisium (1), Natalem Alexandrum (2) et Labbeum (3).

Omnium tamen istarum controversiarum fomes Parisiis extinctus non fuit. Unde, ineunte saeculo XIV alter Parisiensis pugil in arenam descendit. Magister nempe Joannes de Poliaco, Doctor theologus, Joanne XXII Papa, periculosos errores de sacramento poenitentiae in scholis et praedicationibus vulgavit, contendens Pontifici non fuisse potestatem concedendi privilegia, quibus fruebantur Mendicantes. Hanc doctrinam Avenione in consistorio revocavit ipse de Poliaco; dein vero publice Parisiis post inflictas a Joanne XXII censuras; ut colligitur ex Extravaganti *Vas electionis* (4), edita VIII kal. Augusti anni 1321; quam idem Pontifex ab omnibus Episcopis in civitatibus et dioecesibus suis, convocato clero et populo, promulgari jussit. Hactenus de controversiis Parisiensibus.

6. Postquam has tetigisset Thomassinus, pergit dein (5) ad Concilium generale Viennense, disseritque quasi serio ibi actum fuisset de revocandis omnibus regularium privilegiis. Sed ipsum testimonium Thomae Walsinghami, teterrimi Mendicantium hostis, quod refert, debuisset eum id dedocere: « ANTE illud Concilium, sic loquitur exaggerator ille, per totum orbem generaliter fuit divulgatum, quod omnes et singuli religiosi exempti ad jus transirent commune. Unde solus Ordo Cisterciensis Papam adiit *ante dicti Concilii celebrationem* pro exemptione sua pristina pacifice obtinenda. *Quod et obtinuit* donis datis. » Re quidem vera Gulielmus Durandus, Episcopus Mimatensis, conscripsit ante Concilium *Tractatum de modo celebrandi Concilii generalis*, in quo multa mira proposuit, adeoque quaedam (6) quae absque scandalo memorari

(1) Hist. eccl. liv. 87, num. 59, tom. 18, pag. 318 et seqq.

(2) Hist. eccl. saec. XIII et XIV, diss. 4, tom. 8, pag. 279.

(3) Collect. concil. tom. 11, part. 1, col. 1144, et part. 2, col. 1254 et seqq.

(4) Extravag. comm. tit. *de haereticis*, (lib. 5, tit. 3).

(5) Vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 39, num. 1, tom. 1, pag. 764.

(6) Part. 1, Rubrica 46, fol. 36, edit. 1534.

non possent, et abolitionem privilegiorum regularium (1). Quum id intellexerunt regulares, Jacobus, Abbas Cisterciensium, non donis adiit Pontificem et Concilium, sed accurato commentario, quem dignum censuit Raynaldus ut suis Annalibus (2) maximam partem insereretur, quemque *insignem* appellavit. Mendicantes non minus eximiam condiderunt scriptionem, quam in lucem similiter emisit Baronii continuator (3); utroque scripto alibi utemur. Unde in ipso Viennensi Concilio ne quidem actum ab ullo fuisse videtur, ut regularium privilegia revocarentur; sed abusus quosdam compescendos proposuit Clementi V insignis aliquis Praesul (4), quos reapse Pontifex exstirpari jussit. Hi autem comprehenduntur sub capite 1 Clementinarum de privilegiis et privilegiatorum excessibus (5), eosque fere omnes libello suo inseruit R. D. Verhoeven. Sed id artificium nihil novi habet, ut liquet ex his Zallingeri (6) verbis : « Criminatores exemptionum, vel potius adversarii Sedis apostolicae, a qua privilegia earumdem emanarunt, aliud non agunt, nisi ut excessus privilegiatorum et angustias potestatis episcopalis incredibiliter exaggerent; quasi nihil ab Episcopis, eorumque Vicariis et saecularibus clericis contra religiosos, eorumque perpetuos labores, ac mirificos Religionis atque Ecclesiae progressus, qui ipsorum debebantur sudori et sanguini, peccatum umquam fuisset. Ast hi, quaeso, expendant can. *Quam sit necessarium*. 5 et can seq. XVIII, q. 2; expendant constitutiones S. Pii V *Etsi Mendicantium* anni 1567 aliaque non pauca, in ipso jure contenta, justa religiosorum gravamina, quibus per leges sacras resisti debuit; et dicant : « *Peccatum* (cleri saecularis) *non cognovi nisi per legem* (7). » Hactenus Zallinger.

Locis vero ex jure citatis addere imprimis potuisset hic auctor ipsius Concilii Viennensis, de quo agimus, decreta.

(1) Part. 1, Rubr. 4 *de exemption.* fol. 8 et seq. ibid. *de monachis*, fol. v° 10 et part. 2, Rubr. 23, fol. v° 56 et seq.

(2) Continuat. Annal. Baron. ad annum 1312, num. 24, tom. 23, pag. 563 et seqq. edit. Mansi.

(3) Ibid. pag. 567.

(4) Ibid. pag. 563.

(5) Clementin. *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 1, *Religiosi.* (lib. 5, tit. 7).

(6) Institut. juris eccles. lib. III, tit. 36, num. 429, tom. 3, pag. 346, edit. 1793.

(7) Rom. 7. 7.

Etenim, si in hoc generali Concilio enarrati fuere *sex* casus, in quibus religiosi excommunicantur et absolutio reservatur Papae, et *septem* culpae, a quibus sub certis poenis praecipiuntur abstinere, ibidem etiam (praeterquam quod Gregorius IX jam praeceperat ut cessarent praelati ab inferendo regularibus *viginti septem* gravamina (1)), Viennae etiam, inquam, provisum est contra alia *triginta*, a quibus praelati abstinere jubentur et cessare facere suos subditos, quaeque generatim multo magis odibilia sunt quam excessus privilegiatorum. Laudamus itaque sacrum Concilium, quod in privilegiatis et praelatis legum violationes cohibuit; simulque laudamus, quod aures non praebuit Durando Mimatensi, tot mira proponenti.

7. Multo magis serium fuit bellum, quod anno 1351 Avenione adversus Fratres Mendicantes motum meminit Thomassinus (2). Sub Clemente scilicet VI horrenda quaedam lues ita pagos, oppida et civitates depopulata fuerat, ut ex decem hominibus vix unus evasisse referatur (3). Presbyteris parochialibus passim fuga sibi consulentibus (4), Fratres pro Christi fidelibus animas suas exposuerant (5). Hinc grati fideles spiritualia in tanta necessitate seminantibus reddiderant temporalia; unde Fratres Mendicantes sua repararant ac ornarant monasteria, et nova a variis civitatibus et oppidis invitati exstruxerant (6). Feriit haec res parum aequos nonnullorum clericorum oculos. Quocirca postulatum fuit a Clemente VI, ut Mendicantium Ordines *abolerentur*, vel saltem ut deinceps non solum quarta pars funeralium sed integra massa curatis redderetur. En ut rem narrat in suo Chronico continuator Gulielmi Nangiacensis (7) : « Anno Domini 1351 insurrexerunt Domni Cardinales et praelati alii multi cum magna multitudine curatorum contra religiosos Mendicantes in curia Romana, volentes et petentes a Domino Papa Clemente VI *eorum annullationem et quod deficerent in se;* Episcopi allegantes fortiter in consistorio, quod ipsi Mendicantes non erant ab Ec-

(1) Clem. *De exces. praelator.* cap. 16. *Nimis iniqua*, et cap. 17. *Nimis prava.* (lib. 5, tit. 31).

(2) Vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 39, num. 2, tom. 1, pag. 764.

(3) Continuat. alt. Chronici Gulielmi de Nangis ad annum 1349 et seq. Spicilegium Dacherii, tom. 3, pag. 110, edit. 1723.

(4) Ibid. loc. cit.

(5) Ibid. pag. 112.

(6) Ibid. pag. 112.

(7) Ibid. loc. cit.

clesia vocati et electi, et quod eis non incumbebat fidelibus praedicare, neque confessiones audire, sed neque sepulturas recipere alienas : unde requirebant dicti praelati cum curatis, *quod ipsi Mendicantes cassarentur,* vel quod saltem cessarent a praemissis, *aut ad minus quod non solum quarta portio de sepulturis alienis daretur, sed totum emolumentum ipsis curatis ex integro redderetur :* quia nimis erant ditati ipsi Mendicantes de talibus sepulturis, prout dicebant ipsi praelati et curati. Haec et similia praelati et curati allegabant contra Mendicantes, et multo plura; magno de hoc sermone contra ipsos facto per Domnum Cardinalem, et praefatis Mendicantibus ibidem praesentibus et nihil ad objecta respondentibus, sed potius cogitantibus illud quod scriptum est : *Estote in pace, et Dominus pugnabit pro vobis :* quod statim ibidem factum est. Nam, finitis dictis allegationibus contra ipsos, Domnus Papa statim pro Mendicantibus verbum sumpsit, allegans pro parte Mendicantium, eleganter ostendens per multa jura et scripturas, dictos Mendicantes non esse sic spernendos, ut illi dixerant, nec cassandos; probans eos a Deo et Ecclesia fore vocatos ad auxilium regiminis Ecclesiae, licet tardius quam de multis, etiam eos inter alios vocatos deberi merito computandos... Objecit etiam Domnus Papa ipsis praelatis et curatis, de quo, si ipsi tacerent Mendicantes, de quo ipsi populo praedicarent?... Addidit autem Domnus Papa, quod idcirco multi praelati et curati odio habebant Mendicantes, et eis claudebant portas suas pro tanto ne viderent vitas eorum.... dicens iterum eis, *quod dolere non debebant, si Mendicantes aliqua bona tempore mortalitatis, quae nuper fuerat, receperant in visitationibus Mendicantium* (lege *infirmorum*) *et cura, quam dicti Mendicantes, fugientibus curatis multis, solemniter exercuerant circa decedentes;* et, si de dictis temporalibus aliqua aedificia construxerant, non erat dolendum; quum hoc totum esset, ut dicebat Domnus Papa, in suis aedificiis appositum ad decorem totius universalis sanctae Dei Ecclesiae, non in voluptatibus et actibus impudicis... Tandem dixit eis Domnus Papa, quae et qualia mala et quanta emergebant Ecclesiae, si ea, quae ipsi praelati petebant contra Mendicantes, finaliter obtinerent. Dixit tamen eis, quod si aliqua haberent contra ipsos religiosos, ponerent in scriptis et alii e converso; et ipse Domnus Papa daret eis optimos auditores. Et sic vacui recesserunt dolentes et confusi, religiosis gauden-

tibus et laudantibus Deum verum. Quid autem factum fuerit post haec ignoratur. » Hactenus monachus Benedictinus, Gulielmi de Nangis continuator.

8. « Non diuturnus, inquit Thomassinus (1), fuit fructus hujus victoriae ab exemptis reportatae; et pergit dein ad gesta Archiepiscopi Armacani in Hibernia : de quo audiamus denuo continuatorem Gulielmi de Nangis, cujus fidem omnes depraedicant (2) : « Anno 1357 Archiepiscopus Armacanus, Primas Hiberniae, transivit ad curiam Romanam, praedicaturus contra religiosos Mendicantes, faciens contra ipsos libellos et tractatus, allegans fortissime ipsos ab Ecclesia non debere sustineri, et dicens inter caetera et asserens, quod Christus et Apostoli licet essent viri pauperes, numquam tamen fuerunt mendicantes. Allegat autem multa jura et scripturas *ut ab Ecclesia deleantur,* vel saltem ut auxilio privilegiorum pro praedicationibus, confessionibus ac sepulturis, et exemptionibus priventur. E contra autem religiosi praefati non amplius quam sex articulos haereticos sibi objiciunt et opponunt, sed qui praevalebant, in fine liquidius apparebit. » Finem narrat Thomas Walsinghamus, odium suum in Mendicantes et curiam Romanam satis pandens per scommata, quae cum aliis historicis monumentis pugnant, nobisque proin resecanda videntur : « Tandem proh dolor, inquit,... Fratres sua privilegia, sicut ante, sub data nova obtinuerunt (3). »

9. Vertit se dein Thomassinus in Bullam, quam (quod mireris) sibi ignotam fatetur, « in Bullam *nescio quam* privilegiorum, » inquiens (4). Juverit de ea audire virum regularium hostibus non suspectum, continuatorem Historiae Ecclesiasticae Fleurisii : « Alexander V, inquit (5), a concluso Concilio Pisano semper morabatur Pisis; et quum ex Ordine Fratrum Minorum esset, voluit Mendicantibus caritatis et praedilectionis suae signa exhibere concedendo eis Bullam, die 12 Octobris datam et ad omnes Ecclesiae praelatos destinatam; in qua, in memoriam revocans Bullas Bonifacii VIII et Clementis V pro Praedicatoribus et Minoribus, declarat hos non secus

(1) Vet et nov. discipl. eccles. part. 1, lib. 3, cap. 39, num. 2, tom. 1, pag. 764.

(2) Spicilegium Dacherii, tom. 3, pag. 116.

(3) Ap. Thomassinum, loc. cit.

(4) Ibid. num. 3, pag. 764.

(5) Hist. eccles. liv. 101, num. 180, tom. 21, pag. 125 et seqq. edit. 1726.

ac Eremitas S. Augustini et Carmelitas, ad quas extensae fuerant, in eorumdem privilegiorum possessione confirmari. Refert ibidem Joannis de Poliaco articulos a Joanne XXII confixos ejusque retractationem. Demum confirmat decreta Bonifacii VIII et Joannis XXII de privilegiis Mendicantium damnatque propositiones contrarias nihil obstante canone *Omnis utriusque sexus*, aliisque quibuscumque statutis contrariis.

« Haec Bulla multum commovit universitatem Parisiensem, quae legatos, qui quid rei veritas esset indagarent, Pisas destinavit. Retulerunt hi a se visam esse Bullam plumbo sigillatam, et per eam concedi Mendicantibus ut in paroeciis omnia sacramenta ministrarent, et reciperent, quae eis offerrentur, decimas. Hac novitate irritata universitas statuit e sinu suo expellendos esse omnes Mendicantes, eos concionari non posse Parisiis priusquam ad se detulissent originale Bullae exemplar, eamque ejurassent. » Reliqua narrat ipse Thomassinus (1) ex monachi Sandionysiani historia, videlicet « paruisse Dominicanos et Carmelitas; monachum S. Martini de Campis publice praedicasse eam Bullam obtentam fuisse se nescientibus et imprudentibus, nec eam a se probari. Carmelitas idem professos esse; et, quia caeteri Mendicantes obstinatius Bullam retinebant, Regis nomine et auctoritate, interpellatione autem universitatis, significatum illis esse, vetitos esse et parochos et presbyteros omnes, intentata temporalium rerum omnium jactura, ne quem eorum paterentur suis in ecclesiis praedicare vel confessiones excipere. » Pergit vero Continuator Fleurisii (2) : « Demum Cancellarius Joannes Gersonius, jussu universitatis concionatus est contra Bullam Papae, et conclusit id rescriptum intolerabile esse, componi non posse cum Ecclesiae commodis, et ut tale annihilandum esse, quum hinc turbari possit ordo hierarchicus praelatorum sanctae Ecclesiae, quorum juribus derogatur. » Concionem schismaticam, tunc temporis a Gersonio (quem Papa superiorem factum diceres) habitam, legere est inter opera ejus, ubi hunc titulum habet (3) : « Sermo factus ad populum Parisiensem ex parte universitatis super facto Bullae Mendicantium anno 1409. » Hunc sermonem

(1) Op. et loc. cit.
(2) Hist. eccles., etc. pag. 127.
(3) Opera Jo. Gersonii, tom. 2. col. 431, edit. Dupinii.

sequitur (1) : « Joannis Gersonii Doctoris et Cancellarii Parisiensis censura et plurium in theologia professorum circa Bullam a Mendicantibus extortam a Summo Pontifice Alexandro V, datam anno 1409, IV id. octobris. » Ex Sermone delibabo tantum sequentia, quibus similia docet R. D. Verhoeven (2) : « Si dicat aliquis, inquit Gersonius (3), Papam eos mittere; *videndum est an sit necessitas : non enim dandus est curator aut coadjutor praelato aut alteri, ipso invito, sine defectu ejus aut impotentia ; alioquin gravatur : quod non vult aut velle non debet facere Papa Fratribus suis.* » Haec ille, qui ibidem docebat (4) « quod ad universitatem Parisiensem, filiam Regis, spectat secundum doctrinam de sanctae Ecclesiae judicare gubernamine. »

10. « In Concilio Constantiensi, sic dein disserit Thomassinus (5), revocata sunt aut irritata privilegia omnia quae concessa fuissent a tempore obitus Gregorii XI, hoc est ab initio schismatis ; indiscriminatim obducta sunt omnia, sive a veris, sive a veros se jactantibus Pontificibus indulta forent. Excipiebantur tamen, 1° quae in ipsa fundatione fuissent concessa... ; 2° quae data fuissent assensu eorum, quorum intererat. » Praeter morem nullas malevolas animadversiones hic subjicit Thomassinus : et quidem quid subdidisset? Nam vere in hoc Concilio comprobata fuere vetera privilegia, sed illa sublata, quae Pontifices necessitate tantum temporum adacti censebantur concessisse, ut nempe quisque partes seu obedientiam suam adaugeret : ne enim in pejus res Christiana rueret, per schisma eis non licebat postulata etiam minus aequa repellere. Quocirca regulares non minus quam saeculares opportunissimum habent Constantiense decretum.

11. Transit illinc Thomassinus (6) ad novas Parisienses controversias, quas verbo tantum tetigerat Raynaldus (7), et quidem non satis recte, ut ex Continuatore (8) Fleurisii, eas multo

(1) Ibid. col. 442 et seqq.
(2) Journ. hist. et littér. Liége. Janv. 1847, pag. 450 et seqq.
(3) Opp. cit. col. 440.
(4) Ibid. col. 434.
(5) Vet. et nov. eccles. disciplina part. 1, lib. 3, cap. 39, num. 4, tom. 1, pag. 764 et seq.
(6) Ibid. pag. 765.
(7) Annales eccles. ad annum 1471, num. 69, tom. 29, pag. 519, edit. Mansi.
(8) Hist. ecclés. liv. 111, num. 14 et seqq. tom. 23, pag. 9 et seqq. edit. 1726.

fusius explicante, liquet. En hujus rei summa. Concesserat Nicolaus V Mendicantibus facultatem excipiendi confessiones tempore paschali. Rescivit id Parisiensis universitas, et continuo coram se citavit regulares, eis jubens ut ejurarent Nicolaii V Bullam eamque intra certum tempus revocandam curarent. Restitere Mendicantes, perjuri declarati fuere et ex universitate ejecti. Re ad Callixtum III delata, confirmavit Pontifex praedecessoris Bullam et Parisiensium acta irritavit. Ast hi magis magisque commoti obedire detrectarunt. Hinc compulsi fuere Mendicantes viam mediam inquirere. Archiepiscopus Remensis, Parisiensis Episcopus et parlamentum regium intercessere. Propositum est ut declararent Mendicantes se per hanc Bullam nullum jus novum adipisci : verum id rejectum ab universitate. Propositum dein ut Mendicantes ad proximum Concilium referrent hujus Bullae examen, et interea decreto Lateranensi et Gallicanorum sententiae adhaererent. Ast illud his non placuit. Hinc Callixtus Papa, ut pacem reduceret, redegit omnia privilegia ad sensum Clementinae *Dudum*. Parisiis paruere huic praecepto regulares. Ast Romae non item sentiebant plures Ordinum Generales Praepositi : quo referenda videntur quae tradit Raynaldus de formula provocationis ad Concilium, condita ab Ordinum magistris : « at ejusmodi factione, inquit (1), Franciscus (*Roverius, Minorum Minister Generalis, dein Sixtus Papa IV*) sese non implicuit, atque apud Paulum est professus, se ab eo facinore abstinuisse. »

12. Omnium terribilissimae machinae, quae umquam adversus Mendicantium privilegia mota fuit, meminit dein Thomassinus (2). Ast Aegidius Viterbiensis, Generalis Praepositus Eremitarum S. Augustini et S. R. E. Cardinalis optime nos docebit quid in Lateranensi Concilio acciderit, quum ipse cum Generali Praedicatorum Magistro omne fere hujus negotii pondus sustinuerit. « Hactenus, inquit in litteris ad universum suum Ordinem (3), quadriennio laboravimus. Exstincto enim Julio II Pontifice Maximo, ac creato Leone X, omnium mortalium mitissimo, clementissimo, humanissimo, reverendissimo, reverendos Dominos Praelatos spes incessit invadendarum Reli

(1) Annal. eccles. ad annum 1471, num. 69, tom. 29, pag. 519.
(2) Op. cit. pag. 765.
(3) Aegidii Viterb. epist. 24, ap. Martenne, Vet. Scriptt. Collect. ampliss. tom. 3, col. 1264.

gionum et abrogandorum privilegiorum : quod diu totis animis exoptaverunt, et ad id, a quo Julii durities absterruit, Leonis tum mansuetudo, tum lenitas invitavit. Data ab Ordinibus est provincia reverendissimo Domino Generali Praedicatorum, viro singularis et eruditionis et auctoritatis, et secum mihi; qui hoc quadriennio cum Protectoribus, cum Cardinalibus, cum Episcopis, cum oratoribus Regum et principum, cum ipso denique Pontifice, ac in primis cum tribus Sedis apostolicae commissariis die noctuque institimus, defendimus rem nostram, et quantum fieri licuit, tutati sumus. Volebat Concilium delere omnia, quae nos a Pontificibus, circumventis dolo, fraude, importunitate, vi extorsisse jactabant. Episcopalem dignitatem non laesam modo, verum etiam inhonestatam, afflictam et prope eversam esse dicebant. Itaque ut in capitulo Ariminensi ostendimus, ne omnia persequerentur (ut dictitabant), octuaginta articulos formaverunt, quos de nostris privilegiis abradi contendebant : ut de quarta rerum omnium solvenda, de confessionibus, de sepulturis, de praedicatione, de justitia administranda : ut, nisi per mensem faceremus, in jus Episcoporum transiremus, atque alia ejus generis. Scripsimus hoc discrimen ad universum Ordinem, ut in omnium periculo, omnium suffragio atque orationibus juvaremur. Petebant illi haec octuaginta capita; omnes nos, sibi consulentes, relinquebant. Pontifex nos in aliquibus cedere imperabat; Concilio claudendo non assensuros referens, nisi aliqua quae vellent de nostris privilegiis abrogarent. Nos, ubi omnia servari posse non datum est, ea servare annixi sumus, quae tamquam praecipua et Ordinis essentialia esse videbantur. Multum Generalis Praedicatorum reverendissimus profuit, multa doctissime, copiosissime, constantissime adduxit. Ego Religionem obsessae civitati comparavi, cui duo essent maxime necessaria, intus annona ad victum, foris murorum propugnacula ad tutelam : utrumque civitati necessarium, alterum ut a fame, alterum ut ab hostibus tueatur, utroque vix tuto agi; unum si desit, esse intereundum... intus eleemosynas nos alere; foris nos jurisdictione defendi : periturum alterum, si quarta solveretur; alterum casurum, si praelatorum judicio nostra cognoscerentur. Proinde nos omne tormenti genus subituros potius, quam in his duobus laedi pateremur. » Monet dein pientissimus et doctissimus vir Fratres

suos haec et plura alia intacta relicta fuisse; commendat eis quam maxime religiosam disciplinam; aitque : « Nunc agite gratias Deo Servatori; et orate pro sanctissimo Domino nostro, qui nihil nostra causa non fecit; et reverendos praelatos summa reverentia prosequamini. »

Et quidem recte de Leone X dixit : « Nihil nostra causa non fecit. » Etenim ut leo pugnavit pro religiosis; schismaticas fere vias, quas tentarunt nonnulli Episcopi, summa prudentia occlusit; et ita rem finiendam curavit ut praecipua privilegia, regularibus vere utilia, integra permanerent et denuo confirmarentur ab ipso Concilio (1).

13. Ex hac historica narratione praecipuarum controversiarum de privilegiis, quae post conditos Ordines Mendicantium agitatae fuerunt, judicet lector, an « acerbae et multae querelae exortae fuerint praesertim adversus illa privilegia, quibus facultas dabatur regularibus excipiendi confessiones saecularium injussu Episcoporum et parochorum; » an contra quod tota massa funeralium non deferretur ad parochos; quod Episcopis non daretur quarta pars eleemosynarum, quas acciperent Mendicantes; quod tempore paschali liceret apud regulares confiteri; quod theologiam reliquasque disciplinas Mendicantes traderent; videatur dein quam justae, quam aequae forent hae querelae in quibus nulla ratio habebatur decretorum Summorum Pontificum; perspiciatur etiam quam recte dictum fuerit « universum hoc de privilegiis negotium ante Concilium Tridentinum componi et absolvi non potuisse; » quasi, quum Roma rescripta venissent, quum ipsa Concilia generalia tulissent decreta, causa non finita dicenda foret. Si objiciatur etiam post has constitutiones ortas fuisse adversum privilegia regularium querelas; eaedem ortae sunt post Concilium Tridentinum, adeoque saepius in patria nostra. Neque spes nobis est ullum umquam fore tempus, quamdiu regulares exsistent, quin jam hic jam illic adversus regulares querelae oriturae sint. Demus nos privari omnibus privilegiis, interdici sacro ministerio, subjici Episcoporum jurisdictioni eosque praelatos nostros regulares fieri : vix dubitamus, quin

(1) Cfr. Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1513, num. 1 et seqq. tom. 31, pag. 96 et seqq. ad annum 1516, num. 1 et seqq. pag. 121 et seqq. num. 28 et seqq. pag. 130 et seqq.

futurum sit ut tunc etiam exoriantur querelae, quoniam, ut cum S. Augustino (1) loquamur, in coelis tantum « ubi nulla est invidentia, concors est differentia. »

(1) De Sancta Virginit. num. 29, tom. 6 epp. col. 353.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE CONCILIO TRIDENTINO, IN QUO COGITATUM FUISSE DICITUR DE REVOCANDIS OMNIBUS REGULARIUM PRIVILEGIIS.

1. *Docet R. D. Verhoeven in Concilio Tridentino cogitatum fuisse de revocandis omnibus regularium privilegiis. Quid de eadem re tradat Febronius.*
2. *Adstruitur id Tridenti non fuisse cogitatum.*
3. *Confutatur primum argumentum Espenii et Febronii.*
4. *Confutatur secundum argumentum Espenii et Febronii.*
5. *Confutatur tertium argumentum Espenii et Febronii.*
6. *Confutatur quartum argumentum Febronii.*
7. *Confutatur ultimum argumentum Espenii, et exponitur historia turbarum, quas in Concilio Tridentino suscitavit Braccius Martellus.*
8. *Aggreditur Martellus missionem pontificiam regularium; refellitur a Caselio; castigatur a Concilii Praeside.*
9. *Iterum turbat Concilium et placide redarguitur a Cardinali Polo: accusatur a Legatis apud Summum Pontificem; increpatur a Concilii Praeside; a pluribus Patribus objurgatus, solvitur in lacrymas; favent Patres parochis et regularibus.*
10. *Episcopus quidam censet occasione utendum esse ad ampliandam Episcoporum potestatem; Pachecus et maxime Seripandus temperatissimun sermonem habent; licet Paulus III Patribus fecisset potestatem maximam, hi tamen ferunt decretum regularibus favens.*
11. *Tantum abest ut haec concertatio faveat R. D. Professori, ut ei prorsus adversetur.*
12. *Card. Pallavicinus, Concilii historicus, plane contradicit R. D. Verhoeven.*

1. Veniendum jam est ad ea, quae R. D. Professor in Concilio Tridentino cogitata fuisse tradit. « In hac Synodo, in-

quit (1) cogitatum quidem fuit de revocandis omnibus regularium privilegiis; sed propter labores, quos regulares in Ecclesia impenderant, Patres Tridentini noluerunt gratias et privilegia prorsus omnia revocare. » Quid ad haec regeremus? Haec absque ullo dubio conscripta fuisse a R. D. Professore, quin Concilii Tridentini historiographos consuluerit, et memoria eum ita fuisse lapsum ut Concilium Lateranense cum Concilio Tridentino confuderit. Frustra inquirimus benigniorem modum praesentis erroris explicandi. Quid enim? *In hac Synodo cogitatum fuit!* indefinite *cogitatum fuit!* quasi totius Concilii mens fuerit! Omisisset haec sane R. D. Verhoeven, si attendisset eo usque non processisse Myriophytanum Episcopum, qui scripsit tantum (2) « ex Actis et Historia Concilii, (*id est ex Petro Suavio*), constare *plures* ex Patribus institisse, ut authoritate Concilii haec privilegia omnimode revocarentur, regularibus ad primaevam suam institutionem reductis; vi cujus *non nisi ut auxiliares et subsidiarii* (3) praelatorum ac pastorum ordinariorum in hierarchicis functionibus, atque ab horum beneplacito dependentes considerandi veniunt; ast restiterunt, pergit, non solum illorum Ordinum Generales eorumque patroni, sed vel maxime curiales Romani. » Non itaque secundum Febronium id *cogitarunt* Generales Ordinum Praepositi; non id *cogitarunt* eorum patroni, maximo numero praesentes; non id demum *cogitarunt* curiales Romani, id est Praesules ex animo Petri cathedrae adhaerentes : *plures* tantum id *cogitarunt* secundum Febronium. Sed quae sit rei veritas jam dispiciamus.

2. Imprimis nuspiam invenimus neque apud Palavicinum, neque apud Raynaldum, neque apud Natalem Alexandrum, neque apud Psalmaeum, ullum omnino in universo Concilio Tridentino fuisse Patrem, qui egerit aut vel minime verbum fecerit *de revocandis omnibus regularium privilegiis,* ut Rev. Dominus scripsit. Sed in coetu generali, die 23 Novembris anni 1563 habito, ut tradunt Acta arcis Aeliae, a Pallavicino (4)

(1) Pag. 32.

(2) De Statu Ecclesiae, tom. 1, pag. 592.

(3) Haec verba alio charactere jussit excudi Febronius.

(4) Hist. concil. Tridentini, lib. 24, cap. 3, num. 7, tom. 3, pag. 293, edit. Antverp. 1673. Cfr. Act. Concil. Trid. per Card. Gabrielem Palaeottum ap. Raynaldum, Annal. eccles. ad annum 1563, num. 199, tom. 34, pag. 468.

citata, « de regularibus illustre praeconium habuit (*Cardinalis Carolus*) Lotharingus, testatus tria regularium millia in Gallia paucorum mensium spatio crudele martyrium passos fuisse, quod obedientiam Romano Pontifici debitam abjurare noluissent. Quapropter uti ceterorum clericorum immunitatem ab Episcopis plurimum improbabat, ita eamdem in regularibus admodum a se comprobari; et Patres cohortabatur ut illorum privilegia illaesa praestarent. » Neque haec ille dixit, quod de resecandis regularium privilegiis ageretur a Patribus, sed occasione decretorum de reformatione regularium : solitus nempe pro auctoritate, quam in Concilio habebat, nonnumquam Cardinalibus legatis praecurrere et in antecessum suam de rebus non tractatis aut numquam tractandis sententiam dicere. Utut id est, nemo omnino ei contradixisse legitur in praesenti de privilegiis quaestione.

His accedit penes legatos omnino fuisse eosque pro viribus hanc sibi integram vindicasse potestatem, ut ipsi soli argumenta discutienda proponerent (1). Porro nuspiam legitur quidpiam hujuscemodi a Concilii Praesidibus fuisse propositum, vel ullum Episcopum eos privatim adiisse (ut licebat), eosque adhortatum fuisse ad abolitionem privilegiorum Concilio proponendam; quo casu Praesulum voluntati satisfactum iri saepius protestati sunt (2). Praeterea fuere in Concilio nonnulli Praesules, qui se his legibus non obstrictos crederent, et jam haec jam illa opportune importune proponendo interturbarent discussionem decretorum, de quibus solis eis agendum fuisset. Verumtamen nulla uspiam reperitur mentio quod aliquis e Concilio Pater *omnia regularium privilegia revocanda* dixerit.

Demum in « Collectione actorum et decretorum sacri oecumenici Concilii Tridentini in duas partes divisa, quarum prima continet *acta* et canones ab anno 1551 ad 1552, secunda medullam votorum et sententiarum Patrum Concilii super praecipuis materiis propositis in congregationibus ab adventu eminentissimi Cardinalis Lotharingici cum Episcopis Gallis, ab anno 1562 ad finem Concilii, auctore Nicolao Psal-

(1) Ibid. lib. 7, cap. 4, num. 17 et seq. tom. 1, pag. 232 et seq. Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1546, num. 66 et seqq. tom. 33, pag. 132 et seq. et alibi saepius.

(2) Febronius, Commentarius in suam retractationem, posit. 22, pag. 137.

maeo canonico Praemonstratensi, Abbate S. Pauli et Virdunensi Episcopo, *ejusdemque Concilii Secretario et canonum redactore,* » reperitur integrum caput *de exemptione et correctione canonica* (1). Ast nullum hic omnino occurrit verbum de tollenda exemptione seu privilegiis *regularium*, verum de abolenda exemptione *canonicorum saecularium* : quocirca proponuntur prius argumenta, quae hanc abolitionem suadeant; dein tamen concludit Psalmaeus : « An vero sic expediat his temporibus ex abrupto et absolute eas tollere, adhuc sum anceps, quum sciam multa capitula exempta omni virtutum luce clarescere. » Nihil hic de regularibus.

3. Van Espen tamen et Febronius quintiplici argumento contendunt reipsa ab aliquot Patribus serio actum fuisse de revocatione omnium privilegiorum seu exemptionis regularium. Quam in rem profert primo loco Espenius (2) verba nonnulla quorumdam praelatorum, qui circa annum 1537, jubente Paulo III Consilium de emendandis abusibus conscripserunt Verum in his non agitur de exemptione regularium, sed *de saecularium clericorum exemptione,* ut ex contextu satis liquet (3).

4. Urgent dein Van Espen (4) et Febronius (5) articulos pro reformatione *nomine Episcoporum et principum* Germaniae *Concilio Tridentino* exhibitos, quorum quartus erat : « Revocandas omnes exemptiones contra jura communia passim concessas, monasteriaque omnia sub Episcopi potestate constituenda sub cujus sunt dioecesi. » Re quidem vera reperitur iste articulus inter eos « qui ex parte *Caesareae Majestatis* ab ejus oratoribus praesentati sunt *Legatis* Concilii Tridentini (6). » Sed en paucis horum articulorum historiam : die septima Junii anni 1562 « Caesariani, inquit Palavicinus (7), detulerunt ad praesides volumen quoddam a Ferdinando ad se missum, ut Synodo traderent... Liber ille comple-

(1) Ap. Hugonem. Accessiones nov. ad historiam ecclesiast. et civil. pag. 403 et seq.

(2) Jus eccles. univ. part. 3. tit. 12, cap. 6, num. 1, tom. 2 Opp. pag. 427.

(3) Cfr. Le Plat. Monument. ad hist. Concil. Trident. spectant. tom. 2. pag. 601 et seq.

(4) Op. cit. num. 3. pag. cit.

(5) Flores sparsi, pag. 498.

(6) Le Plat. Monumenta, etc. tom. 5. pag. 266.

(7) Hist. Concil. Trid. lib. 17. cap. 1. num. 6. tom. 3. pag. 2. edit. Antwerp.

ctebatur magna ex parte sensus injectos inexperto Religionis studio quorumdam proborum *ab eorum arte, qui omnem impendebant operam ad elevandam Synodi ac Praesidum dignitatem, splendoremque pontificatus minuendum.* Legati vehementer eo sunt commoti; quumque Muglizio Archiepiscopo Pragensi ostendisssent, quanta tum Concilii tum Caesaris indignitate volumen illud conventui traderetur, eos cohortati sunt, ut tantisper suspenderent, dum ipsi per officia Nuntii Ferdinandum ab eo consilio dimoverent. Quin praeterea Muglizius ea opportunitate, qua brevi per dispositos equos iturus erat ad suam Pragensem Ecclesiam, ut Regem Bohemiae coronaret, suscepit in se munus id Caesari suadendi. » Porro « aequi bonique accepit Caesar, ut habet Raynaldus (1), libelli sui articulos non fuisse propositos, *quod non ipse eos teneret,* sed a populis sibi subjectis fuerant expetiti. » Obtrusi hi scilicet fuerant Imperatori a quibusdam pessimis Germaniae praelatis, ut liquet ex responso quod ad eos dedit Pius IV, quum eos accepisset : « Utinam, inquit inter alia (2), per Germaniam Ecclesiae principes, *quos facile* sua sanctitas *intelligit hujus esse authores tragoediae,* sua vita plusquam saeculari non magis scandalizarent Christi Ecclesiam! » Neque umquam dein in Concilio propositi fuere malevoli isti articuli. Praeterea paucis annis ante in Caroli V Formula reformationis ecclesiasticae, statibus imperii in comitiis Augustensibus proposita et probata, integrae servantur regularium immunitates (3).

5. Espenius (4) et Febronius (5) tradunt ex Petro Suavio caput v sessionis XIV, de Conservatorum jurisdictione certis finibus concludenda, Patribus multum displicuisse propter clausulam quae in hac parte integram servabat exemptionem universitatum, locorum regularium et hospitalium; rem nuntiatam per Legatum Pontifici, sed responsum esse : « Re non ita pridem Paulo III Pontifice determinata, nimirum esse necessarium ad tuendam auctoritatem apostolicam, ut Fratrum conventus et academiae omnino a Pontifice pendeant, nihil opus erat deliberatione. » Ast praeter id maledicentis-

(1) Annal. ecclesiast. ad annum 1563, num. 42, tom. 34, pag. 366.
(2) Ibid. num. 43, pag. 367.
(3) Le Plat. Monum. Concil. Trid. tom. 4, pag. 79.
(4) Op. cit. num. 4, pag. cit.
(5) De Statu Eccles. cap. 7, § 8, pag. 602.

simi Suavii assertum, quod totum eo vergit ut persuadeatur liberum non fuisse Concilium, sed decreta Romae non Tridenti fuisse condita, nullum omnino superest de hac re testimonium. Palavicinus (1) id, quantum honoris Pontificum interest, confutat; Raynaldus (2) et Natalis Alexander (3), de hoc decreto agentes, nihil de Patrum displicentia habent; inter Monumenta de Concilio Tridentino, quae collegerunt Putcani (4), Labbeus (5) et Le Plat (6), nullum inveni quod de eadem mentionem faciat; Continuator Fleurisii (7) citat Palavicinum, sed insigni mala fide, quum non Palavicini narrationem sed haeretici Petri Suavii exhibeat; et Protestans Heideggerus (8) mere eumdem Suavium describit. Unde totius hujus narratus fides penes unum mendacissimum Petrum Suavium est.

6. Tradit quarto Febronius (9) « hanc rem *aliquoties* in Concilio agitatam fuisse, praesertim *die* 6 *Septembris* anni 1563 : » de cujus priori assertionis parte satis superque dictum fuit; quod vero attinet ad diem 6 septembris, ne tunc quidem ullum generalem coetum habitum fuisse apparet (10).

7. Asserit quinto Espenius (11) « patere ex oratione Braccii Martelli, Episcopi Fesulani, nonnullos Patres sub initium Synodi acriter insurrexisse in privilegia regularium, praesertim Ordinum Mendicantium, ob eorum ad functiones etiam hierarchicas extensionem. »

Porro indulgeat mihi lector si de turbis, quas suscitavit haec oratio dicendum mihi sit; ex ea non solum liquebit nonnullos e Tridentinis Patribus, qui se libera ingenia jactabant, non tantum libertate usos sed et aliquando abusos fuisse;

(1) Hist. Concil. Trid. lib. 12, cap. 13, num. 8, tom. 2, pag. 127.

(2) Annal. eccles. ad annum 1551, num. 59, tom. 33, pag. 442.

(3) Hist. eccles. saec XV, et XVI, dissert. 12, art. 9, tom. 10, pag. 536.

(4) Mémoires sur le Concile de Trente.

(5) Collect. Concilior. tom. 14.

(6) Monumenta ad hist. Concil. Trid. spectantia.

(7) Hist. ecclés. lib. 147, num. 51, tom, 30, pag. 216, edit. 1731.

(8) Anatom. Hist. theol. cit. in Veritate inextincta Concil. Trid. Redingii, tom. 2, pag. 425.

(9) De Statu Eccles. cap. 7, § 8, pag. 602.

(10) Palavicinus. Hist. Concil. Trid. lib. 22, cap. 8, num. 5, et seqq. tom. 3, pag. 236 et seq. et Acta Concilii Tridentini Gabrielis Card. Palaeotti, edente Mendham, pag. 595 et seq.

(11) Jus eccles. univ. part. 3, tit. 12, num. 2, tom. 2 Opp. pag. 427.

verum etiam satis superque constabit numquam Tridenti actum fuisse de revocandis *omnibus* regularium privilegiis.

8. Die 15 Aprilis anni 1546 habebatur congregatio generalis, in qua, ut refert Angelus Massarellus, a Raynaldo (1) citatus, adductum fuit in examen « decretum de lectoribus et lectionibus Sacrae Scripturae instituendis et concionatoribus ordinandis. » Qua occasione usus, Braccius Martellus, Episcopus Fesulanus, erga Pontificem, inquit Raynaldus, et religiosos Ordines male affectus, declamavit contra monachos. Ejus orationis epitomen ex Actis Concilii, a Raynaldo laudatis, lectori sistimus : « Me torquet, inquit, ut sit liberum regularibus in suis monasteriis, nec missis, nec vocatis a nobis, in nostris dioecesibus praedicare; nam, hoc si admiserimus, Pontifices, quid aliud est quam pati ut lupi, non per ostium, sed per posticum intrantes, greges nostros turbent. Quapropter rogo vos, Pontifices, ut haec pati nolitis. Quod si secus factum fuerit, protestor quod invitus omnino hoc permittam : verum provocabo ad Christi tribunal me nihil in hoc peccasse. Super vos igitur erit culpa et sanguis eorum. » Pergunt continenter eadem Acta : « Cui suo ordine Britonoriensis optime respondisse visus est; » inquit enim : « Patres, scire nos oportet omnium Christianorum Episcoporum esse Papam; nos autem in partem ejus sollicitudinis vocatos esse : quamobrem non minus per ostium intrat, qui a Pontifice Maximo mittitur ad nostras oves, quam is qui a nobis mittitur. Cogitate, si placet, Pontifices ipsos Maximos privilegia ipsa regularibus concessisse propter nostram desidiam, ne dicam ignorantiam; quod ni fecissent, protinus Christi Ecclesia corruisse'; sunt enim regulares, qui omne onus Episcopale subeunt; nos, siquid lucri est, nullo labore suscipimus. » « Britonoriensis sententiam, concludunt Acta, alii quoque secuti fuerunt (2); » adeoque Caselio, seu Britonoriensi Episcopo, communiter assensum fuisse sacrum senatum diserte testatur Palavicinus (3).

Sed Fesulani dicta impune abire non poterant : quocirca Cardinalis Montanus primus Concilii Praesidum, in oratione quam de propositis decretis ad coetum habebat, ad Martellum conversus : « Qui divinum, inquit (4), ad judicium provo-

(1) Annal. eccles ad annum 1546, num. 61, tom. 33, pag. 151.
(2) Ibid. loc. cit.
(3) Hist. Concil. Trident. lib. 7, cap. 4, num. 4, tom. 1, pag. 231.
(4) Ibid. num. 5, pag. cit.

cant ob gregem sibi concreditum, quum ab exteris abripitur, cur animo non reputant, a regularibus illorum partes expleri ab ipsis neglectas? Si vero Pontifex familias adeo de Ecclesia bene meritas privilegiis exueret, illae continuo concionandi laborem desererent cum ingenti fidelium detrimento. » Postremo dixit, uti delecti Patres studerent decreta conficere ex majoris partis sententia.

9. Expensis itaque de integro rebus in privatis congressibus, compositisque plurimorum animis ad moderata consilia ineunda, generalis alius coetus die 10 Maji coactus, quo illi articulo statuendo daretur initium (1). Decreti forma eo die proposita haec continebat : Haud licere regularibus concionari extra sua templa absque facultate suorum Praesidum et Episcoporum, neque in suis templis absque licentia suorum Praesidum, Episcopis scripto monstrata ; si populo offensioni forent, posse interdici ab Episcopo concionibus in quocumque suae dioecesis templo ; si haereses propinarent, judicium penes Episcopum fore (2). Turbavit hunc coetum tum lis, occasione oratoris Lusitani excitata, tum nova Fesulani oratio qua Pontificem, Legatos et maxime Mendicantes objurgabat, quod hi cuncta Episcoporum occuparent munera, soli e suggestu Evangelium explicarent, soli e sacrae confessionis tribunalibus animos fidelium regerent, et sus deque omnia perverterent. Igitur hortari se collegas, ut seipsos in pristinam auctoritatem restituerent ; adjecitque alia nonnulla contumeliosa, quae apud Labbeum (3), Le Plat (4) et Pallavicinum (5) legere est.

Cardinalis Montanus, qui per summam impatientiam Martellum audierat, studuit hominis ferociorem animum nonnihil deprimere ; at Polus, quem vulgo Cardinalem Angliae vocabant, gravi temperataque dicendi ratione intercessit : « Multa bona, inquit (6), dicta fuerunt a Domino Fesulano, quae et

(1) Ibid. num. 6.
(2) Ibid. num. 8.
(3) Collect. Concil. tom. 14, col. 1636 et seqq.
(4) Monument. Concil. Trid. tom. 3, pag. 405 et seqq.
(5) Hist. Concil. Trid. lib. 7, cap. 4. num. 12, tom. 1, pag. 231 et seq.
(6) Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1546, num. 64, tom. 33, pag. 152; Le Plat, Monum. Concil. Trid. tom. 3, pag. 413; Palavicinus, lib. 7, cap. 4, num. 15, tom. 1, pag. 232.

nos et boni omnes aeque secum desiderant; nam Episcopos residere, praedicare, muneri episcopali operam dare, non nisi bonum est; modus autem dicendi nequaquam bonus est; hoc enim magis invectiva fuit quam libera sententia, et seditiosa concitatio quam plana et aequa oratio; quamvis, si omnia perpendantur, neque oratio ipsamet satis sibi constat: non videt enim, quod dum proximis diebus curaret, ut nomina Legatorum delerentur ex decretis, et pridie dum ad tribunal Christi appellasset, quantum in se erat, jus et auctoritatem Concilii minuisset, quam maxime debebat extollere, si ex Concilii auctoritate desiderabat pristina jura Episcopis concedi et restitui; *nunc rursus non cogitat, dum adversus omnes regulares invadit, ut Episcopis propria restituantur, hoc unum agere, ut Episcopi careant ministris.* Utinam enim Episcopi sine iis facere possent, quoniam res Christiana melius se haberet quem se habeat etc.» At Fesulanus exclamans Polo respondit (1) : « Tacere eum non posse, qui se spoliari agnosceret. » Sed novas turbas timens Montanus conventum abrupit.

Significarunt Legati Cardinali Farnesio, Romae apud Pontificem degenti, gesta istius conventus : nempe ut decreto de tollendis corruptelis, quae in tractandis Sacris Scripturis committuntur, finis imponeretur; extractamque rem in noctem ob sententiarum in diversis capitibus varietatem; quum plures Episcopi propriis commodis magis quam aequitati consulerent, ac regularium *parochorumque* privilegia rescindi cuperent, quasi ipsorum auctoritas ex depressa eorum dignitate excresceret; Fesulanum et Clodiensem Episcopos, quorum dicta ad seditionem quodammodo spectare viderentur, ex Concilio revocandos videri; arsisse autem odio Fesulanum Praesulem in religiosos Ordines, declamantemque adversus eos lubenter audiri a pluribus. Haec Raynaldus (2), qui Legatorum litteras prae oculis habebat.

Generalis iterum congressus die 18 Maji habitus in quo post nonnulla de Legatorum potestate disceptata, Cardinalis Montanus, Concilii Praeses, acrius disseruit in praeteritam Fesulani concionem, cujus exemplar Romam miserat. Illam

(1) Palavicinus, num. 16, pag. cit.

(2) Annal. eccles. ad annum 1546, num. 65, tom. 33, pag. 152.

scilicet redarguit tamquam plenam calumniis, contumeliis, seditionibus, schismatibus. Calumniis quidem, quum in Pontificem quasi privilegia impertitum juri divino repugnantia, omnium corruptelarum sentinas; tum pariter in Legatos, quasi libertatem Concilii praepedientes, studentesque suo jure Antistites spoliare; contumeliis in eos Patres, qui decretum conflarant, quasi fallax et fraudulentum; multoque magis in regulares, dum eos cunctis probrorum criminumque sordibus onerabat; seditionibus, Episcopos oblique cohortando ne sententias in Concilio dicerent, antequam obtinerent id quod ipsis debitum ille rebatur; et oblata universo religiosorum Ordini ad tumultuandum occasione; denique schismatibus, quod inficiabatur licere Pontifici religiosis concedere uti libere concionarentur; aliaque haeresi finitima pronuntiabat. Voluisse Legatum ea omnia Patribus exponere; animadversione culpae consentanea in opportunum tempus servata, quum eo die argumenta proposita expendenda superessent (1).

Paulo post Caselius, per proxime praeteritam Fesulani concionem sibi visus appeti, dicendi spatium postulavit. Renitentibus Pacheco et Montano, urgebat: « Si jam illi patienter audierant hominem Synodo et ipsi Pontifici obloquentem, longe convenientius id indulgendum homini, qui suam dignitatem tueretur. » Petenti Caselio prius Galeatius Floremundus Aquini Antistes; dein alii plurimi assensere, Fesulani concionem tanquam *indignam* et *turpem* criminantes. Inter has obstrepentium voces Fesulanus, *obortis lacrymis*, contestatus est, haud suae fuisse mentis in Synodum vel Sedem apostolicam quidquam obloqui; quod siquae ambigua verba exciderant, Patres obtestari, ut in saniorem significationem acciperent. At Aegidius Falcetta, Caprulanus Episcopus, urgebat Martelli verba innoxiae interpretationis non esse capacia; illius nomen jam apud Lutheranos innotuisse, adeoque oportere ut inflicta pariter poena innotesceret. Tum vero, subjicit Pallavicinus (2), ex quo haec depromimus, suo malo sensit Martellus audaciorem in magistratus mordacitatem suscipi primo brevi plausu arridentis coronae; sed paulo post communi vituperatione discerpi, laesique magistratus arbitrio

(1) Palavicinus, lib. 7, cap. 4. (2) Ibid. num. 20, pag. cit. num. 19, tom. 1, pag. 233.

derelinqui. Hinc moestitia ac rubore perfusus, nitebatur suae mentis invocare testem in dictis, anteactae vitae seriem in rebus gestis. Qua demissione tacti nonnulli ex ejus adversariis, affirmarunt Episcopum ita resipiscentem venia dignum esse. Rem in ambiguo reliquerunt Legati, quod Pontificis responsum exspectarent; id demum ad eos delatum, nempe Fesulani *petulantiam* verbis tantum castigandam (1).

Deventum denique est ad ipsius decreti examen. Paucis diebus ante in coetu privato, coram Cardinali Polo habito, pene cunctis ibidem praesentibus placuerat instaurandam esse constitutionem Adriani VI, qua omnes injussu Ordinariorum concionari vetabantur. Verumtamen in praesenti generali consessu censuit Pachecus *curionibus* in paroecia degentibus *concedendum,* uti regularibus concionandi facultatem suis in templis traderent. Cui ardenter obstitit Episcopus quidam, olim ipse regularis : ast *pauci* ex Patribus huic, *plures* Pacheco assensere; et, licet postea hinc illinc duriora emissa fuerint verba, nil tamen mutatus fuit hujus congressus exitus (2).

10. In conventu diei 10 Junii iterum de eodem argumento actum est; et, licet ex testimonio Fabii Mignanelli, olim in Germania Nuntii, constaret Adriani VI constitutionem, pro Germania editam, ibidem usu non fuisse ubique probatam, eam tamen in medium protulit Episcopus ille regularis, de quo supra, monuitque Patres « magnae esse dementiae in suam rem potestate non uti, quum ea jam obtinetur, et alias speranda non est; haud semper coactam exstare Synodum oecumenicam; repeterent itaque Episcopi sua jura dum possent, et dum inerat Pontifici (ut ei supponere libebat), ea reddendi voluntas (3). »

Hujusmodi declamationes, inquit Palavicinus (4), plurimos trahebant eo validissimo illicio, quod prae se ferunt concilia ad communem utilitatem adducta, ubi illius per se singuli sunt participes : adeo ut, qui decretum in privatis coetibus digesserant, commoti, ut fieri solet, desiderio sedandi vehementius vociferantes, decretum reformarint, ita ut Episcopi venia

(1) Ibid. num. 13, pag. 232.
(2) Ibid. cap. 5, num. 6, et seq. pag. 234.
(3) Ibid. num. 7, pag. 235.
(4) Ibid. num. 8, pag. cit.

necessaria foret parochis ad accersendos regulares concionatores atque hi absque eadem venia ne in templis quidem suis concionari possent. In coetu generali diei 15 Junii redarguit hanc decreti partem Pachecus, sed frustra : quum plerique Patres pristinam suam mutassent sententiam. Surrexit tum Seripandus, Augustiniani Ordinis Prior Generalis, deinde Cardinalis et sub Pio IV cum quinque aliis Legatis Concilii Praeses, vir sane quam maxime venerabilis. Ad sacrum coetum temperatissimam habuit orationem, et (ut olim decessor ejus Aegidius Viterbiensis) strenue defendit regularium privilegia. Persuasit itaque Patribus parum de Episcopis et parochis, tot aliis sollicitudinibus circumdatis, circa praedicationem divini verbi sperandum esse ; hujus tamen promovendae necessitatem perspectam esse omnibus ; non itaque regularium oneri adjiciendum esse onus, ne ubi se ita coarctatos sentirent, suisque benefactis haec demum rependi, congelaret in ipsis omnis animi conatus ad studium ac laborem ; nam religiosos tandem homines esse, non perfectos sed ad perfectionem connitentes. Seripandi concio mirifice Patrum animos delinivit ; alii dein pro eadem sententia auditi ; sed exacta jam dies rem in proximum conventum protraxit (1). Hinc factum est ut die 16 Junii in coetu generali probatum sit decretum, quo adstringerentur regulares ut in alienis templis non concionarentur sine sui superioris et Episcopi licentia, in suis vero non sine licentia sui superioris et petitione benedictionis episcopalis, licet non obtentae. Postridie in sessione v lectum est prius Breve Pauli III ad Legatos, quo licebat Patribus ea de interpretatione et praedicatione verbi Dei pro suo arbitratu decernere, quae essent etiam juris communis et Conciliorum dispositioni, necnon Sedis apostolicae privilegiis repugnantia (2) ; propositum dein decretum, pridie probatum ; et responderunt omnes Patres simpliciter : *Placet ;* praeter duos qui addi voluissent : « Si neglexerint se praesentare Episcopo, non possint praedicare ; » quatuor, qui asserere cupiebant Episcopis facultatem prohibendi ; et Fesulanum, qui contra decretum *protestatus est* (3).

(1) Ibid. num. 9 et seqq. pag. 235 et seq.

(2) Martene, Vet. Monum. Collect. ampl. tom. 8, col. 1098 ; et Le Plat, Monum. Concil. Trid. tom. 3, pag. 427.

(3) Vide Vota Patrum ap. Martene, vet. monum. tom. 8, col.

11. Atque haec est famosa ista historia, qua multis in locis abutitur Espenius et quae verisimiliter Rev. Dominum induxit ad asserendum « in Concilio Tridentino cogitatum fuisse de revocandis omnibus regularium privilegiis; » dum tamen de una in praedicando verbo Dei libertate ageretur, et parochorum jus magis in controversiam ductum sit et passum, quam ipsa regularium privilegia; neque vicerunt regulares « propter labores, quos in Ecclesia impenderant, » ut tradit Rev. Dominus, sed maxime quoniam utilissimae eorum essent conciones et deinceps fore merito sperarentur. Postea vero, licet obstarent Galli (1) et maxime Cardinalis Lotharingus (2), qui perhibebat a quibusdam Episcopis haereticis in Gallia vetitos fuisse Catholicos conciones habere; decretum tamen fuit (3), ut nullus saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumeret : » unde liquet, et quidem potissime ex historia Concilii, Patres mentem suam mutasse, et hic veram intercedere antinomiam; licet per tres paginas contrarium statuat Rev. Dominus (4), non satis attendens ad ipsius Concilii acta.

12. Ut haec demum concludamus, opponimus Rev. Domino testimonium decretorium Cardinalis Palavicini, qui omnia Concilii acta, epistolas ultro citroque datas, rerumque gestarum commentarios pervolvit et cujus fides in scribenda Concilii Historia omnibus Catholicis probata fuit. Hic nempe, postquam aliquot retulisset argumenta, quibus impulsi Romani Pontifices immunitates et privilegia regularibus concesserunt, statuit contra Suavium in Concilio tractatum non fuisse de illis abolendis, sed de auctoritate quae Episcopis largienda videretur ad certos redarguendos regularium lapsus : « *Et sane,* inquit (5), *parum vel nihil actum est id temporis in Concilio de abrogandis regularium immunitatibus; sed potius majorne minorve tribuenda esset Episcopis auctoritas, regulares*

1097; et Le Plat, Monum. Concil. Trid. tom. 3, pag. 426; Cfr. Palavicinus, lib. 7, cap. 5, num. 15, tom. 1, pag. 236.

(1) Cfr. Psalmaeus, ap. Hugonem, Access. ad sac. antiquit. monum. pag. 402.

(2) Palavicinus, lib. 23, cap. 3, num. 5, pag. 233 et seq.

(3) Sess. 24, de reformat. cap. 4.

(4) Pag. 144 et seqq.

(5) Hist. Concil. Trid. lib. 8, cap. 17, num. 12, tom. 1, pag. 291.

in quibusdam conditionibus puniendi. Actum quidem est, an alii privati ecclesiastici, eorumque collegia vel capitula, ut vocant, sub Episcoporum potestatem redigenda; quae omnia, sicut postea videbimus, composita. Gravis quidem, sic pergit Concilii historicus, sed communis est hominum error, a proprio ipsorum amore profectus, per quem sibi quisque persuadet, aequum esse recuperare id, quo vel ipse vel ipsius majores semel potiti sunt, perinde quasi pro hujusmodi jure spoliandus et ipse non esset : quum certum sit, quidquid vel ille obtinet, vel ipsius majores possedere, aliqua vetustissima tempestate nec penes eum, nec penes suos illud fuisse, sed penes alios, qui rem illam amiserunt. » Haec ille. Superesset ut hic loci etiam late confutaremus Rev. Dominum, asserentem omnia regularium privilegia non fuisse revocata *propter labores,* quos olim in Ecclesia impenderant; sed inferius de causis concedendi conservandique regularium immunitates iterum recurret sermo. Quocirca deflectimus ad numerum VIII R. D. Professoris continenter sequentem.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

DE CONSERVANDIS REGULARIUM PRIVILEGIIS.

1. *R. D. Verhoeven nimium ampliat hodiernas regularium exemptiones.*
2. *Redarguitur quod ita loquitur de regularium privilegiis, quasi facile mutari possent.*
3. *Ita disserit quasi hortaretur Episcopos ad postulandam a Sancta Sede revocationem privilegiorum regularium.*
4. *Videtur innuere Sanctam Sedem ignaram esse rerum et rationum patriae nostrae.*
5. *Immerito suorum dictorum vadem facit Benedictum XIV.*
6. *Refertur monitum Benedicti XIV, ex quo patet non resuscitandas esse quaestiones, quas duodecim abhinc annis Sancta Sedes diremit.*
7. *Referuntur rationes, ob quas Gregorius Papa XVI exemtiones regularium in Belgio conservandas esse dixit.*

8. *In mentem revocantur Sanctiones ecclesiasticae et longa experientia.*
9. *Utilitas Sanctae Sedis.*
10. *Utilitas Episcoporum.*
11. *Utilitas regularium et Christi fidelium.*
12. *Odium haereticorum et incredulorum.*
13. *Redarguitur R. D. Verhoeven quod dixerit privilegia non omnia a Concilio Tridentino abolita fuisse propter pristinos regularium labores.*
14. *Regulares pauciora jura habent quam clerici parochiales; unde nullus invidiae locus.*
15. *In multis subjecti sunt Episcopis.*
16. *Regulares non constituunt statum in statu.*

1. « Cum igitur, inquit R. D. Professor (1), regulas de privilegiis traditurus, non omnia regularium privilegia et exemptiones fuerint revocata et nonnulla post Tridentinam Synodum a Summis Pontificibus denuo sint concessa, e re esse opinamur, hic aliquas de privilegiis tradere regulas, eo fine scilicet, ut clerus regularis iisdem non utatur nisi ad mentem Summorum Pontificum qui eadem concesserunt, et ut clerus saecularis non conetur legitimum eorum usum impedire. » Bona verba! sed rem ipsam videamus.

« 1° Quum Romanus Pontifex, ait Rev. Dominus (2), divino jure in universam Ecclesiam habeat supremam potestatem ac jurisdictionem (*adeoque* ORDINARIAM, *ut habet Concilium Lateranense IV* (3), *et* IMMEDIATAM, *ut illinc sequitur*), ipsi soli jus competit regulares personas vel loca regularia *eximendi* a jurisdictione Episcoporum contra vel citra horum consensum; et, ubi hoc jure utitur Summus Pontifex, regulares immediate et *omni modo* Sedi apostolicae subjiciuntur. » Licet hic aliqua etiam secundum praesentem disciplinam nobis non probentur, ea tamen sine asterisco transmittimus, quia ex inferius dicendis facile ea corriget lector.

2. « 2° Privilegia et exemptiones regularium pertinent ad rem Ecclesiae disciplinarem; atque adeo, quemadmodum res disciplinares omnes, sic etiam haec ex voluntate Summi Pon-

(1) Pag. 32.
(2) Ibid. loc. cit.
(3) Can. 5.

tificis secundum temporum et locorum circumstantias mutari potest (1). » De hac privilegiorum natura deque potestate Pontificis ea abolendi nemo ambigit : sed, quoniam R. D. Professor passim ita de rebus disciplinaribus loquitur quasi non ita difficulter mutarentur, animadvertendum est eas quidem mutari posse, sed nequaquam facile mutari, ne vilescat ipsa Pontificum auctoritas, ut ipsi ab antiquissimis temporibus declararunt, et ut necessarium aestimant omnes regiminis ecclesiastici peritiores. Caeterum audiatur de hoc argumento Benedictus XIV : « Hic autem monendos censemus, inquit (2), synodalium legum latores, ne facile putent Sedis apostolicae confirmationem in forma specifica accessuram esse eorum statutis, quae juri communi et *constitutionibus apostolicis* contraria dignoscantur : non, quia satis auctoritatis in eadem Sede non sit ad derogandum cuilibet positivae legi ecclesiasticae; *sed quia ita fert illius institutum et consuetudo, ut in peculiaribus quidem casibus, si graves causae ita suadeant, dispensationes a legibus generalibus aliquando concedere non recuset; ipsas tamen leges pro caeteris casibus in suo vigore subsistere velit; quum Romanus Pontifex sacrorum canonum atque constitutionum a praedecessoribus suis editarum, quoad licet, custodem se ac vindicem praebeat, ac etiam sanctioris illius disciplinae adsertorem, quae gravium theologorum, aliorumque sapientum, piorumque virorum consensu comprobatur.* » Quod dein probat exemplo; in quo agebatur de tollendo sat gravi abusu ex Ordine militari Hierosolymitano, quin tamen Sancta Sedes censuerit aliquid novi praescribendum esse.

3. Pergit dein Rev. Dominus (3) : « 3° Romani Pontificis unius est tamquam supremi judicis definire, quibusnam in adjunctis Ecclesiae causa exigat, ut privilegia sive exemptiones concedantur aut revocentur aut limitentur : » quibus ita regulares Belgae omnes subscribimus, ut addamus : « Sive morimur, sive vivimus, Domini sumus, » ejusque in terris Vicarii. « Sed hoc non impedit, addit adversarius, quominus particularium Ecclesiarum Episcopi Sedem apostolicam adire possint, ubi existimant in suis dioecesibus e re sacra esse, ut regularium privilegia immutentur aut coarctentur. Cum enim

(1) Pag. 33.
(2) De Synod. dioec. lib. 12, cap. 5, num. 14, tom. 12 Opp. pag. 71.
(3) Pag. 33.

Summus Pontifex peculiares omnes omnium locorum res atque rationes perspectas habere nequeat, quemadmodum fatetur Bonifacius VIII (1), Episcoporum non tantum jus sed et officium est, siquando contingat aliquam legem disciplinarem, statuta aut privilegia pontificia, quae Episcopi mutare nequeunt, dioecesibus suis opportuna non esse, ut Summum Pontificem de ea re certiorem reddant, eique rationes suas exponant; qui si eas firmas esse agnoscat, iisdem morem gerere non recusat (2). »

Nos quidem alienam scrutari mentem nolumus neque extra *Librum Singularem* R. D. Verhoeven vagari; verum per omnes critices leges licet nobis animadvertere quis horum verborum sensus *objectivus* sit. Porro meminit lector statum religiosum a Rev. Domino exhiberi non ut a Christo institutum, sed jure humano ortum; privilegia hodierna regularium recentiora esse; eorum originem necessitati temporum et affectui Romanorum Pontificum erga Ordines, ex quibus assumpti fuerant, tribuendam esse; ea multarum querelarum et dissidiorum fuisse causas; in Concilio Tridentino cogitatum fuisse de iis omnibus revocandis; id exsecutioni non fuisse mandatum propter solos labores quos olim in Ecclesia impenderant regulares; inferius videbimus nuspiam de eorum praesenti utilitate mentionem fieri, nisi semel ubi objurgandi videantur religiosi (3), adeoque fingi abusus aliaque id genus (4), quibus regularium privilegia exitiosa videantur. Quocirca non veremur asserere non aliter eum scripturum fuisse qui religiosorum privilegia et exemptiones sublata vellet. His praenotatis, veniamus ad examen Rev. Domini doctrinae.

4. Asserit itaque « Bonifacium VIII fateri Summum Pontificem *peculiares omnes omnium locorum res atque rationes perspectas habere non posse.* » Ast aliud omnino fatetur Bonifacius VIII, ut liquet ex ejus verbis, quae pro more integra recitabimus : « Licet Romanus Pontifex, inquit (5), qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem

(1) *De constitutionibus*, cap. 1, *Licet, in sexto* (lib. 1, tit. 2).

(2) Cfr. Benedictus XIV, De Synodo dioecesana, lib. 9, cap. 8, num. 3 et 4, edit. Venet. 1767.

(3) Cfr. pag. 35 et seqq.

(4) Cfr. pag. 64 et seqq. pag. 73 et seqq. pag. 106 et seqq. pag. 134, etc.

(5) *De constitutionibus*, cap. 1, *Licet, in sexto.* (Lib. 1, tit. 2).

condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur; quia tamen *locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta,* quum sint facti et in facto consistant, potest probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare. » Ex quibus liquet loqui Pontificem de consuetudinibus et statutis locorum aut personarum singularium, quibus non derogatur per constitutionem generalem; Rev. Dominus vero loquitur *de rebus atque rationibus locorum omnium,* quae suadere possent revocationem aut limitationem privilegiorum. Propterea tamen non diffitemur Bonifacii VIII verba in sensu accommodo etiam extendi posse ad eas locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta, quae mereantur non aboleri nova aliqua constitutione pontificia, prout ea adhibet Benedictus XIV (1), et quae proin jure exponuntur Sanctae Sedi, ut dispiciat an nova illa constitutio inducenda sit in eas dioeceses, ubi consuetudines et statuta ejuscemodi vigent; verum id diversum omnino esse ab his quae velit Rev. Dominus nemo non videt.

Non itaque hac Bonifacii VIII decretali epistola adstruenda est ignorantia illa, quam in Summo Pontifice Rev. Domino supponere libet; sed ad summum repeti potest ex humana imbecillitate quae tamen limites suos habet, maxime apud Pontificem ejusque consiliarios S. R. E. Cardinales. Romae enim *res et rationes locorum omnium* ita sunt perspectae, ut id unum ex praestantissimis negotiorum centris appellet Artaud in sua Pii VII historia. Ad quod sane multum conferunt regii oratores, qui undique illuc mittuntur; litterae et responsa Nuntiorum apostolicorum; commercium literarum, quod Cardinales aliosque primarios Romanos inter et praestantissimos uniuscujusque regionis viros intercedit; assidui itus et reditus itinerantium; sollicitudo omnium Ecclesiarum, quae Pontificem urget ut sibi res et rationes uniuscujusque regionis cognitas habeat; et demum relationes status dioeceseon, quas Episcopi statuto tempore Romam mittere debent. Quibus de causis nequaquam probare possumus haec Rev. Domini verba : « Sum-

(1) De Synodo dioeces. lib. 9, cap. 8, num. 3, tom. 9 Opp. pag. 199, edit. Basanensis.

mus Pontifex peculiares omnes omnium locorum res atque rationes perspectas habere nequit, » prout ille haec intelligit. Hoc enim modo universum ecclesiasticum regimen in periculum adducitur, et indirecte vellicatur Breve Gregorii Papae XVI; quo, ut supra vidimus (1), illustrissimo Mechliniensi Praesuli significavit « voluntatem suam esse, ut regularium, quos in Belgio iterum congregari contigerit, exemptio conservetur; » quodque ita exsecutioni fuit mandatum ut illustrissimi Praesules Mechliniensis (2) et Brugensis (3) regularium privilegiis nonnullas ex sua auctoritate facultates addiderint. Quae res multam recreavit catholicos Belgas, ut constat vel ex brevi prooemio, quod scriptor ephemeridum Leodiensium, tunc maxime temporis praecipuum Catholicorum Belgarum organum, epistolae encyclicae illustrissimi Archiepiscopi Mechliniensis praemisit; et contumelias aliaque inveterati odii signa ex incredulorum pectoribus excivit, quemadmodum manifestum est ex dicteriis cujusdam diarii, quae confutanda fuerunt (4). Atque haec de ignorantia Sanctae Sedis.

5. Monet insuper Rev. Dominus « Episcoporum non tantum jus sed et officium esse, siquando contingat aliquam legem disciplinarem, *statuta aut privilegia pontificia,* quae mutare nequeunt, dioecesibus suis opportuna non esse, ut Summum Pontificem de ea re certiorem reddant, eique rationes suas exponant; qui si eas firmas esse agnoscat, iisdem morem gerere non recusat. » Atque haec ex mente Benedicti XIV tradi indicantur. Quis autem haec legens, non continuo sibi in mentem inducat doceri a Benedicto XIV satis facile a Romano Pontifice mutari quascumque leges disciplinares, statuta aut privilegia, quum Episcopi ea suis dioecesibus opportuna non invenerint, et facile firmas reperiri rationes, quibus suadeatur privilegia, ipsi Ordinum religiosorum exsistentiae necessaria, revocanda esse? Sed nihil omnino de his habet Benedictus XIV; nuspiam ita mutabilem Ecclesiae disciplinam repraesentat; non

(1) Vide supra, pag. 155.

(2) Cfr. Epist. Encycl. Illustr. Archiep. Engelberti Sterckx ad univ. clerum dioec. data die 15 Januarii, 1836, ap. Journal histor. et littér. Liége, tom. 2, pag. 574 et seqq.

(3) Statuta dioec. Brug. edit. 1838, part. 1, tit. 6, pag. 69 et seqq.

(4) Cfr. Journal histor., etc. tom. 2, pag. 646 et seq.

loquitur de *aliqua* lege disciplinari, *de statutis aut privilegiis pontificiis,* sed disserit de lege disciplinari valde determinata. Ait enim (1) : « Non hic agimus de peculiaribus rescriptis aut mandatis; in quorum concessione... nihil facilius est quam ut aliquando Pontifices decipiantur vel falsa rerum enarratione, vel occultatione alicujus veritatis, quam si notam habuissent, numquam ea concessissent. » Quo in casu non solum Episcopis sed aliis omnibus, quorum intersit, conceditur apertio oris, ut jura sua deducere possint. « Multo minus, inquit dein (2), hic agitur de pontificiis constitutionibus dogmaticis... Agitur itaque de constitutionibus ad disciplinam pertinentibus; *at non ad illam, quae sacros respicit ritus, ceremonias, sacramenta, clericorum vitam : namque isthaec omnia a pontificia pariter auctoritate omnino pendent; ideoque apostolicae Sedis decreta, quae circa ea prodire contingat, inferiorum judicio et censurae nullo modo subjecta esse debent;* ut ipse etiam Petrus de Marca (3) tradit. Sed alia exstat ecclesiasticae disciplinae pars, de qua aliquando a Romanis Pontificibus generaliter statuitur. Verum nonnumquam experientia demonstrat, aliquod ex hujusmodi generalibus statutis, licet plerisque provinciis ac dioecesibus utile atque proficuum alicui tamen provinciae, aut dioecesi opportunum non esse : id quod legislatori compertum non erat, quum ipse peculiares omnes locorum res atque rationes perspectas habere nequeat, quemadmodum fatetur Pontifex in cap. 1 de constitutionibus in sexto. In his itaque rerum circumstantiis Episcopus intelligens apostolicae Sedis legem in dioecesi sua noxium aliquem effectum producere posse, non modo suas Romano Pontifici rationes repraesentare non prohibetur, quin potius ad id omnino tenetur. Neque Romani Pontifices umquam renuerunt inferiorum rationibus aurem praebere; et, quoties has satis validas esse agnoverunt, minime recusarunt aliquas provincias aut dioeceses a generalium constitutionum suarum lege, *quoad disciplinae genus illud, de quo nunc agimus,* eximere. » Non hic igitur agitur de ALIQUA *lege disciplinari,* sed de lege disciplinari, inter arctos constricta fines; non de *vetere* lege revocanda, sed de nova non ubique inducenda; multo minus hic quaestio est *de privilegiis pontifi-*

(1) Loc. cit. num. 2.
(2) Loc. cit. num. 3.
(3) De concordia sacerdotii et imperii lib. 2, cap. 7, num. 8.

ciis, quae, probante tot saeculorum experientia, Romani Pontifices regularibus concesserunt.

6. Idcirco tamen nequaquam negamus Episcopis licitum esse propter admirabilem illam humanitatem et mansuetudinem, qua omni tempore, maxime posterioribus aevis, erga Fratres suos Episcopos usi sunt Pontifices, Sanctam adire Sedem, etiam ut auferantur regularibus sua privilegia; verum, ut in omni re, sic etiam in hac parte modus adhibendus est. Quocirca quum Rev. Dominus totus hoc loco esset in enarrandis Episcoporum *juribus* et *officiis,* planum sane erat ut etiam mentionem faceret jurium Sanctae Sedis; maxime quum post verba Benedicti XIV, quae pro modo suo retulit, de ipsis his juribus monitum sequatur. « Illud autem, inquit Pontifex (1), omnino tenendum est, ut et in hujusmodi recursibus debita apostolicae Sedi reverentia semper servetur; et, quum ipsa, omnibus auditis, judicium suum protulerit, illius sententiae obtemperetur, ejusque jussa promptae exsecutioni demandentur. Constat enim aliquando procacem agendi modum in culpam adducere eum, qui alioquin bonum jus fovet quoad rei substantiam : aequum autem non esse apostolica decreta libenter accipi tunc solum, quum propriis intentionibus congruunt : at in sententia obfirmate persistere, quum Summus Pontifex, reclamantis rationibus auditis atque libratis, easdem tanti esse non reputat, ut mandata sua revocare vel generales leges moderari opportunum censeat. » Atque huc etiam, ad liberum auctoritatis pontificiae usum promovendum, referre potuisset Rev. Dominus insignem aliquem ex S. Bernardo locum : « Quisquis, inquit (2), vel aperte vel occulte satagit, ut quod habet in voluntate hoc ei spiritualis Pater injungat : ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse praelato, sed magis ei praelatus obedit. »

7. Quoniam vero hic loci agit R. D. Professor de revocandis regularium privilegiis, et alibi asseruit ea regularibus a sacro Tridentino Concilio relicta fuisse tantummodo propter labores, quos olim regulares in Ecclesia impenderant, necessarium videtur exponere praecipuas rationes, quae ad ea concedenda

(1) De Synod. dioec. lib. 9, cap. 8, num. 4.

(2) Serm. de diversis, sermo 35, tom. 1 Opp. col. 1157, edit. Mabillonii.

et conservanda induxerint Ecclesiae Praesules. Has ego ex ipsis Summorum Pontificum rescriptis, ex actis Conciliorum et ex probatissimis scriptoribus recensebo.

Imprimis, ut alibi vidimus (1), eorum utilitatem ex triplici capite comprobatam asserit Gregorius Papa XVI, *ecclesiasticas* invocans *sanctiones, longam saeculorum plurium experientiam,* et *ipsum haereticorum et incredulorum in exemptiones odium.*

8. Quod ad *sanctiones ecclesiasticas* attinet, praesto sunt innumera *omnium fere* Pontificum diplomata, immensa episcopalium et regiarum chartarum multitudo, et plurium Conciliorum etiam oecumenicorum acta, in quibus regularium exemptiones aut privilegia laudantur ut maxime utilia vel etiam necessaria. Quin imo, si in nonnullis Conciliis surrexere aliquot Episcopi, privilegia haec tollenda censentes, nihil aliud voluere reliqui Patres, quam ut abusus tollerentur, minime vero ut res ipsa abrogaretur (2); quin etiam ipsa priviligia denuo confirmarunt. Quod apud omnes probos de praesenti argumento scriptores maximi ponderis est.

Neque mirum : aderat nempe *longa saeculorum plurium experientia;* et, ut loquitur Pius papa VI (3), « quanta temeritas insurgere adversus disciplinam tam antiquam, tantaque auctoritate fultam in Ecclesia et regno! » Utilitas autem, *longa* illa *saeculorum plurium experientia comprobata,* valde multiplex est; sed ad quadruplex caput reduci posse nobis videtur : ad utilitatem nempe Sanctae Sedis, Episcoporum, ipsorum regularium et demum Christi fidelium, quos regulares opera sua adjuvare debent.

9. Et quidem *Sanctae Sedis utilitatem,* ex regularium immunitatibus ortam, tam Ecclesiae hostes quam probe Catholici admittunt. Quocirca Petrus Suavius (4), Espenius (5), Febronius (6) aliique privilegia regularium, quae adminicula vocant curiae Romanae, argumenta immediatae jurisdictionis

(1) Vide supra, pag. 133 et 307.

(2) Cfr. Pacetti, dissertatio de exemptione, pag. 45 et seq.

(3) Breve *Quod aliquantum*, Collect. Brevium, edit. Belg. 1801, tom. 1, pag. 90.

(4) Ap. Palavicinum, lib. 12, cap. 13, num. 8, tom. 2, pag. 127.

(5) Jus eccles. univ. part. 3, tit. 12, cap. 6, num. 4, tom. 2 Opp. pag. 427 et seq.

(6) De Statu Eccles. cap. 7, § 7, pag. 592, cap. 7, § 8, pag. 602 et seq. et passim alibi.

pontificiae, aut incitamenta regularium ad tuendam auctoritatem Papae, e medio censent tollenda. Contra ex hoc capite ea servanda propugnat Jacobus, Abbas Cisterciensis, in Memoriali oblato Concilio oecumenico Viennensi anno 1312 (6); similiter auctor Memorialis, eidem Concilio praesertim pro Mendicantibus exhibiti (2); pariter Salmeron, qui Concilio Tridentino maxima cum laude interfuit (3); necnon laudatissimus Concilii Tridentini historicus Palavicinus (4), aliique non pauci. Statuunt hi scilicet maxime enitere Romani Pontificis in universam Ecclesiam auctoritatem, quum in qualibet dioecesi aut provincia aliquos habet, quorum ipse unus ordinarius et immediatus pastor est; deinde compertum esse, omne generale regimen, quo se illaesum tueatur, opus habere in singulis provinciis aliquo praevalido praesidio ejusmodi subditorum, qui principi per se ac perpetuo illic dominanti nequaquam subjiciantur; tertio ad tuendam Sanctam Sedem adactos esse Ordines exemptos, quum eorum exemptio a potestate et arbitrio Pontificis pendeat; quarto, non alio pacto Minorum et Praedicatorum Ordines sustentandae Lateranensi basilicae collabenti, hoc est Ecclesiae catholicae, opportunos fuisse futuros : vaticinium profecto, quod re comprobatum est, vel ipso Nicolao Machiavello fatente; nec alio pacto Cluniacenses tanto praesidio futuros fuisse Pontificibus inter media schismata (*a*); adeoque quid regulares, nisi exempti fuissent, egissent

(*a*) Benedictus XIV (5) et Pacetti, (6) utilitatem exemptionis canonicorum cathedralium recensentes, non verentur haec scribere : « Et quidem Saravia (7), inquiunt, asserere non dubitavit, numquam tantam vim habitura fuisse duo illa capitula, Bellovacense in Gallia et Coloniense in Germania, ut sese valide viriliterque opponerent Praesulibus suis, tunc quum ambo, sicuti legimus in historiis, a fide catholica defecerunt, nisi fuissent a jurisdictione suorum Episcoporum immunia. » Similia habet Palavicinus (8).

(1) Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1312, num. 24, tom. 23, pag. 564 et 567.

(2) Ibid. pag. 569 et seq.

(3) Comment. in Evang. et Act. Apost. lib. 12, tr. 19, tom. 12, pag. 122.

(4) Lib. 8, cap. 17, num. 11 et seqq. tom. 1, pag. 291, lib. 12, cap. 13, num. 8, tom. 2, pag. 127.

(5) De Synodo dioeces. lib. XIII, cap. 9, num. 2, tom. XII Opp. pag. 107, edit. Bassan.

(6) De exemptione personarum non regularium ab auctoritate episcopali, pag. 11.

(7) Tractact. de adjunct. quaest. 1, num. 41.

(8) Hist. Concil. Trid. lib. 23, cap. 3, num. 9, tom. 3, pag. 254.

n hoc nostro Belgio, quum duo Praesules, ita adhaererent Jansenii placitis, ut tandem post exhaustam Pontificis patientiam excommunicandi fuerint, quum universitas Lovaniensis, totius Belgii seminarium, magnam sane partem eadem scabie infecta esset, et quum unus ex dictis Praesulibus adeo aversaretur exemptos regulares, ut ad eos supplantandos et conterendos in Belgium induxerit ope Sansigiranni et Jansenii Patres Oratorii Gallicani? Verum quum per eorum exemptionem minus timendae eis essent haereticorum irae, libere pergere potuere in excolendo agro dominico et servando populo a contagione. Similiter dubium nullum est quin maxime factum sit per regulares exemptos, ut tota fere missio Batavica a Jansenianis unguibus erepta fuerit. Oppressione scilicet et divexatione eo res deducta fuerat, administratore Codde Archiepiscopo Sebasteno, ut trecenti sacerdotes, laudantes doctrinam viri aperte haeretici, ipsimet indirecte haeresim professi fuissent; ut palam e pulpito annuntiaretur haeresis; exercitia pietatis Christianae, a Sancta Sede probata, publice ludibrio haberentur; sed, dum pauciores e clero saeculari resistere auderent torrenti, fortiter pro Dei causa stabant regulares, eorumque vexillo ita adhaerebat populus, ut non semel propulerit et ignominiose ejecerit presbyteros, qui gratiam physice victricem divenderent, rosaria et scapularia impeterent, confessionis sacramentalis sigillum violari posse, dum id majus bonum exigeret, praedicarent et alia adhiberent adminicula ad sacramentorum usum tollendum. Porro si Coddeus, Heussenius aliique haereseos antesignani et missionis praefecti eamdem in regulares nacti fuissent auctoritatem quam in clerum saecularem, quis obsistendi fuisset modus, quae conservandae Religionis via? Re quidem vera caro id tandum constitit Societati Jesu; adeoque anno 1708, dum in missione Hollandica centum circiter e provincia Belgica Patres sacrum ministerium exercerent, promoventibus Jansenistis, decretum tulerunt Status Hollandiae : « Mox exeant Jesuitae, sin minus tamquam perturbatores tranquillitatis publicae puniantur. » Et, ut addit Bachusius (1), ipse aliquando haereticae factioni addictus, « Omnes boni nominis, probatae virtutis, apostolici operis viri, non degeneres successores eorum, qui anno 1592

(1) Acta Zegeri Van Espen, Quesnelli et Erkelii, pag. 9, edit. prima.

in haec tempora per angustias haeresum et pericula missioni Batavicae tam egregiam navarunt operam, ut ubertate evangelicae messis, flore populi, nitore templorum, aediumque elegantia omnes operarios antecellerent; haec tamen commoda, hos splendores ea animi magnitudine reliquerunt, ut neque in Hollandiae proceres querimonia, nec in rebellem clerum maledicentia, neque vel unico libelli acrioris apice injuriam vindicaverint. » Haec Bachusius. Quis vero dubitet quin haec constantia in propugnanda fidei veritate, in servando erga Sanctam Sedem fideli obsequio, in dimittendis potius omnibus quam aures Vicariis suspensis aut intrusis praeberent, magnam partem debita sit exemptioni a Vicariorum potestate? Similia habet de Carthusianis Anglis aliisque Fellerus (1).

10. Neque minor est *Episcoporum utilitas,* debito modo intellecta. Sane S. Bonaventura ita de ea disserit : « Si autem movet eos, inquit loquens de Episcopis (2), quod sumus exempti a jurisdictione ipsorum quoad nos ipsos; tunc e converso consolentur, quod liberiores sunt, quod pro nobis non tenentur reddere rationem; ut de nostra gubernatione carent honore, ita sunt liberi a sollicitudine et labore, excepta providentia pietatis et inter nos in suae pacis unitate servanda. » Similiter Cardinalis Palavicinus : « Quapropter existimo, ait (3), nec, si Pontifex quidem Episcopis offerret ultro subjecturum se ipsorum jurisdictioni coetus omnes ab illa immunes, Episcopos, qui religionis studio ac prudentia praecellerent, ob publicam privatamque quietem ne id fieret precibus intercessuros. » Neque aliter Archiepiscopus Strigoniensis, Primas Hungariae et S. R. E. Cardinalis, Bathianus in epistola ad Josephum II loquitur, quum, allegans rationes ob quas regularium gubernium sibi vindicare nolit, inter alia rogat Imperatorem ut suum agendi modum adscribat « modestiae, quae non plus praesumit, quam audeat (4) » seu praestare valeat.

(1) Congrès d'Ems, pag. 144 et seq.

(2) Libell. apolog. in eos, qui FF. Min. advers. quaest. 10, tom. 5 Opp. pag. 711, edit. 1754.

(3) Hist. Concil. Trid. lib. 12, cap. 13, num. 8, tom. 2, pag. 127.

(4) Demissa exposit. Card. Bathiani, ap. Lettres de notre Saint Père le Pape et de Sa Majesté l'Empereur, pag. 41 et seq. edit. 1782; et Feller, Coup d'œil sur le congrès d'Ems, pag. 148; et ap. Roskovany, Monum. cath. de independ. potest. eccl. tom 1, pag. 519, Quinqueeccles. 1847.

11. De *utilitate* autem, quae *regularibus* ex exemptione oritur, integer liber facile conscribi posset. Imprimis haec non tantum utilis sed vere necessaria censetur iis Ordinibus aut Congregationibus, quarum omnia membra uno supremo capiti subsunt. Id adstruunt non tantum quatuor praelaudati scriptores, Jacobus Abbas Cisteriensis (1), auctor Memorialis pro Mendicantibus (2), Salmeron (3), Palavicinus (4), verum etiam primi Abbates Cluniacensis Congregationis, e quibus sex inter coelites relati sunt, sancti Franciscus et Dominicus, sanctus Franciscus de Paula, sanctus Ignatius de Loyola, S. Teresia et plures alii sancti Ordinum aut Congregationum religiosarum conditores aut reformatores; qui omnes necessarium duxerunt religiosos suos exemptos esse ab Episcoporum jurisdictione; quin etiam ipse Febronius in sua Retractatione id professus est his verbis (5) : « Exemptio regularium, quorum magna in Ecclesia utilitas, eorumdemque immediata subjectio ad Sedem apostolicam, legitimis ex causis, *in bonum non tantum religiosorum Ordinum, sed etiam universalis Ecclesiae,* videlicet *ad faciliorem eorumdem sub uno supremo capite gubernationem, introducta, et ab omnibus Ecclesiis agnita,* nedum a saeculari potestate, sed nec ab una particulari Synodo abrogari valet. Abusibus ex hac exemptione enasci valentibus per Concilium Tridentinum occursum et praevisum est. » Ad quam confessionem ei extorquendam multum sane valuerat nitida hujus rei expositio Zaccariae, qui urgens contra ipsum Febronium modum, adhibitum a sanctis Bernone, Odone, Majolo, Odilone, Hugone et Petro Venerabili, Cluniacensibus Abbatibus, in constituenda Congregatione Cluniacensi et in reformandis per eam monasteriis, sic concludit (6) : Frustra haec omnia fuissent, nisi monasteria Cluniacensi Abbati subjecta ab Episcoporum jurisdictione Romani Pontifices vindicassent; tot enim fuissent moderatores quot monasteria, neque

(1) Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1312, num. 24, tom. 23, pag. 564.

(2) Ibid. pag. 575 et seqq.

(3) Comment. in Evang. et Acta Apost. lib. 12, tract. 19, tom. 12, pag. 122.

(4) Hist. Concil. Trident. lib. 8, cap. 17, num. 12, tom. 1, pag. 291.

(5) Ap. Feller, Congrès d'Ems, pag. 150 et seq.

(6) Antifebronius vindic. dissert. 10, cap. 4, num. 8 et seq. Ap. Migne, Cursus Theolog. complet. tom. 27, col. 1179 et seq.

summa Abbatis generalis praefectura quidquam ad disciplinam seu instaurandam seu conservandam contulisset, ubi haec Episcoporum arbitrio relinqueretur. Id ergo primum sanctissimis Cluniacensibus Abbatibus cordi fuit ut quae suo essent monasterio subjecta coenobia, ea sub una essent Romani Pontificis potestate. Sic nempe disciplinae aequabilitas a capite in caetera membra dimanare, servarique certo poterat. Quod si praeclarissimi illi monasticae vitae instauratores, quum unus fere Benedictinorum monachorum Ordo floreret, ne turbarentur omnia, necessarium duxerunt, quid eos in tanta religiosorum Ordinum, qui postea inducti sunt, diversitate facturos fuisse putabimus? Quotusquisque enim est qui non intelligat, paucissimos tot inter Episcopos exstare, qui tot sanctorum institutorum vim, officia, discrimina animo complectantur, suamque ita in omnia curam intendere accommodent? Nihil tale a Romanis Pontificibus metuendum. Praesto illis plurimi sunt ex omni coetu consiliarii quos audiant, praesto adjutores plurimi quorum opera in abditioribus cujuscumque Ordinis Regulis perscrutandis utantur. Atque hac factum de causa quod omnium, quos post duodecimum saeculum introductos scimus, regularium Ordinum institutores suos Romanae Sedi alumnos devoverint, ab Episcoporum jurisdictione subductos. » Et sane quid fieret de religione, ut animadvertit auctor Memorialis pro Mendicantibus (1), quae, dum debet uniformiter vivere, subjiceretur multis et diversis voluntatibus, quaeque proin continuo obnoxia fieret diversis consuetudinibus diversisque modis agendi? Adde essentiam multorum Ordinum immutatum iri. Etenim S. Ignatius de Loyola multum secum deliberavit an speciali voto Sanctae Sedi devinciendi forent Societatis professi, et utrum praestaret eos voto adstringi Summo Pontifici an Episcopis; decrevitque tandem eos permittendos Papae, nequaquam Episcopis; neque id statuit sine gravissimis causis, quas apud Bartoli videre est (2); adeoque haec res ad ipsam Societatis essentiam pertinere declaratum est in Congregatione generali V (3). Atque idem dixerim de aliis fere Ordinibus. In omnibus enim certa est hierarchia,

(1) Ap. Raynaldum, tom. 23, pag. 373.

(2) Vit. S. Ignatii lib. 3, num. 6, pag. 204 et seqq.

(3) Decret. 44, 45 et 38, Instit. Soc. Jes. tom. 1, pag. 354 et 360, Pragae, 1757.

quae, ni sus deque omnia vertere velis, mutari nequit : verbi gratia, Franciscanus parere debet suo Guardiano; deinde Custodi ; tertio ministro Provinciali ; quarto Commissario Generali; quinto Ministro Generali; sexto Protectori Ordinis, qui solet esse aliquis ex numero Cardinalium ; postremo Summo Pontifici. Jam supponamus Episcopum intervenire huic ordini hierarchico : sane superior erit Ministro Provinciali ; unde hic in gubernanda sua provincia tot habebit superiores, quot sunt dioeceses in quibus sua provincia domos numerat; si Episcopum superiorem faciamus Commissario Generali aut Ministro Generali, (de Cardinali Protectore submittendo Episcopis quaestio esse non potest), res adhuc pejor evadit. Et quidem, in universum loquendo, quis non videt totum Ordinem disturbari? Nam, quum omnis imperii ratio ita sit comparanda, ut quo altius ascendas, eo minor sit superiorum numerus, donec tandum ad unum caput devenias ; hic contra haberes prius plures superiores, dein pauciores, postmodum unum et demum iterum bene multos, qui omnia ferme pro arbitrio regerent. Sed haec de Ordinibus et Congregationibus sub uno capite militantibus.

Generatim vero exemptionem utilissimam esse regularibus, bene institutis, ex multiplice capite liquet. Nam, ut loquitur Salmeron (1), cui reliqui saepius citati consentiunt, « quum ad bene gubernandum opus sit pastorem diligenter agnoscere vultum pecoris sui, et ut dilectionis affectu oves prosequatur ; certe magis agnoscere poterit oves, qui eamdem vitam est professus, quam Episcopus, qui ejusdem professionis monasticae ut plurimum esse non solet. » Quae omnino conformia sunt iis, quae in diplomate Corbejensi inserenda curavit Pontifex Nicolaus, anno 863, inquiens (2) : « Nec bene disponet aliquando cujuscumque militiae vitam, cujus non fuerit ipse qui disponit aemulator. » Et similia docet Salmeron (3); quin etiam addit bonos et doctos Episcopos, et qui olim fuerunt religiosi, a gubernio regularium arcendos, « quia ordinarent suae dioecesis religiosos ad bonum ipsius, et non ad bonum corporis totius Religionis ; unde cito Religio

(1) Comment. in Evang. et Act. Apost. lib. 12, tract. 19, tom. 12, pag. 122.

(2) Marini, Papiri diplomat. pag. 24.

(3) Tract. cit. pag. 121 et seq.

periret, sicut corpus in frusta concisum, partibus inter se divisis. » Particulatim vero explicat auctor Memorialis pro Mendicantibus hujus ruinae periculum ; sed brevitatis causa exhibebo tantum quae disserit de obedientia : « Potest argui ad propositum, inquit (1), primo ex obedientia, quia illud quod vel impedit vel minuit religiosorum obedientiam ad Patrem monasterii est nocivum voto obedientiae ab eis facto;... sed jurisdictio episcopalis nata est impedire talem obedientiam, quia jurisdictiones contendentes in eamdem personam natae sunt impedire, etiamsi respiciant diversos casus; quia, quantumcumque casus sint diversi, in una persona non possunt simul exsequi plures; nam exsequendo unam impeditur ab exsecutione alterius, etc. una impedit aliam, etc. Si concurreret jurisdictio episcopalis cum jurisdictione Abbatis super monachos, impediret jurisdictionem Abbatis et diminueret, quia qui subditur duobus, nullius obedientiae ad plenum subjicitur. Secundo arguitur ex eodem sic : quia illud, quod dat occasionem subditis religiosis minus prompte obediendi Patri monasterii, est nocivum bono obedientiae debitae illi Patri. Sed jurisdictio episcopalis est hujusmodi;... quia spes propinqui defensoris redderet religiosos subditos minus promptos obedire Patri monasterii, quia passim per appellationes qualescumque possent evadere manus ejus. Sed hoc est reddere religiosos ad obedientiam eis debitam minus promptos.» Hactenus anonymus ille. Quibus addimus cum Salmerone (2) exemptionis abolitionem scaturginem fore litium innumerarum inter monachos et Episcopos seu clericos; quas siquis cupiat, e castris Christi Domini expellendum esse monet Archiepiscopus Mechliniensis Humbertus a Praecipiano (3).

Quum *utilitas* Christi *fidelium* ex praemissis manifeste sequatur, diutius ei enarrandae insistere nolumus: de qua caeterum legi potest Fellerus (4).

12. Ad comprobandam demum exemptionum utilitatem invocat Gregorius XVI *haereticorum et incredulorum in exemptiones odium*. De odio isto jam satis superque diximus, quum

(1) Ap. Raynaldum, tom. 23, pag. 574.

(2) Tract. cit. pag. 123.

(3) Ap. de Ram. Synod. Belg. tom. 2, pag. 416.

(4) Congrès d'Ems, pag. 144 et seqq.

ostendimus adversarios Sanctae Sedis id semper molitos fuisse, ut exemptiones tollerentur. Quanti vero ponderis sit argumentum istud hi noverunt, quibus compertum est quam prudentes sint filii tenebrarum in sua generatione, adeoque prudentiores filiis lucis.

13. Hinc regredimur ad Rev. Domini dicta, quibus adstruxit « Patres Tridentinos noluisse gratias et privilegia prorsus omnia revocare scilicet *propter labores,* quos regulares in Ecclesia impenderant. » Re quidem vera, quum Fesulanus regularium *concionandi* libertatem aggrederetur, absurdum plerique censebant, ut tradit Palavicinus (1), eos theologos, quorum sudoribus ac vigiliis Synodus adversum haeresim tunc pugnabat, se loco praemii spoliatos cernere privilegiis, quibus per tot jam saecula fruebantur. » Ast Tridentinae Synodi historicus passim alias quoque tangit privilegiorum conservandorum causas, quas exhibuimus, et Salmeron, qui sane secundum Concilii mentem scripsisse censendus est, praeter laborum remunerationem, quam vix indicat, sex alias fusius exponit rationes; demum Pius Papa IV ad capita, reformationis a Ferdinando Imperatore proposita, respondit : de tollenda praelatorum seu Abbatum exemptione ne cogitandum quidem esse propter malam ipsorum Episcoporum vitam et segnem socordiam (2).

14. Supersedemus confutandis objectionibus, quae saepius adversus exemptionem et privilegia regularium motae fuerunt, quaeque jam pridem plane contritae jacent. Suffecerit indicasse Jacobum, Abbatem Cisterciensem (3), scriptorem anonymum Memorialis pro Mendicantibus (4), Palavicinum (5), Salmeronem (6), Zaccariam (7), Ladislaum Stappel (8),

(1) Hist. Concil. Trid. lib. 7, cap. 5, num. 14, tom. 1, pag. 236.

(2) Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1563, num. 44, tom. 34, pag. 372.

(3) Raynaldus, ad annum 1312, num. 24, tom. 23, pag. 563 et seqq.

(4) Ibid. pag. 567 et seqq.

(5) Hist. Concil. Trid. lib. 8, cap. 17, num. 11 et seq. tom. 1, pag. 291, lib. 12, cap. 13, num. 8, tom. 2, pag. 127, etc.

(6) Comment. in Evang. et Act. Apost. lib. 12, tract. 19, tom. 12, pag. 123 et seq.

(7) Antifebronius, cap. 7, § 8, tom. 4, pag. 272 et seqq. sed maxime Antifebronius vindicatus, dissert. 10, cap. 4, num. 5 et seqq. ap. Migne, Cursus compl. Theol. tom. 27, col. 1173 et seqq.

(8) De genuino statu Eccles. contra Febronium, part. 3, § 10, cap. 7, tom. 1, pag. 241.

Anfossi (1), Cardinalem Gerdilium (2) et caeteros, qui nihil de eis integrum reliquerunt : quos scriptores ideo consulendos indicamus, ut, sicui liberet Thomassini, Launoyi seu Espenii renovare difficultates, prius attente consideret illorum responsa ne quod actum est agere cogamur.

Verum si inutile arbitremur haec prisca et dudum sepulta adversariorum argumenta exhumare, ex altera parte necessarium omnino videtur praecipuas novas, quae interdum audiuntur, difficultates ad examen revocare.

Objicitur itaque primo *privilegia hac aetate odiosa esse.* Quantum haec assertio ad rem politicam pertinet, neque affirmare eam neque negare nobis lubet. Sed id solum animadvertimus, nempe vocabulum *privilegium* esse maxime ambiguum, ut notat De Marca (3). Eo enim nuncupatur primatus Romanorum Pontificum, jura patriarchalia, metropolitana, adeoque, quas vocant, libertates Ecclesiae Gallicanae (4); tribuitur etiam istud nomen aliquibus beneficiis et favoribus, quae summi principes privatis hominibus concedunt; eo designantur honores et munera, quae certum hominum genus supra alios extollunt; demum « privilegia, inquit S. Isidorus Hispalensis (5), sunt leges privatorum, quasi privatae leges; » et hoc postremo sensu intelliguntur privilegia regularium, non secus ac specialia jura pupillorum, militum, aliorumque in lege civili, et canonicorum, parochorum, vicariorum aliorumque in lege ecclesiastica. Quid autem odii insit aut inesse possit huic privilegiorum generi prorsus non videmus. Nequaquam enim regulares attolluntur per sua privilegia supra clerum saecularem; sed privatae leges, quas in eorum gratiam tulit Pontifex aut Ecclesia, eae sunt ut eorum jura et praerogativae multo minora sint quam cleri saecularis. Permittente aut approbante Episcopo, concionari et confessiones excipere possunt regulares; Missae sacrificium offerunt et communionem distribuunt fidelibus; sed haec omnia quoque faciunt clerici saeculares et multo

(1) Difesa della bolla *Auctorem fidei*, tom. 2, pag. 64 et seqq.

(2) Confutazioni di due libelli contre il breve : *Super soliditate*, tom. 1, pag. 32, edit. 1789.

(3) De concordia sacerd. et imper. lib. 3, cap. 1, num. 8, tom. 2, pag. 11 et seq. edit. Bambergens. 1788.

(4) Ibid. loc. cit.

(5) Orig. lib. 5, cap. 8.

plura, quae regularibus absque speciali Episcopi aut parochi licentia interdicta sunt : quae inter veniunt baptismi collatio, extrema unctio, viaticum, benedictio nuptiarum, adeoque (quum in ecclesiis amplius sepelire non liceat) funerum celebratio. Praeterea ubi clerici saeculares et regulares in unum convenire debent ex lege ecclesiastica, honoratior locus competit saecularibus; hi insuper populum sibi in spiritualibus subditum habent, nequaquam vero regulares; quotannis pensionem accipiunt saeculares a gubernio, ne obolum quidem regulares; verbo in paucis pares sunt regulares saecularibus, in plerisque multo inferiores. Et tamen odiosa dicerentur regularium privilegia! quae nomen quidem rei, quam nonnulli aversantur, retinent; nequaquam vero sunt haec ipsa res. Phaleras itaque verborum plebi relinquamus; valeant a clericorum colloquiis.

15. Caeterum errat profecto multumque errat, qui cum R. D. Verhoeven arbitretur regulares exemptos *immediate et omni modo* Sedi apostolicae exclusive subjectos esse. Insignem enim in eos habent auctoritatem Episcopi, qua ordinarii et qua delegati Summi Pontificis; videlicet Erasmus a Chokier in Tractatu de jurisdictione Ordinarii in exemptos plures quam centum enumerat casus, in quibus regulares Episcopis subduntur; eos ad pauciores redegit Fagnanus, ipse tamen ultra quadraginta referens; similiter Cherubinus Mayr longum ex eis texuit elenchum.

Merito itaque admonnit Zaccaria (1) Febronium, ne amplius sibi illud excidere pateretur : *monachos ab omni Episcoporum jurisdictione exemptos esse.* Talia quidem, quae nunc etiam ex imprudentibus interdum labiis excidunt, valere possunt ad invidiam conflandam regularibus apud Episcopos, sed a veritate prorsus abludunt. Multo aptius Franciscus Fontanus concionator regius in *Responsione ad quaesita cujusdam primarii praelati circa hierarchiam ecclesiasticam, utrum Episcopi aliique praelati recte et utiliter regulares in subsidium animarum advocent admittantque*, reverendissimos Dominos Episcopos alloquitur : « Quid, inquit (2), magnitudini regularium inest

(1) Antifebronius vindicatus, diss. 10, cap. 4, num. 2, ap. Migne, Cursus theolog. complet. tom. 27. col. 1165.

(2) Pag. 128 ap. Zaccariam, Antifebr. vindic. col. 1177.

quod vel animum vel oculos vestros possit offendere, qui, etsi centies essent majores quam de facto essent, tamen eos, quoties vobis lubitum est, ad pedes vestros abjectos videbitis? Concionandum est? ad pedes vestros prostratos habetis. Sacri ordines suscipiendi? en ad vestros pedes supplices cernitis. Petenda est potestas confessiones audiendi intra vestram dioecesim? iterum jacent ad vestros pedes. Necessaria est aliqua extraordinaria et peculiaris facultas ad absolvendum a casibus vobis reservatis? iterum ad vestros se projiciunt pedes. Iis ad vestras reverendissimas dominationes accedendum vel ab iisdem recedendum est? continuo ad vestros se pedes prosternunt. Quae quum ita se habeant, timerine potest ne ii, qui fere continuo cum omni humilitate ante oculos et pedes vobis adsunt, vobiscum de magnitudine velint competere et concertare, vel certe animo designatum habeant vestram eminentiam deprimere, quum, inclinato ad vestros pedes capite, in singula momenta vestrum nutum exspectent? » Et quidem jam pridem animadversum fuit regularium privilegia ita fuisse a Concilio Tridentino secutisque Pontificibus temperata, ut ad id unum valeant ne malevoli Episcopi Ordines destruant eorumve finem faciant irritum, et ut, deficientibus Episcopis, pontificia auctoritas et catholica fides cum minori formidine ab illis propugnetur; quum vero Episcopi sedulo suas peragunt partes, immunitates et favores pontificia nullius usus esse. Quocirca Cardinalis Bathianus, Hungariae Primas, qui cum Cardinali Franckenbergio, Archiepiscopo Mechliniensi, omnium acerrime novitatibus Projectistarum, quos vocabant, restitit, exponens Josepho II rationes, ob quas integra servanda sunt regularium privilegia : « Huc accedit, inquit (1), quod concessae regularibus exemptioni nos omnes, qui etiam Concilio Tridentino praesentes non aderamus, consenserimus. Quomodo nunc reprobabimus citra ullam causam, quod tunc non sine gravissimarum causarum intuitu approbaveramus, non quidem nos ipsi, qui modo sumus, sed qui tunc loco nostri et quorum nunc loco sumus? Nec dignetur Majestas vestra sacratissima illud gravius ferre aut interpretari, quod dicam nul-

(1) Demissa expositio Card. Bathiani, etc., ap. Lettres de N. S. P. le Pape et de Sa Majesté, pag. 42, et ap. Roskovany, Monum. cathol. pro independ. potest. eccles. tom. I, pag. 520 et seq. Quinqueecclesiis, 1847.

lam gravem mihi videri subesse causam, cur religiosi Ordines Ordinariis locorum quoad omnia subjecti esse debeant. Disciplina enim domestica et interna, *relative ad quam unice fere exempti erant a jurisdictione Episcoporum,* non... quomodo praejudicare possit jurisdictioni Episcoporum... video. »

16. Objicitur dein *regulares per suam exemptionem esse statum in statu.* Equidem fatemur tolerari non posse ut status sit in statu; sed quid sit statum in statu esse, probe intelligatur oportet : impii scilicet et politici maxime his dictis adversus Ecclesiam abusi sunt ut eam subderent civili ditioni. Porro status dicitur esse in statu, quum duae distinctae potestates *eisdem* subditis *de eadem re* praecipere possunt, absque mutua inter se subordinatione; adeoque, licet Episcopus et rex iisdem incolis praecipere possint, quum tamen secundum distinctionem, a Christo positam, Caesari reddendum sit quod est Caesaris et Deo quod est Dei, hinc fit ut status non sit in statu; similiter provinciae alicujus gubernator et Rex eisdem subditis imperare possunt secundum leges, sed quoniam inter Regem et provinciae gubernatorem intercedit subordinatio, status non est in statu; contra status in statu foret, si duo principes par imperium in eosdem subditos deque iisdem rebus sortirentur. Jam confidenter quaerimus ubi demum sit status ille in statu, quum regulares ab Episcoporum jurisdictione in quibusdam rebus sunt exempti. Nonne potius ordinis illa perturbatio obtineret, quum regulares exempti non essent? Unde enim innumerae scaturiverunt illae lites inter Episcopos et regulares non exemptos? Sane multo certius determinatae sunt res, in quibus Episcoporum potestas superior est auctoritate praelatorum exemptorum, quam casus in quibus Ordinarii jurisdictioni cedere debet auctoritas superioris non exempti. Hinc digredimur cum R. D. Verhoeven ad interpretationem privilegiorum.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE INTERPRETATIONE PRIVILEGIORUM.

1. *Docet R. D. Verhoeven privilegia regularium esse odiosa et strictae interpretationis.*
2. *Parum aequus fuisse videtur erga criticum Leodiensem, aliter sentientem.*
3. *Declarat se in quaestionibus Juris Canonici prorsus non curare auctoritatem extrinsecam, et manifesti erroris incusat S. Alphonsum de Liguorio et communissimam Doctorum sententiam.*
4. *Librum suum errorum vacuum esse scribit, quoniam a Vicario Generali approbatus fuit; licet ipsi Romani Pontifices fateantur se ut Doctores privatos errare posse.*
5. *Non referendo integrum Fagnani locum, suadet lectori hunc canonistam sibi favere, dum aperte ei refragatur.*
6. *In eamdem rem citat Zypaeum, de alio omnino argumento loquentem.*
7. *Hinc unus Berardus ei comes superest, auctor minoris ponderis in hac quaestione.*
8. *Citat R. D. Verhoeven duas Regulas Juris, non attendens eas obnoxias esse innumeris exceptionibus.*
9. *Innuit contrarium sentientes non bene perspecta habuisse principia Juris et duas omnium maxime vulgares Regulas Juris.*
10. *Citantur septuaginta auctores, in quos ea probra recidunt et qui R. D. Professori et Berardo adversantur.*
11. *Consectaria communissimae eorum sententiae.*
12. *Fundamenta hujus sententiae.*
13. *Exemptiones non adversantur juri communi.*
14. *Exemptiones non sunt hierarchiae ecclesiasticae inimicae, nec per eas jus alteri aufertur.*
15. *Neque Episcopis aufertur eorum jurisdictio.*
16. *Ex constitutione Innocentii III nequaquam sequitur privilegia esse strictae interpretationis.*

17. *Limitationes privilegiorum non sunt latae interpretationis, neque hic locus est facili ad principia regressui.*
18. *Contrariis assertis sacra Congregatio Concilii adversatur.*
19. *Referuntur declarationes sacrae Congregationis Concilii super constitutione Gregorii XV de exemptorum privilegiis.*

1. Propositio R. D. Professoris, de privilegiorum interpretatione agentis, nullis limitibus circumscripta, sic sonat : « Exemptiones sive privilegia, quibus regulares ab Ordinariorum jurisdictione liberantur, seu quibus ipsis aliquid conceditur quod juri communi contrarium est, in jure *odiosa* habentur, adeoque *strictae interpretationis.* » Idem tradit Van Espen duobus in locis et iisdem fere utitur argumentis et scribendi modis. Van Espen enim probat suam sententiam ex Regulis Juris 15 et 28 *in sexto* (1) ; idem facit R. D. Verhoeven (2) : Van Espen (3) citat textum Zypaei, minus ad rem facientem ; eumdem textum citat R. D. Verhoeven (4) : licet Fagnanus huic sententiae adversetur, locum ex hoc scriptore refert Van Espen (5) ; ex eodem scriptore locum quoque, licet diversum, refert R. D. Verhoeven (6) : inter utriusque probationes hoc intercedit discrimen, quod ille (7) textum quemdam Glossae in auxilium adducit ; hic (8) textum quemdam laudat Berardi. Quod si tanta est in argumentando concordia, mirum sane non erit si eadem sit animorum consensio in amandandis contrarium sentientibus auctoribus : de qua judicium penes lectorem esto. Ait scilicet Zegerus Van Espen (9) : « Plura apud recentiores, *praesertim regulares,* qui de exemptionibus ac privilegiis suis tractatus ediderunt, eisque amplificandis impense studuerunt, reperiuntur contraria regulis capite praecedente exhibitis ; (quibus scilicet

(1) Jus canonic. univ. part. 3, tit. 12, cap. 5, num. 3, tom. 2 Opp. pag. 423 ; Repagulum nimiae exemptionis, tens. object., part. 2, cap. 1, reg. 4, tom. 2 Opp. pag. 847.

(2) Pag. 33 et seq.

(3) Jus can. cap. cit. num. 4, pag. 422 et seq. ; Repagulum, loc. cit.

(4) Pag. 34.

(5) Repagulum, loc. cit.

(6) Pag. 34.

(7) Repagulum, loc. cit.

(8) Pag. 34 et seq.

(9) Repagulum, part. 2, cap. 2, § 2, pag. 852.

statuerat regularium privilegia strictae esse interpretationis); sed *rationi ac notissimis juris principiis adeo perspicue contraria,* ut ea vel retulisse pene refutasse sit. » Similiter R. D. Verhoeven : « Opinamur hanc etiam esse communem *illorum* canonistarum sententiam, *qui juris principia apprime habuerunt perspecta, et regularium privilegia secundum Juris Regulas interpretari studuerunt...* Non equidem ignoramus, complures canonistas et theologos esse, *praesertim inter regulares,* qui opinantur omnia privilegia Ordinibus regularibus concessa late imo latissime esse interpretanda (1). » Insignis sane concordantia.

2. Priusquam autem ipsam Rev. Domini doctrinam in examen vocemus, pauca nobis praefanda videntur de incusationibus, quibus obnoxia jam fuit, deque vindiciis quibus eam tueri conatus est Rev. D. Professor. Auctor scilicet anonymus animadversionum Leodiensium, animo componens istud : *Praesertim regulares* cum his verbis : *Illorum canonistarum sententiam, qui juris principia apprime habuerunt perspecta et regularium privilegia secundum Juris Regulas interpretari studuerunt,* scripserat (2) : « Ce qui semble dire que tous ceux qui sont d'un sentiment contraire, et qui veulent par conséquent donner une interprétation large aux priviléges accordés aux réguliers, n'ont pas connu à fond les principes du droit, ou n'ont pas cherché à interpréter les priviléges d'après ces principes, probablement parce qu'ils avaient quelque intérêt à ne pas le faire; aussi remarque-t-il un peu plus bas, que ce sont surtout les réguliers qui ont embrassé l'opinion contraire à la sienne; et cela par un intérêt facile à expliquer (*praesertim inter regulares, qui opinantur omnia privilegia Ordinibus regularibus et monasteriis concessa,* etc.). Mais M. le professeur attribuera-t-il ce sentiment intéressé à.... saint Alphonse de Liguori? » Equidem omnino fateor non alium a me in Rev. Domini verbis repertum fuisse sensum, quam quem Leodiensis scriptor iis tribuit; neque dubitare possum quin ita universim intellecta fuerint et credita ita esse intelligenda. Secus enim, inutiliter et absurde intercurreret istud : *Praesertim regulares*; dein, si noluisset Rev. Dominus sug-

(1) Pag. 34 et 35.
(2) Journ. hist. et littér. Liége, livr. de Nov. 1846, pag. 340.

gerere, hanc ab eis tradi doctrinam ob propriam suam utilitatem, non dixisset : « *Qui opinantur, omnia privilegia Ordinibus regularibus aut monasteriis concessa*, etc.; sed meminisset generatim ab eis statui, privilegia, quae vel ob praestita merita et labores, vel in utilitatem Religionis aut reipublicae conceduntur, sive *monasteriis*, sive *universitatibus*, sive *Regibus*, sive *Cardinalibus*, sive *Episcopis*, sive *militibus*, latae esse interpretationis; demum, non benevolam sub his verbis latuisse mentem indicare etiam videbatur eorum affinitas cum Espenii dictis. Quae rationes eae sane sunt, ut nemo temeritatis, calumniae aliorumque ejuscemodi scelerum incusari debeat, quod adversarii nostri verba eodem, quo Leodiensis criticus, intellexerit modo, seu in eis non viderit summa veneratione Rev. Dominum prosequi canonistas regulares. Hic tamen, latissime interpretatus privilegium Doctorum, quo dicta sua numquam retractent sed explicent, ita ad has animadversiones respondit (1) : « Il ne me reste qu'à m'expliquer sur un dernier point, mais un point fondamental dans toute discussion canonique sur les *priviléges*, celui de leur interprétation. Je pense qu'un privilége doit être strictement interprété, et je crois de plus avoir étayé cette opinion de solides motifs et d'indéclinables autorités. Berardi, Zypaeus et Fagnani méritent d'être écoutés, et c'est leur doctrine qui parle dans mon livre. Il est vrai que tout le monde n'est pas de leur avis, qu'on trouve, surtout parmi les réguliers, un grand nombre de théologiens et de canonistes qui défendent le système opposé. Mais qu'importe? N'est-on pas libre dans les questions controversées d'épouser l'avis qui paraît le plus raisonnable, sans être soupçonné, à raison de ce choix, de je ne sais quelles intentions malicieuses, injustes et malveillantes? Que deviennent, devant une défiance de cette nature, la liberté de la science et la dignité de l'écrivain? Quoi! sans appuyer sur le fait en aucune manière, j'annonce que plusieurs savants, surtout réguliers, interprètent *largement* les priviléges; et l'on m'accuse non-seulement d'avoir pensé, mais d'avoir écrit que les réguliers sont d'une opinion contraire à la mienne *par un intérêt bien facile à expliquer!*

Cela est-il convenable et loyal? Dois-je après cela prémunir

(1) Ibid. livr. de Janvier, 1847, pag. 452.

à mon tour la confiance de vos lecteurs contre les assertions de votre correspondant? Ou vaut-il mieux opposer la dignité du silence à des reproches qui seraient poignants s'ils étaient vrais et mérités? Votre correspondant se trompe sur mon compte, Monsieur. J'ai une opinion trop élevée des canonistes réguliers, pour les accuser en masse d'avoir, dans les questions qui leur sont personnelles, ignoblement sacrifié la justice à l'intérêt et le droit à l'égoïsme. Me prêter une semblable pensée, c'est me faire injure; dire que je l'ai écrite, c'est dépasser de beaucoup les droits de la presse et les franchises de la critique. » Hactenus Rev. Dominus in epistola ad cl. v. Petrum Kersten.

Ad haec criticus Leodiensis respondens, prius in memoriam revocavit haec adversarii verba : « *Opinamur hanc etiam esse communem illorum canonistarum sententiam, qui juris principia apprime habuerunt perspecta et regularium privilegia secundum Juris Regulas interpretari studuerunt,* » et subdidit (1) : « Ce qui semble dire que ceux qui ont été d'un avis contraire, n'ont pas connu à fond les principes de droit, ou qu'ils n'ont pas cherché à interpréter les priviléges d'après les règles? Que dirait M. Verhoeven si on lui renvoyait sa réponse?

Nous croyons ne lui avoir fait aucunement injure, en faisant entendre que, d'après son livre, le desir de maintenir leurs priviléges pouvait avoir porté les réguliers à se faire illusion sur la valeur des motifs que M. le professeur trouve si solides. Car enfin il faut une raison quelconque à leur prétendue erreur. Si ce n'est pas celle que nous indiquons, ce sera donc, d'après le même livre, ignorance, défaut de jugement, manque de franchise, ou quelqu'autre cause semblable qui les aura empêché de voir clair. Nous avouons sincèrement que celle que nous avons signalée, nous parait encore la moins odieuse pour notre adversaire lui-même. Y a-t-il en tout cela ombre d'inconvenance, de déloyauté? Cependant on s'écrie : « N'est-on pas libre dans les questions controversées, etc. »

M. Verhoeven ne nous parait pas plus heureux dans cette sortie que dans celles qui précèdent. Peut-être le lecteur jugera-t-il qu'elle devrait porter une toute autre adresse. »

Ut ex supra dictis intelligere fuit, anonymus Leodiensis

(1) Ibid. livr. de Février, 1847, pag. 603.

criticus, opposuerat adversario S. Alphonsi de Ligorio et communissimam canonistarum et theologorum doctrinam. Objecta S. Alphonsi verba haec sunt (1) : « Privilegia in praejudicium aliorum... stricte sunt interpretanda, etiamsi concessa fuerint ex motu proprio. Hoc vero intelligendum est de privilegiis concessis personis particularibus ; sed ea quae sunt concessa alicui Ordini, conventui, communitati aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam latissime, etiamsi adversentur juri communi vel alicui tertio, quemadmodum COMMUNISSIME affirmant DD. (*Suarez, c.* 27, *n.* 7. *Castropalao d.* 4, *p.* 10. *n.* 6. *Mazzotta tom.* 1, *pag.* 223, *c.* 2, v. *Resp. et Salmanticenses c.* 1, *n.* 27 *et* 28 *et iterum n.* 85 *et* 86 *cum Azor, Laymann, Sylvio, Bonacina, Henriquez, Coninck, Lezana, Barbosa et alii*) ; privilegia enim communitatibus concessa praesumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum praestitorum, et ideo omnia habentur tamquam favorabilia, *ex l. Sicut persona, ff. de Relig.*

3. Rev. Dominus, rogatus quare hunc non attulisset sanctissimi doctissimique viri locum, respondit (2) : « Je dois convenir qu'en matière de droit, je ne suis embarrassé ni par la sainteté de l'habit, ni par l'auréole de la sainteté, *ni même par l'éclat de la science.* Lorsqu'il s'agit de résoudre une question sur laquelle l'église permet le libre exercice du jugement, je pèse les raisons de l'écrivain que je consulte, mais je ne compte ni ses vertus, ni ses titres, *ni même le nombre de ses partisans.*

Viden, lector, abjicere prorsus videtur auctoritatem extrinsecam quam venerantur omnes scriptores, adeoque ipsa tribunalia, quin etiam Sancta Sedes (3) ! Sed haec extorsit sola sese excusandi necessitas ; nam ipse R. D. Verhoeven saepius in suo libro quaestiones solvit auctoritate unius alteriusve scriptoris et quidem paulo ante scripserat : « Je crois avoir étayé cette opinion... *d'indéclinables autorités.* Berardi, Zypaeus et Fagnani méritent d'être écoutés, et c'est leur doctrine qui parle dans mon livre. » Quae verba ei meruerunt ab anonymo criticc

(1) Homo Apost. tract, 20, cap. 1, num. 7 et 8, tom. 3, pag. 4 et seq. edit. Lugdun. 1832, et Theol. Moral. App. 2, de privileg.

(2) Journ. hist. Janvier, 1847, pag. 452.

(3) Benedictus XIV, de Synodo dioec. lib. 12 cap. 5, num. 14, tom 12, Opp. pag. 71, edit. Basan.

sequens responsum : « Quant aux *indéclinables autorités,* nous les trouvons biens moins encore que les *solides motifs.* « Berardi, Zypaeus, Fagnani méritent d'être écoutés; et c'est leur doctrine qui parle dans mon livre. » Qu'ils méritent d'être écoutés, nous ne le contesterons pas; mais que ce soient d'indéclinables autorités, nous ne pouvons l'admettre. D'ailleurs M. Verhoeven lui-même reconnaîtra la justesse et l'à-propos de la réplique suivante : *St. Liguori, Suarez, Castropalao, les Salmanticenses, l'opinion très-commune* (COMMUNISSIMA) *des docteurs méritent d'être écoutés ; et c'est leur doctrine qui parle dans l'article du Journal historique.* » Praeterea ostendemus et manibus trademus palpandum Rev. Dominum non videri examinasse rationes, quibus moti Doctores COMMUNISSIME secuti sunt sententiam, laudatam a S. Alphonso; adeoque ne integre quidem legisse scriptorum locos, quos sibi erronee adstipulari credit.

Sed pergit : « L'homme le plus sage peut se tromper. » Atque haec est ratio cur tanti facienda sit auctoritas extrinseca, et nemini liceat *communissimam* Doctorum sententiam *manifestum errorem* appellare.

« Et avant de monter sur l'autel, c'est-à-dire pendant qu'ils écrivent, les saints ne sont que des hommes. » Sed post eorum mortem eximiam auctoritatem addit eorum operibus Ecclesiae approbatio, qua S. Alphonsi scripta *nulla censura digna* pronuntiata sunt, et ita laudata, ut propter solam auctoritatem extrinsecam omnes ejus sententias tuto sequi liceat (1).

« On ne peut donc me condamner parce que j'ai, parmi mes adversaires, un saint illustre et un glorieux docteur, le bienheureux Alphonse de Liguori. » Sed nonne nimia confidentia est infligere censuram *manifesti erroris* sententiae, quam sanctissimus eruditissimusque vir, nixus *communissima* theologorum et canonistarum doctrina, tamquam omnino tenendam proponit? Nonne pias aures laedunt haec adversarii verba : « Nos... illorum Doctorum opinioni non subscribimus, quum *nullo quidem firmo argumento eam comprobasse videntur* (2); » dum sanctus Alphonsus lectorem ad egregios maxi-

(1) Cfr. decret. S. Cong. Poenit. datum die 5 Julii, 1831, ap. Ill. D. Gousset, Justificat. etc. pag. 197.

Lovan. 1833.

(2) Pag. 35.

mique nominis scriptores remittit, ut eam ibidem solidis argumentis demonstratam reperiat?

« Personne n'a pour cet élu de Dieu ni une vénération plus pieuse, ni une admiration plus sincère que moi. » Plurimum hanc venerationem et admirationem laudamus; sed majores etiam a nobis referret laudes, si complecteretur imitationem modi et rationis quam in scribendo secutus est S. Alphonsus; de quo illustrissimus Remensis Archiepiscopus, Ill. D. Gousset, testatur (1) : « Vous ne pourrez pas même y remarquer (*in Theologia Morali S. Alphonsi*) qu'il ait adopté quelque opinion qui soit rejetée par l'éminente majorité des catholiques, » id est, sententiam communem aut communissimam.

« Je me croirais sacrilége, si je doutais un instant de la pureté de son âme ou de l'élévation de son esprit; mais il m'est impossible d'accorder à ses doctrines le brevet d'infaillibilité que n'ont pu obtenir de l'église ni saint Augustin, le flambeau des Pères, ni saint Thomas, l'ange de l'école. » Attamen hinc non sequitur bene in catholicorum auribus sonare, si quis dicat : « Quae S. Augustinus vel S. Thomas de hoc illove argumento docent, et cum eis *communissime* scriptores ecclesiastici, *nullo firmo argumento probantur, veritati opponuntur, manifestus error* videntur; *je ne suis embarrassé ni par la sainteté de l'habit, ni par l'auréole de la sainteté, ni même par l'éclat de la science... Je ne compte ni ses vertus, ni ses titres, ni même le nombre de ses partisans.* Hi omnes excludendi sunt e numero *illorum canonistarum, qui juris principia apprime habuerunt perspecta et regularium privilegia secundum Juris Regulas interpretari studuerunt.* » Quae omnia exciderunt e calamo Rev. Domini contra S. Alphonsum et communissimam Doctorum sententiam.

Neque hanc scribendi licentiam dedit sacra Congregatio, de qua Rev. Dominus sic loquitur : « Si cette protestation était insuffisante, je renverrais mon adversaire à une décision, émanée, le cinq juillet 1831, de la sainte congrégation de la pénitencerie. Cette décision porte qu'en théologie il est permis d'enseigner les opinions de saint Alphonse; mais qu'on peut aussi dans les questions controversées embrasser la doctrine approuvée d'autres auteurs recommandables. » Verum an

(3) Justific. de la théol. mor. de S. Alphonse de Liguori, pag. 25.

sacra Congregatio, quae potissimum (quod omisit Rev. Dominus), ad quaesitum an inquietandus sit confessarius, qui, non perpensis S. Alphonsi doctrinae momentis, eam *ob solam auctoritatem extrinsecam,* sequitur, tunc declaravit « eum non esse inquietandum; habita ratione mentis Sanctae Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis, » an, inquam, concessit sacra Congregatio ut auctoritas extrinseca abjiceretur et ea dicerentur quae modo culpavimus?

« Ainsi dans un débat, où le bon droit me semblait ne pas se trouver du côté de saint Alphonse, j'ai pu sans crime murmurer l'adage : *Amicus Plato, magis amica veritas.* » Sed unde constat errasse S. Alphonsum et omnes fere theologos et canonistas? veritatem vero assecutum Rev. Dominum? Quas novas affert rationes S. Alphonso et reliquis scriptoribus incognitas? Quid, si ne quidem legit adversarius scriptores, quos legendos indicat *sanctissimus et doctissimus* vir, ut eum appellat Leo XII (1)?

« Dira-t-on que je devais citer mon adversaire? Peut-être.» Quid dubium potest esse? Nonne te velle *clero utrique rem gratissimam facere* scripsisti? Nonne de opusculo tuo paulo supra dixeras : « Ce n'est pas moi, c'est la loi qui a dicté mon opuscule? » Nonne cecidisset omnis tua argumentatio, si sequenti modo, et quidem secundum veritatem, scripsisses : « Sepono Fagnanum, qui mihi contrarius est; sepono textum Zypaei, qui ad rem non facit; sed affero auctoritatem Berardi, qui passim se detractorem privilegiorum regularium exhibet, et hanc sequor; licet S. Alphonsus de Ligorio et *communissima* Doctorum sententia mihi contraria sit? »

« Moi, je n'ai pas voulu accoler à une ERREUR, qui me paraît MANIFESTE, le nom brillant de Platon. » Nuspiam Benedictus XIV aut S. Alphonsus *communissimam* Doctorum sententiam *manifestum errorem* appellarunt.

« Est-ce un tort ou une déférence? » Videbit lector annon sit modus valde facilis obtrudendi incautis quascumque doctrinas.

« Est-ce partial ou délicat? » Nemo dubitat quin sit par-

(1) Breve Leonis XII, *Ut minus noceat,* ap. Ill. D. Gousset, Justification, etc. pag. 195.

tibus favere; nullusque admirabitur tamquam tenerrimum, cautissimum et delicatum (*délicat*) illius scribendi modum, qui S. Alphonsi et *communissimam* Doctorum sententiam *manifestum errorem, nullo firmo argumento nixam*, absque Regularum Juris notitia propositam affirmat.

4. Sed quod omnium lepidissimum est, ille idem scriptor, qui *communissimam* sententiam flocci facit, qui *manifesti erroris* incusat theologum, cujus scripta Sancta Sedes *nulla censura digna* pronuntiavit, cujus theologiam non probavit tantum Vicarius Generalis, sed Benedictus XIV his verbis (1) : « Ella puo star sicura del gradimento universale e della publica utilita; » et cujus opera tum Mechliniae, tum in aliis fere omnibus terrae regionibus cum approbatione ecclesiastica prodierunt; ille idem adversarios suos incusat contumeliae in approbatorem sui opusculi. En incredibilia illa verba, quae olim, Cardinali de Noaliis a Quesnellistis suggesta (2), tam calamitosam in Ecclesia Gallicana suscitarunt tragoediam : « Il est vrai que tout en s'appuyant sur la loi, le jurisconsulte peut mal comprendre, et par une aberration involontaire de l'esprit, déduire de principes qui sont vrais des conséquences qui ne le sont pas. Mais il est dans l'église une voie sûre pour se prémunir contre de semblables écarts. J'ai suivi cette voie avec la déférence et la soumission que devrait inspirer à tout chrétien le sentiment de sa fragilité. Mon œuvre n'a été livrée à la presse que revêtue de l'approbation ecclésiastique. Mais aussi à dater de ce moment je me suis senti fort et résolu, parce qu'à mon avis *l'approbation d'un livre établit entre le pouvoir dont elle émane et l'écrivain qu'elle honore une solidarité* aussi rassurante que respectable.

» Je n'ai donc pu me défendre contre un sentiment à la fois pénible et nouveau, lorsqu'une plume catholique est venue engager mes lecteurs « à ne pas accueillir avec une confiance illimitée toutes mes assertions. »

» *Il y a,* sous cette phrase souple et mielleuse *une insinuation qui pourrait sembler amère à celui que l'eglise Belge doit entourer sans reserve de sa confiance et de son respect.* »

Haec expendenda relinquimus iis, qui vel minimum noverunt historiam ecclesiasticam vel litterariam. Numquam enim

(1) Gousset, Justificat., etc. pag. 12. (2) Feller. Dict. v° Noailles.

hac lege, quam praesenti vindiciarum necessitati debemus, se revinctos arbitrati sunt sanctissimi viri, praestantissimi scriptores, quos inter ipsi Pontifices, aut tribunalia Romana. Quid, si Innocentius IV et Benedictus XIV « facile passi sunt, opiniones suas, quas tamquam privati Doctores proposuerant, ab aliis Doctoribus oppugnari (1), » non licebit universitatis professorem confutare absque Vicarii Generalis, qui opusculum approbavit, vel Episcopi absentis, cujus ille Vicarius est, contumelia? Haec modum superant, omnesque fines excedunt.

5. Sed ex hoc diverticulo ad examen argumentorum, quae tam solida videntur Rev. Domino, veniamus. Ab auctoritate extrinseca ducamus exordium. Primo loco Fagnanum producit Rev. Dominus, inquiens (2) : « Fagnanus ait (3) : In privilegiis distingue secundum doctores...aut agitur de praejudicio tertii vel juris communis, et fit stricta interpretatio... Quod adeo verum est, ut neque ex identitate, imo neque ex majoritate rationis privilegium extendatur de casu ad casum; et est communis opinio... Alia ratio hujus conclusionis est, quia omnis recessus a jure communi est odiosus... quare in dubio fit interpretatio pro jure communi, quando concurrit cum privilegio ; nam privilegium recipit interpretationem a jure communi, et debet interpretari, ut minus laedat jus commune quam fieri possit. » Ast perge, Rev. Domine; enuclea quid per *jus commune* Fagnanus aliique probi auctores intelligant; enumera limitationes, quas apponit generali suo principio Fagnanus. Habet etiam S. Alphonsus (4) : « Notandum quod generaliter loquendo de privilegiis, omne privilegium large est interpretendum, ut habemus ex *cap. Olim.* 6. *de verb. sign.*, ubi dicitur : *Quum beneficia principum interpretanda largissime*, etc., et ex *l. ult. ff. de Constit. Princ.* Contra vero privilegia odiosa stricte sunt interpretanda, cujusmodi sunt illa *quae sunt derogatoria juris communis*, aut statutorum et consuetudinum particularium, dummodo haec statuta non sint contra jus commune : aut dummodo privilegium non sit insertum in Corpore Juris;

(1) Benedictus XIV de Synodo diocces. praefat. ad finem, tom. XI Opp. pag. XIV edit. Bassan.

(2) Pag. 34.

(3) Comment. in V librum decretal. De verbor. signif. cap. 16. *Olim*, num. 13 et seq. edit. Vesuntione, 1740.

(4) Homo Apost. tract. 20, cap. 1. num. 7, tom. 3, pag. 4, et seq. et Theolog. Mor. App. 2, de privil.

ideoque ajunt Sanchez et Mazotta omnia privilegia realia late esse interpretanda; ob suam enim perpetuitatem habentur tamquam inserta in jure communi. Insuper excipitur, si alias privilegium redderetur inutile, aut si in eo exstaret clausula *Ex certa scientia,* vel *Ex motu proprio;* vel si privilegium esset absolvendi, dispensandi aut communicandi illud ad alios. *Privilegia vero in praejudicium aliorum,* cujusmodi essent ad obtinenda plura beneficia, aut ad conferenda beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem, stricte sunt interpretanda, etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio.* » Omittendo, quae dein subjicit S. Alphonsus de privilegiis regularium, potuisset (ut liquet) etiam scribere adversarius, S. Alphonsum non secus ac Fagnanum docere *privilegia, derogatoria juris communis et in praejudicium aliorum, esse strictae interpretationis,* adeoque addere eam esse non tantum *illorum canonistarum sententiam, qui juris principia apprime habuerint perspecta et privilegia secundum juris regulas interpretari studuerint,* sed omnium hominum in quorum animis lex naturalis obnubilata non sit.

Sed quoniam Rev. Dominus omisit limitationes, quibus Fagnanus (non secus ac S. Alphonsus et qui ab hoc laudantur auctores) principium suum restrinxit, coacti sumus manifestum facere quam recte Leodiensis anonymus dixerit « non illimitata fiducia Rev. Domini asserta recipienda esse. »

Audiamus itaque Fagnanum, et verba, quae omisit adversarius, alio indicemus charactere : « In privilegiis vero, inquit (1), distingue secundum doctores. *Aut agitur de praejudicio solius concedentis, et contra eum fit latissima interpretatio* (2);... *ne excogitata fraude suae obviet liberalitati... Et propterea in praejudicium concedentis verba generalia, et indefinite prolata ad futura extenduntur... Fallit in privilegio concesso ab Ecclesia Romana, quae in sui praejudicium non praesumitur voluisse quemquam privilegiare...* Aut agitur de praejudicio tertii, vel juris communis et fit stricta interpretatio... *Verba enim privilegiorum secundum Innocentium ita sunt interpretanda, ut non trahantur ad iniquum gravamen*

(1) Comment. in v librum decretal. part. 2. De verborem significatione, cap. 16. *Olim,* num. 13 et seqq. edit. Coloniens. 1681, pag. 210 et seq.

(2) Inferius, num. 36, addit : *Etiamsi privilegium privet legem communem,* loc. cit. pag. 211.

alterius... Privilegium civiliter et temperate est intelligendum, ita ut, quanto minus fieri possit, juri alieno praejudicet. Quod adeo verum est, ut neque ex identitate imo neque ex majoritate rationis privilegium extendatur de casu ad casum; et est communis opinio... Alia ratio hujus conclusionis est, quia omnis recessus a jure communi est odiosus... Quare in dubio fit interpretatio pro jure communi, quando concurrit cum privilegio... Nam privilegium recipit interpretationem a jure communi, et debet interpretari, ut minus laedat jus commune, quam fieri possit. » Tribus deinde modis declarat seu limitat principium : strictam fieri interpretationem privilegii concessi in praejudicium tertii vel juris communis.

« *Declaratur nunc,* inquit, *supradicta conclusio, ut procedat in dubio; secus, si verba privilegii sint clara, quia tunc fit lata interpretatio etiam in praejudicium tertii, quatenus patitur verborum proprietas : ita declarat Dec.* conv. 113. Viso tenore, n. 6, vers. Et ideo, *et sentit Abbas* hic n. 4, vers. Et ex hoc; *ubi dicit privilegium contra jus commune debere largissime interpretari, ubi verba hoc patiuntur; et probatur hic secundum intellectum eorum, qui dicunt Papam hic voluisse providere canonico contra jus commune; sed constare de illius intentione, quia mandavit eidem provideri sicut uni ex aliis residentibus.*

» *Declaratur secundo, ut procedat dummodo privilegium aliquid conferat; alias enim fit lata interpretatio, etiamsi agatur de alterius praejudicio, ne privilegium sit inutile...*

» *Declaratur tertio, ut non procedat favore cultus divini, quia tunc in privilegiis fit lata interpretatio etiam in praejudicium tertii...*

» *Nota... privilegia in dubiis recipere intellectum secundum intentionem concedentis .. Qui vero rescriptum principis astute, vel malitiose interpretatur, infamis est.* »

Admittit itaque Fagnanus latam faciendam esse interpretationem cujuscumque privilegii, concessi *favore cultus divini, etiamsi sit contra jus tertii;* et similiter quum id intelligitur *ex intentione concedentis.* Quum autem haec et alia omiserit Rev. Dominus, quae tamen (ut modo liquebit) evertunt ejus dicta, nulla alia hujus suppressionis ratio favorabilior nobis occurrit, quam ne lectum quidem ab eo fuisse integrum Fagnani locum. Quid vero sit *jus commune* secundum Fagnanum aliosque dicemus infra.

6. Pergit dein adversarius his verbis : « Eamdem (*ac Fagnanus*) doctrinam clarissime tradit Zypaeus noster (1) : « Exemptiones odiosae sunt, tamquam juri communi adver- » sariae, hierarchiae ecclesiasticae inimicae, et quae jus alteri » auferant, scilicet auctoritatem suam Ordinariis locorum ; » quod princeps aut Pontifex numquam facere censetur, nisi » disertis admodum verbis expresserit. » Jam vero, benevole lector, credis Zypaeum, qui *eamdem doctrinam ac Fagnanus clarissime tradere* dicitur, de privilegiorum intrepretatione agere : falleris tamen omnino; tradit hic Zypaeus doctrinam, quam omnes, quos novi, canonistae unanimi voce admittunt, scilicet verba rescriptorum, quibus monasterium aut alius quiscumque coetus aut persona a jurisdictione Ordinarii eximitur, debere esse clara et manifesta; quoniam fieri posset ut, si Papa non exemisset, acephali forent, aliisque similibus de causis. Sed quaestio : an locus aut persona sit exempta, omnino diversa est a quaestione : an exemptio sit latae an strictae interpretationis : quas tamen miro modo confundit adversarius, quum hunc nobis Zypaei textum objicit.

Ut autem clare pateat de re omnino alia agere Zypaeum, juverit praecedentia et consequentia referre verba : « DE PRIVILEGIIS. Consultatio I. *Verbum* protectio *exemptionem non infert.* Perspecta Lucii III Pontificis Maximi Bulla, qua Praepositum S. Mariae B. ejusque collegas et bona sub B. Petri et suam protectionem suscipit : ad quaestionem, quae ex ea movetur, an per ea verba idem Praepositus, collegium et bona ab ordinaria jurisdictione censeantur eximi? Omnino respondendum est negative, quia *exemptiones odiosae sunt,* etc. (*Vide verba hinc deprompta ab adversario.*) Adeoque diligenter inspicienda sunt privilegia et tenor eorum attendendus. *C. recepimus* x. *de priv.* et si quidem expresse exemptionem libertatemve concesserint, seu juris B. Petri specialiter fecerint, exemptio admittitur ; non alias, ne quidem si ad indicium perceptae protectionis census solvitur, *d. c. recep.* nam receptio sub protectionem non spectat ad exemptionem, etc. » Inutiliter plura ex hac consultatione proferremus, quum haec sufficiant ut constet agi de re quae *non spectet ad exemptionem,*

(1) Consultat. canon., consult. 1, de privilegiis, col. (*pag.*) 335, edit. Antverpiae, 1675.

sed de *receptione sub protectionem;* quam nos supra secundum plures decretales cum omnibus canonistis, moralistes, etc., distinximus ab exemptione (1). Superest ut in altera sui opusculi editione nostram quoque scriptionem in confirmationem suae doctrinae afferat R. D. Verhoeven : haec cum bona ejus venia dicta sunto.

7. Sed pergit : « Comprobat hanc doctrinam Berardi, dum scribit (2) : Regula generalis in hac re constitui potest, etiam hodie nec monasteria nec monachos exemptos dici ab Episcoporum jurisdictione, nisi in quibus jus singulare, scilicet privilegia, consuetudines, praescriptiones ac legitimas fundationum tabulas allegent ac probent, ita ut eadem singularia jura strictam interpretationem patiantur. Quae ratio fuit, cur Innocentius III, in cap. 17, *de Privilegiis*, etiam post probatam monasteriis exemptionem definiverit, adhuc capellas a monasterio pendentes non ideo exemptas intelligi. Deinde altera regula subjicitur, in iis, quae contra privilegia monachorum aut monasteriorum recentioribus constitutionibus edita sunt, praesertim in Concilio Tridentino, eam capiendam esse interpretationem, quae facile Episcopis faveat, ob facilem uniuscujusque rei ad sua principia regressum. » Ast quid mirum haec scripsisse Berardum, quum vir ille, adscriptus universitati tunc temporis Gallicanizanti, et ex lectione Espenii et nonnullorum Gallorum totus imbutus principiis de novitate et inopportunitate privilegiorum regularium, assidue se eorum hostem exhibeat in Commentariis de decreto Gratiani : unde hi libri (quod attinet ad historiam privilegiorum) omnino corrigendi sunt. Concedimus itaque adversario sibi hunc auctorem favere; sed de utraque ejus regula inferius dicemus.

8. Porro excussis *auctoritatibus* illis *indeclinabilibus,* superest ut ad *solida momenta* veniamus. Haec autem sunt duae Regulae Juris; quae, licet lippis et tonsoribus notae sunt, tamen perspectae non fuisse dicuntur iis canonistis, qui doctrinae Rev. Domini adversantur. Ait autem (3) : « Regula enim Juris 28 *in Sexto* haec est : *Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda ;* et regula 15 *in Sexto* dicit : *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* »

(1) Vide supra, pag. 231 et seqq. tom. 1, diss. 4, cap. 5, edit. Veneta.
(2) Comment. in jus eccles. univ. 789.
(3) Pag. 33 et seq.

Res mira! Satis habet adversarius has duas Regulas proposuisse, quin aliquid ad eas explicandas adjiciat, quin insinuet eas esse generales et plures pati limitationes seu exceptiones : quas limitationes nisi admittat, sus deque vertat oportet totum jus canonicum, plura Romanorum Pontificum judicia iniquitatis incuset et leges sibi invicem contradicere pronuntiet. Tota tamen in hoc versatur quaestio an lex aut regula admittat exceptiones, et an casus propositus ad regulam generalem, an vero ad exceptiones pertineat.

Jam vero celeberrimus Petrus Peckius, olim in Universitate Lovaniensi juris professor et in magno Senatu Belgii consiliarius in fusissimo commentario de Regulis Juris septemdecim saltem exceptiones recenset ad Regulam 28 (1). Sic quoque Albertus Zennerus, SS. canonum professor ordinarius Eystadiensis, in opere *ex professo* scripto de Regulis Juris tradit (2) *novem* casus a Doctoribus excipi, in quibus Regula 28 non procedit. Similiter Wiestner, in universitate Ingolstadiensi SS. canonum professor, *ex professo* agens de Regulis Juris, nixus auctoritate Suarezii, Cravettae, Barbosae, Streinii aliorumque plures exceptiones ad hanc Regulam admittit (3). Anacletus Reiffenstuel, vir maximae peritiae, in Tractatu de Regulis Juris, citans Alexandrum, Tuschum, Bartolum, Imolam, Fagnanum, Sylvestrum, Glossam, Suarezium, Laymannum, Abbatem Panormitanum et plures dispositiones juris, *sex* fallentias, ut vocat enumerat (4). Sed quid haec referimus, quum nullus omnino sit canonista qui plures ad hanc Regulam non admittat exceptiones?

Non pauciores fere signantur fallentiae seu exceptiones ad Regulam 15. Zennerus (5), adducens Philippum Francum, qui *viginti* limitationes admittit, et Streinium, qui recenset *quatuordecim,* ipse satis habet septem enumerare. Wiestner (6) refert exceptiones *quatuor;* Reiffenstuel (7), iisdem, quibus supra,

(1) Ad regul. 28, *Quae a jure,* num. 14 Opp. omnia, pag. 134 et seq. Antverpiae, 1647.

(2) Dilucidatio regularum in sexto, reg. 28, pag. 279.

(3) Instit. canon. lib. 5, tit. 41, reg. 28, tom. 5, pag. 603.

(4) Tractat. de regulis juris, reg. 28, seu tom. 6 juris canonici universi, pag. 52.

(5) Dilucidat. regul. juris, pag. 191 et seq.

(6) Instit. can. lib. 5, tit. 41, reg. 15, tom. 5, pag. 583.

(7) Tractat. de regulis juris, reg. 28, seu tom. 6, juris canon. univ. pag. 36 et seq.

auctoribus stipatus, *sex* recenset limitationes, et demum Dantoine, J. U. D. et advocatus in parliamento et curiis Lugdunensibus, non pauciores excipit casus (1). Atqui hi omnes propter Regulam, quam laudat etiam S. Alphonsus de Ligorio (2), « *summam esse rationem, quae pro religione facit* (3), » statuunt utramque praecitatam Regulam fallere « in rescriptis et privilegiis concessis favore cultus divini, fidei, religionis, salutis animarum ; » et in aliis casibus a S. Alphonso fere recensitis propter juris principia et leges, quae Reiffenstuel aliique eruditissime exponunt Unde colligimus Rev. Dominum non crediturum fuisse rem a se confectam esse citando has duas Juris Regulas, si animum advertisset ad bene multas exceptiones, quas hae Regulae patiuntur, et quas ipse sane admittet, v. g. ubi agitur de his concordati anni 1801 partibus, quae in usu adhuc sunt et juri communi seu etiam juri tertii adversantur, vel etiam de privilegio, quod die 8 Aprilis anni 1834 Gregorius Papa XVI concessit (4). Haec satis fuerit subindicasse.

9. Postquam autem Rev. Domini argumenta excussimus, superest ut indicemus quas ob causas Doctores COMMUNISSIME statuant regularium privilegia, etiam quae juri communi adversantur aut quibus regulares a jurisdictione Ordinariorum liberantur, latae aut latissimae esse interpretationis. Sunt hae autem, vel quia haec privilegia ob piam causam religionis conceduntur, ut jam diximus; vel ex motu proprio; vel in remunerationem obsequiorum; vel quia clauduntur in Corpore Juris, quod vulgo auctores, etiam Fagnanus, (id recte limitans ad eos qui ibidem designantur), *jus commune* nuncupant; vel quia sunt constitutiones perpetuae, aequivalentes legibus in jure communi insertis. Atque haec principia admittunt aut etiam expresse regularium privilegiis applicant innumeri tum juris canonici, tum theologiae moralis Doctores, nixi multis variisque argumentis, repetitis tum ex decretalibus Pontificum, tum ex jure naturali, tum ex usu et consuetudine. Neque hi hoc statuunt, prae oculis non habentes Regulas

(1) Les règles du droit canon, pag. 89 et seqq. edit. Bruxell. 1742.
(2) Vide supra, pag. 328.
(3) L. Sunt personae. 43. D. Religios. et sumptibus fun.
(4) Cfr. Journal histor. et littér. de Liége. tom. 1, pag. 118.

Juris, quas objecit Rev. Dominus; sed fuse easdem Regulas examinantes. Unde manifestum est ne lecta quidem fuisse ab adversario eorum opera, quum eos exclusit e numero eorum *qui juris principia apprime habuerunt perspecta et regularium privilegia secundum Juris Regulas interpretari staduerunt.*

10. Ut autem intelligat lector, in quae nomina istud probrum redundet, subjicio hic elenchum eorum scriptorum qui latae aut latissimae regularium privilegiorum interpretationi favent : Suarez (1), Salmanticenses (2), S. Alphonsus de Ligorio (3), Henriquez (4), Thomas Sanchez (5), Bonacina (6), Ascanius Tamburinus (7), Azor (8), Petrus ab Angelis (9), Moronus (10), Peckius (11), Laymann (12), Pellizarius (13), Bordonus (14), Garcia (15), Laurentius de Peyrinis (16), Castropolaus (17), Mazzotta (18), Voit (19), de Coninck (20),

(1) De legibus, lib. 8, cap. 27, num. 7, tom. 5 Opp. pag. 654, Antverp. 1613.

(2) Cursus. theolog. moral. tract. 18 de privil., cap. 1, punct. 3, num. 21 et seqq. 27 et seq. num. 85 et seq. tom. 4, pag. 235, 236 et 244, Venetiis, 1734.

(3) Homo Apost. app. 2, tract. 20 de privileg. num. 8, tom. 3, pag. 5, Lugduni, 1832.

(4) De indulgentiis, lib. 7, cap. 22, num. 3, cap. 24, num. 4, cap. 28, num. 4, cap. 30, § 1, litt. a, ap. Salmantic. loc. cit. et ap. Th. Sanchez, loc. citand.

(5) De matrimonio lib. 8, disp. 1, num. 13, tom. 3, pag. 5, et seq. edit. 1739, et Consil. moral. lib. 6, cap. 9, dub. 1, num. 1, tom. 2 Opuscul. moral. pag. 213.

(6) De privilegiis, disp. 1, quaest. 3, punct. 7, § 1, num. 5 et seqq. ap. Salmantic. loc. cit.

(7) De jure abbatum, tom. 1, disp. 16, quaest. 5, num. 14, pag. 264.

(8) Instit. moral. part. 1, lib. 5, cap. 23, quaest. 2, tom. 1, col. 571, Brixiae, 1617.

(9) Disput. 1, sect. 2, num. 2, ap. Salmant. loc. cit.

(10) Consil. 99, a num. 119, ap. Salmant. loc. cit.

(11) Commentar. in regul. 15 juris, num. 7, et in regul. 28, num. 15 Opp. omn. pag. 81 et 134 et seq. Antverpiae, 1647.

(12) Theologia moralis, lib. 1, tract. 4, cap. 23, num. 5, tom. 1, pag. 97.

(13) Manuale regular. tract. 8, cap. 1, num. 142, ap. Salmantic. loc. cit.

(14) Tom. 2, resp. 32, num. 26, et resolv. 25, num. 16, ap. Salmantic. loc. cit.

(15) De polit. regul. tom. 1, tract. 8, cap. 1, num. 142, ap. Salmantic. loc. cit.

(16) De privil. regular. tom. 1, ad constit. 10 Clementis VIII, num. 12 ap. Salmant.

(17) Opp. moral. de privil. tract. 3, disp. 4, part. 10, num. 6, part 1, pag. 166, edit. 3, Lugduni, 1856.

(18) Theol. moral. tract. 1, disp. 5, quaest. 1, cap. 2, tom. 1, pag. 54, Cracoviae, 1756.

(19) Theol. mor. de leg. num. 268.

(20) De Sacramentis, part. 2, disp. 33, dub. 2, num. 16, tom. 2, pag. 700, Rothomagi, 1630.

Lezana (1), Zallinger (2), Fagnanus (3), Mandosius (4), Salas (5), Emmanuel Rodriquez (6), Reginaldus (7), Praepositus (8), Gobat (9), Vivat (10), Antoine (11), de Alloza (12), Taberna (13), Reuter (14), Escobar (15), Elbel (16), Herincx (17), Holzman (18), Henricus a S. Ignatio (19), Vericelli (20), Saettler (21), Diana (22), Rebuffus (23), Collet (24), Haunoldus (25),

(1) Consul. 40, num. 102, cit. ab Henrico a S. Ignatio, loc. citand.

(2) Zallinger, Institut. juris ecclesiast. lib. 5, decret. tit. 33, § 269, tom. 5, pag. 236, August. Vindel. 1793.

(3) Commentar. in 2 part. lib. 5, decret. de verb. sign. cap. *Olim*, num. 25, tom. 7, pag. 211 et de privil. cap. *Cum capella*, num. 18, et seqq. tom. 7, pag. 60 et seq. Coloniae, 1681.

(4) Signatur. grat. v° Exemptiones ab Episcopis, ap. Sanchez Opusc. mor. tom. 2, pag. 210.

(5) Sect. 8, num. 52, et disp. 20, num. 90, ap. Castropalaum, loc. cit.

(6) Quaest. regul. et canon. tom. 1, quaest. 11, art. 6, dec. reg. ap. Castropalaum, loc. cit.

(7) Praxis fori poenit. lib. 13, quaest. 5, num. 237, tom. 1, pag. 534, Coloniae, 1622.

(8) In S. Thomae prim. secund. quaest. 97, dub. 4, num. 34, tom. 2, pag. 340, Duaci, 1637.

(9) Tract. 5, cap. 37, sect. 2, num. 159, Accusat. canon. ebriosi Opp. mor. tom. 2, pag. 426, Venetiis, 1749.

(10) Cursus theol. moral. part. 1, de legib. quaest. 8, art. 6, num. 2, tom. 1, pag. 127, Ferrariae, 1757.

(11) Theolog. moral. tract. de legib. cap. 9, quaest. 1, tom. 1, pag. 89, Romae, 1783.

(12) Alphabet. morale, v° privileg. num. 11, pag. 624, Coloniae, 1669.

(13) Theolog. moral. tract. 4, cap. 8, quaest. 11, tom. 1, pag. 138 et seq. Coloniae, 1718.

(14) Theolog. moral. part. 1, tract. 3, quaest. 3, num. 259, Coloniae, 1756.

(15) Summa moral. theol. tract. 1, de legib. exam. 15, cap. 4, num. 37 et seq. pag. 220, Lugduni, 1659; Cfr. de hoc scriptore Biographie universelle v° *Escobar*.

(16) Theol. moral. part. 1 prooemial., conf. 18, num. 502, tom. 1, pag. 519, August. Vindel. 1737.

(17) Summa theol. schol. et moral, part. 2, disp. 4, quaest. 7, num. 89 et seqq. tom. 2, pag. 307 et seq. edit. 3, Antverp. 1707.

(18) Theolog. moral. tract. 2, num. 520, divid. 8, tom. 1, pag. 161, Campidonii, 1737.

(19) Ethica amoris, de extern. regul. lib. 1, num. 324, tom. 2, pag. 49, Leodii, 1709.

(20) De apostol. mission. tit. 4, de privil. regul. quaest. 98, dub. 33, num. 330, pag. 275, Venet. 1656.

(21) Theolog. moral. univ. ad usum. dioec. Argentin. part. 2, cap. 2, art. 6, § 2, quaest. 3, tom. 1, pag. 131.

(22) Pract. resolut. v° Regulares, num. 32, pag. 657, Antverp. 1660.

(23) Rebuffus ap. Diana, loc. cit.

(24) Traité des dispens. lett. 48, Règles du droit canon, num. 15, tom. 3, pag. 343, Lovanii, 1760.

(25) De jure et justit. commutativa, tract. 1 prooemial. cap 4, controv. 4, num. 201 et seqq. tom. 1, pag. 36, Ingolstadii, 1671.

Kugler (1), Zech (2), De Nicollis (3), Zoesius (4), Böckhn (5), Schmier (6), Leurenius (7), Pirhing (8), Glossa (9), La Croix (10), Cherubinus Mayr (11), Nicolaus Rodriguez Fermosinus (12), Merolla (13), Joannes de Solorzano (14), Vivaldus (15), Portel (16), Hieronymus Rodriguez (17), Peregrinus (18), Joannes de la Cruz (19), Bouvier (20), Dens (21), Wiestner (22), Reiffenstuel (23), Schmalzgrue-

(1) Tract. theolog. canon. de matrimonio, tom. 2, part. 4, § 18, num. 541, pag. 422, Wratislaviae, 1728.

(2) Praecogn. juris canon. tit. 17, § 352, num. 4, pag. 257 et seq. Ingolstadii, 1766.

(3) Praxis canon. v° privileg. num. 11, tom. 2, pag. 395, Salisburgi, 1729.

(4) Comment. ad decret. epist. lib. 5, tit. 33, num. 20, pag. 505, Lovanii, 1732.

(5) Comment. in jus canon. univ. lib. 5, tit. 38, num. 7, tom. 3, pag. 372, Salisburgi, 1776.

(6) Jurisprud. canon. civil. lib. 1, tract. 1, cap. 7, num. 244, tom. 1, pag. 138, Avenione, 1738.

(7) Forum. eccles. lib. 5, tit. 33, quaest. 444, num. 5, tom. 5, pag. 236, August. Vindel. 1737.

(8) Jus canon. lib. 5, tit. 33, § 3, num. 14, tom. 5, pag. 321, Dilingae, 1722.

(9) In cap. *Sciant*, v° *alios* de elect. in 6, ap. Reiffenstuel, Jus canon. tom. 6, pag. 36.

(10) Theolog. moral. lib. 1, de legib. num. 633, tom. 1, pag. 338, Coloniae, 1716.

(11) Trismegistus, lib. 5, tit. 33, § 2, punct. 9, num. 71, tom. 5, pag. 317, August. Vindel. 1751.

(12) De offic. et sacris eccles. tit. de sacram. non iter. ad cap. *fin.* quaest. 5, num. 42 et seqq. tom. 2, pag. 201, Lugduni, 1662.

(13) Tom. 2, disp. 4, cap. 6, dub. 1, num. 17, ap. Nicol. Rodrig. Fermos. loc. cit.

(14) De jure Indiar. tom. 2, lib. 3, cap. 26, num. 110, ap. Nic. Rodr. Ferm. loc. cit.

(15) Arca theol. moral. tit. de cas. reserv. in quaest. 1, num. 97 et 127, ap. Nic. Rodr. Ferm. loc. cit.

(16) In respons. tom. 3, cas. 49, in fin. ap. Nic. Rodr. Ferm. loc. cit.

(17) In compend. resolut. 62, num. 6, § *quod tandem*, ap. Nic. Rodr. Ferm. loc. cit.

(18) In compend. privil. Theatin. introd. § 15 et seq. ap. Nic. Rodr. Ferm. loc. cit.

(19) De stat. relig. lib. 2, cap. 2, conclus. 3, reg. 1, ap. Nic. Rodr. Ferm. loc. cit.

(20) Instit. theol. tract. de legib. art. 6, num. 3, tom. 4, pag. 523, Parisiis, 1836.

(21) Theolog. ad usum seminar. tract. de legib. num. 71, tom. 2, pag. 133, Mechliniae, 1829. Pro solutione difficultatis, quam ex S. Bernardo movet hic auctor, vide Zaccariam, Antifebron. vind. diss. 10, cap. 4, num. 5 et seqq. Raynaldum, Annal. eccles. ad annum 1312, num. 24, tom. 23, pag. 565 et seqq. Marchetti, Critique de Fleury, art. 2, chap. 2, tom. 2, pag. 66, edit. 1803; Cfr. Brabantia Mariana, lib. 2, cap. 1, pag. 259, Antverpiae, 1632; Miraeus, Cod. piar. donationum, cap. 87, tom. 1, pag. 97 et seq. Lovanii, 1723.

(22) Instit. canon. lib. 5, tit. 41, reg. 15 et 28 juris, tom. 5, pag. 583 et 603, Monachii, 1706.

(23) Tractat. de regul. juris, reg. 15 et 28, tom. 6 jur. canon. univ. pag. 36 et seq. et 52, Antverp. 1755.

ber (1), Zenner (2), etc. etc.

Porro nescio quae admiratio animum occupet, quum R. D. Verhoeven, Librum Singularem de regularium et saecularium clericorum juribus et officiis manu tenens, in medium hunc honestissimum coetum septuaginta Doctorum, qui omnes fere plurimis editis voluminibus inclaruere, prodiens cernitur, solo Berardo comite, (Rev. Dominum enim deseruerunt Fagnanus et Zypaeus), et quum ex ejus ore haec excipiuntur verba : « Je ne suis embarrassé ni par la sainteté de l'habit, ni par l'auréole de la sainteté, *ni même par l'éclat de la science*... Je ne compte ni ses vertus, ni ses titres, *ni même le nombre de ses partisans* (3)... *L'erreur* me parait *manifeste* (4). » « Nos igitur illorum opinioni non subscribimus, quum *nullo quidem firmo argumento eam comprobasse videntur* (5).... Opinamur hanc (*de stricta interpretatione*) etiam esse communem!!! *illorum canonistarum sententiam, qui juris principia apprime habuerunt perspecta, et regularium privilegia secundum Juris Regulas interpretari studuerunt* (6) ; » quasi septuaginta illi doctissimi viri aut nequiverint aut noluerint intelligere Regulas Juris 15 et 28.

11. Ast non tantum ineluctabilis est hujus seriei scriptorum auctoritas, quod modestia et verecundia Christiana vetat nubi testium refragari ; sed invictum praebet argumentum ex alio etiam capite. Ut enim supra (7) apud Fagnanum vidimus, (eaque omnium canonistarum sententia est), « privilegia in dubiis recipiunt intellectum secundum intentionem concedentis ; » atque hanc intentionem ex communi Doctorum sentiendi et intellegendi modo colligendam esse consentiunt etiam theologi et canonistae et ratio ipsa satis docet. Jam vero, quandoquidem constat communissimam esse Doctorum sententiam privilegia regularium, concessa contra jus commune, esse latae interpretationis : sive quia ratione causae piae, sive quia ut remunerationem sive quia motu proprio ea elar-

(1) Jus eccles. univ. lib. 5, part. 3, tit. 33, de privil. num. 126, tom. 5, pag. 233, Neapoli, 1738.

(2) Dilucidat. regul. juris, pag. 186 et seqq. et 276 et seqq. August. Vindel. 1664.

(3) Lettre de M. Verhoeven à M. Kersten, Journal hist. et litt. Janvier, 1847, pag. 432.

(4) Ibid. pag. 453.

(5) Lib. Singul. pag. 35.

(6) Ibid. pag. 34.

(7) Vide supra, pag. 335.

giti sunt Pontifices; consequens est ut dicamus intentionem concedentium fuisse ut latae interpretationis forent.

12. Neque temere amplexi sunt Doctores hanc interpretandi rationem. Quum enim juris axioma sit, a Papiniano inductum : « Summam rationem esse, quae pro religione faciat, » manifestum est rationem religionis, causae piae et ejuscemodi alia praevalere juri communi, adeoque etiam juri tertii, ut saltem habet cum aliis multis Fagnanus, quem unum *auctoritatem indeclinabilem* Rev. Dominus appellat. Atqui privilegia regularium concessa sunt ratione religionis, causae piae, etc., ut liquet ex Bullarum praeambulis (1) et ut ipse adversarius noster satis fatetur his verbis : « *Privilegia dantur in aedificationem et utilitatem Ecclesiae,* vel saltem ea mente, ut eorumdem usus Ecclesiae bono non obsit. » Unde sequitur nil obesse per jus commune aut jus tertii quin regularium privilegia latam accipiant interpretationem.

Neque difficilius probatur privilegia remuneratoria similiter late interpretanda esse. Consentiunt enim canonistae et theologi, (idque cum *indeclinabili auctoritate* centies adstruit Fagnanus), privilegia remuneratoria esse perpetua non secus ac leges ecclesiasticas quascumque, adeoque absque gravissima ratione revocari non posse; porro leges perpetuas aequiparari legibus Corpori Juris iusertis, et jus commune constituere saltem inter partes in eis designatas, receptissima inter Doctores sententia est; dein privilegia remuneratoria participant favorem juris communis et proin latae sunt interpretationis. Praeterea remuneratio principis favorabili sane explicatione digna est.

Sed hic denuo obvium habemus Rev. Dominum : « Probandum esset, inquit (2), omnia regularium privilegia *praesumi* in servitii praestiti remunerationem esse concessa; » ultra procedimus, et cum Salmanticensibus (3), Pellizario (4), Petro ab Angelis (5) et Palao (6) concedimus « ad hoc cognoscendum non sufficere mentionem generalem meritorum; sed

(1) Vide praeambulum Maris Magni, supra, pag. 271.
(2) Pag. 35.
(3) Tract. 18, de privilegiis, cap. 1, punct. 3. num. 22, tom. 4, Curs. theolog. moral. pag. 235.
(4) Ap. Salmant. loc. cit.
(5) Ap. Salmant. loc. cit.
(6) Ap. Salmant. loc. cit.

requiri specialem, ita ut expresse dicatur : *Ob haec et illa merita, concedimus tibi praesens privilegium ;* » vel ut aliae similes formae adhibeantur, quales sunt sequentes, quas apud Fagnanum (1) reperio : « Referendarii nostri, qui prae ceteris officialibus et ministris nostris propinquius nobis assistunt circa ipsas supplicationes et commissiones pro nostro et apostolicae Sedis honore, ac universalis Ecclesiae utilitate, et alias gratis, prompta voluntate, indefesse laborant ; » et : « Dignum quin potius debitum reputamus ut illos spccecialis benevolentiae favoribus amplectamur et praeclaris dignitatum titulis decoremus ; » vel etiam : « Caeterum ut referendarii ad suscipiendos pro dicta Sede labores eo promptiores reddantur, quo exinde spiritualibus et temporalibus gratiis se cognoverint uberius esse refertos ; » quas Fagnanus omnes ut formulas privilegii remuneratorii habet.

Ast contendit Rev Dominus (2) « nullo quidem firmo argumento probatum esse » a Doctoribus privilegia regularium *praesumi* aut manifeste esse remuneratoria. Ubi animadvertimus non satis secum constare R. D. Professorem. Etenim, ubi ejus postulabat argumentatio ut privilegia regularium crederentur non tam propter utilitatem Ecclesiae quam remunerationis causa conservata, scripsit ea a Concilio Tridentino non fuisse revocata « propter labores quos regulares in Ecclesia impenderant ; » alibi vero, ubi sua referebat ut non haberentur remuneratoria, dixit « ea data in aedificationem et utilitatem Ecclesiae ; » atque nunc pronuntiat « nullo firmo argumento probatum esse ea praesumi in servitii praestiti remunerationem esse concessa. » Sed hanc in scribendo pugnam vitasset sane R. D. Professor, si legisset locum Salmanticensium, quem prae caeteris legendum indicavit S. Alphonsus. Ecce enim quae habent Salmanticenses continenter post praecitata verba : « Hinc colliges, inquiunt (3), omnia privilegia regularium esse remuneratoria, siquidem concessa sunt intuitu meritorum ipsorum et eorum fundatorum, et in remunerationem obsequiorum et laborum, quos in utilitatem et splendorem

(1) Comment. in 2 part. lib. 5, decret. de privilegiis, cap. *Ex parte*, num. 7, tom. 7, pag. 67.

(2) Pag. 35.

(3) Tract. 18 de privil. cap. 1, punct. 3, num. 23, tom. 4, Curs. theol. moral. pag. 235.

ac defensionem Ecclesiae sunt perpessi, ut constat ex Bulla Sixti IV, emanata VII kalend. Aug. 1489 in favorem Praedicatorum, ubi inter alia dicitur : « Quos pro eorum amplissimis meritis et uberimis fructibus, quos in Dei Ecclesia continuo operantur, prae caeteris paterna caritate diligimus..., illa eis liberaliter concedimus etc. » Et ex Bulla S. Pii V, sub data 17 kalend. Julii 1567, pro omnibus Mendicantibus ; ibi : « At exinde pro suis sanctis studiis honestissimisque laboribus, proque salute animarum, ab apostolica Sede, cujus continue pacem Ordines ipsi fortiter tutati sunt, tam spiritualia quam temporalia subsidia ornamentaque susceperunt, et acciperunt, etc. » Idem habet Paulus III in Bulla, quae incipit : *Licet debitum* in concessione privilegiorum Societatis Jesu ; et Clemens VIII in Bulla, quae incipit : *Quum dudum* pro Carmelitis Discalceatis ; et alia Alexandri IV, cujus initium est : *Patris aeterni benignitas* pro Praedicatoribus et Minoribus. Ideoque privilegia in communi esse remuneratoria tenent Rodriquez, Mandosius, Bruno Casaing, de Peyrinis, Bordonus, Antonius a Spiritu Sancto, Petrus ab Angelis et est commune. » Hactenus Salmanticenses. Quae testimonia si non sufficerent, Rev. Domini oculis subjiceremus *saltem trecentas* Bullas Pontificum, quibus variis Ordinibus concesserunt vel confirmarunt privilegia, et in quibus similes reperiuntur formulae. Re quidem vera, licet adversarius noster de privilegius regularium scripserit, dubitamus an probe inspexerit bullaria Cluniacensium, Praedicatorum, Minorum, Capuccinorum, Carmelitarum aliorumque : nil enim in eis frequentius, quam similes de remunerandis laboribus et Ecclesiae utilitate procuranda professiones. Ast tertio plurima regularium privilegia, adeoque ipsum Mare Magnum, *motu proprio* concessa esse nemo non novit ; sed privilegia, *motu proprio* contra jus commune concessa, latae esse interpretationis docent communissime Doctores, claris Juris textibus innixi.

Quibus accedit Julium II, Leonem X, Alexandrum VI et Paulum III, declarasse in favorem Congregationis Vallisoletanae, Vallis Umbrosae, S. Justinae de Padua et Casinensium (quam gratiam omnes fere regulares participant), jurisperitos aliosque judices, ubi commode adiri nequit Sancta Sedes, posse interpretari regularium privilegia modo *faventi* regulari-

bus; prout testantur Salmanticenses (1) Claudius Aquaviva (2), Emmanuel Rodriquez (3), Vericelli (4), Anonymus ex Ordine Minorum (5), Gobat (6), Kugler (7), S. Alphonsus de Ligorio (8) aliique.

13. Ex hactenus dictis evidens est privilegia regularium communitatibus concessa, sive secundum jus commune dicantur, sive praeter jus, sive contra jus, sive juri communi inserta aut quasi inserta, latae esse interpretationis. Sed examinanda supersunt aliquot asserta Zypaei et Berardi, quae supra a Rev. Domino usurpata vidimus : scilicet exemptiones adversari juri communi; hierarchiae ecclesiasticae inimicas esse; per eas jus alteri auferri, nempe auctoritatem suam Ordinariis; propter principium de stricta privilegiorum interpretatione declaratum fuisse ab Inocentio III capellas a monasterio pendentes per monasterii exemptionem non intelligi exemptas; et demum recentiores constitutiones, editas contra regularium privilegia, eo modo intelligendas esse, qui facile faveat Episcopis, ob facilem uniuscujusque rei ad sua principia regressum.

Exemptiones adversantur juri communi. Verum, ut jam saepe innuimus, si recte intelligatur quid sit jus commune, non probanda videtur haec assertio. « Jus commune, ait Durand de Maillane (9), est jus quod regit totam Ecclesiam Occidentalem; » alii communissime intelligunt *Corpus Juris,* cui sane aequiparandum est Concilium Tridentinum et aliae constitutiones perpetuae Pontificum; passim, ut jam vidimus, docet Fagnanus (10) « privilegium in Corpore Juris clausum jus

(1) Tract. 18 de privil. cap. 1, punct. 6, num. 64, Curs. theol. moral. tom. 4, pag. 243.

(2) Compend. privileg. Societ. Jes. v° *Privilegium,* § 4, pag. 140, Antverp. 1635.

(3) Quaest. regul. et canon. tom. 1, quaest. 11, art. 6, ap. Castropalaum loc. cit.

(4) De apost. miss. tit. 4, de priv. regul. quaest. 98, dub. 33, num. 330, pag. 275.

(5) De privilegiis regularium, pag. 321.

(6) Accus. canon. ebriosi. tract. 6, cap. 37, sect. 2, num. 159, tom. 2 Opp. moral. pag. 426.

(7) Tract. theol. canon. de matrim. tom. 2, part. 4, § 18, num. 541, pag. 422.

(8) Homo Apost. tract. 20, num. 6, tom. 3, pag. 4.

(9) Dict. du droit canon. v. *Droit commun.*

(10) Comment. in 2 part. lib. 1, decret. de Major. et obed. cap. *His quae,* num. 35, tom. 2, pag. 506, et Comment. in 2 part. lib. 1 decret. de elect. cap. *Nihil,* num. 15, tom. 2, pag. 106.

commune facere inter nominatos, ut notat Glossa 4 cap. *Constitutionem, de regul. eodem lib.* et in Clement. *Dudum,* § *Verum, in ver. De jure, de sepult.* et apertius Joan. Andr. post Hostiensem in cap. *Ex parte, il primo, num.* 3, *super ver. Caeteris. de decim.* » Exemptiones autem et exemptorum jura agnoscuntur et explicantur in Corpore Juris et in sequentibus Conciliorum et Pontificum perpetuis constitutionibus; pertinentque proin ad jus commune. Recogita insuper, lector, quae alibi (1) diximus de vetustissima disciplina, qua licebat monasteria subjicere non tantum Pontifici Romano, sed quibuslibet Episcopis. Hi quidem hoc jus amiserunt, ast integra remansit illius praerogativa; quae non magis adversatur juri communi, quam reliquus ejus auctoritatis usus. Quocirca recte ait Benedictus XIV (2) : « Neque est cur quispiam de hisce conqueratur exemptionibus, aliisque adhuc amplioribus, quibus subinde regularium Ordines fuere ab apostolica Sede exornati : siquidem etiam Patriarchae Orientales pleno jure dominabantur in omnia sui exarchatus monasteria, etc. »

14. *Exemptiones sunt hierarchiae ecclesiasticae inimicae, et per eas jus alteri aufertur, scilicet auctoritas sua Ordinariis.* Ad haec cum Zaccaria (3) respondeo : « Etsi Episcopi Pontificis vicarii non sunt, uti praefecti urbium ac provinciarum praesides Regis vicarii habentur, ad summum tamen pastorem spectat, quemodmadum illorum ovilia aut coarctare aut amplificare, ita et oves eis assignare. Quid ergo vetat quominus harum aliquot sibi soli pascendas servet? Atqui hoc demum est quod Pontifex facit, dum regularium coetus uni sibi subjectos esse edicit : oves illas minoribus pastoribus subtrahit, sibique supremo universarum ovium pastori regendas adsciscit. Neque vero id est Episcoporum jura invadere. Nonne saepe contingit ut in alicujus Episcopi dioecesi aut etiam principe urbe alterius Episcopi dioecesis sese exporrigat? Sic Faesulanus Episcopus in Florentina ipsa urbe suae dioeceseos particulam habet : sic Ravennatensis Archiepiscopus et Cerviensis Episcopus in Ferrariensi urbe ac prope ejus moenia paroecias sibi subjectas numerant : (*sic olim Episcopus Ultrajectinus*

(1) Vide supra, pag. 170.

(2) De Synod. dioeces. lib. 1, cap. 4, num. 3, tom. 1, pag. 8, edit. Bassan.

(3) Antifebronius vindic. diss. 10, cap. 4, num. 2, ap. Migne Curs. theol. tom. 27, col. 1166.

Ecclesiam habebat sibi subditam Brugis Flandrorum (1).) Num propterea Florentinus aut Ferrariensis Archiepiscopus (*et olim Episcopus Tornacensis*) sua laedi jura conqueretur? Minime vero. Id enim ad dioeceseos designationem, quae superioris juris est, omnino pertinet. Sed exemplum profero multo ad rem nostram accommodatius. Parochi intra paroeciarum suarum fines unum aut alterum, aliquando plura, sanctimonialium coenobia habent; fac illos de Episcopis queri, quod illa ab ipsorum regimine avulsa aliis sacerdotibus in omnibus, quae ad sacramentorum administrationem ac spiritualem gubernationem pertinent, regenda tradant. Ridebuntur sane; neque injuria. Quum enim Episcopi sint omnium intra dioecesim ovium ordinarii pastores, ita gregis sui portionem parochis custodiendam credere possunt, ut ex illa ipsa aliquot oves demant, quas vel ipsi per se, vel per alios pascant. Quidni igitur id ipsum supremo Christiani ovilis pastori liceat, quin inferiores pastores illatam sibi quoque muneri injuriam doleant. » Jam pridem antea similia docuerat S. Thomas his verbis (2) : « Dicendum quod praejudicium dicitur fieri alicui, quando subtrahitur ei aliquid, quod in favorem ejus est indultum, vel quod ad utilitatem ejus ordinatur; sed subjectio alicujus subditi ad rectorem Ecclesiae non est ordinata principaliter ad utilitatem praesidentium, sed ad utilitatem subditorum : et ideo nullum praejudicium fit rectori, quando subditus ejus a sua potestate eximitur; sicut Papa eximit Abbatem a potestate Episcopi sine ejus praejudicio. Si autem ipsemet operetur in subditis quae pertinent ad salutem, vel aliis hoc ipsum committat, non solum non facit praejudicium, sed praestat ei maximum beneficium; quod maxime acceptatur a cunctis rectoribus, qui non quaerunt quae sua sunt, sed Jesu Christi. » Haec Angelicus Doctor contra impugnantes religionem : similia habet, commentans Magistrum sententiarum (3). Hactenus de *jure, quod alteri aufertur,* deque *exemptionibus hierarchiae ecclesiasticae inimicis.*

15. Sed dabitur, ni fallor, *jus* Episcoporum non magis a Pontifice auferri vel violari per monasterii exemptionem,

(1) Miraeus, Oper. diplom. et hist. supplem. cap. 28, tom. 2, pag. 949, edit. Foppens.

(2) Contra impugnantes relig. cap. 4, ad finem, Opusc. 19, pag. 256, Parisiis, 1634.

(3) In lib. 4, dist. 17. quaest. 3, art. 3, quaest. 4, ad 1.

quam *jus* parochorum, quum Episcopi eorum jurisdictioni subtrahunt monialium monasteria : ast contendet forte adversarius Episcopis tamen *suam auferri auctoritatem.* Ad haec respondemus distinguendum esse duplex monasteriorum exemptorum genus; alia subdita fuere episcoporum jurisdictioni a fundatione sua et dein libertatem adepta fuerunt, alia a fundatione sua fuerunt libera libertate Romana. Per priorum exemptionem Ordinariis sublatam fuisse in ea loca auctoritatem suam manifestum est, et libenter fatemur. Sed hinc nullum eis natum est praejudicium, ut docet S. Thomas; « sed maximum eis praestitum beneficium; quod maxime acceptatur a cunctis rectoribus, qui non quaerunt quae sua sunt, sed Jesu Christi. » Per posteriorum exemptionem nulla eis ablata fuit auctoritas, siquidem nullam in ea umquam habuerunt Episcopi : quae paulo fusius explicanda videntur. Episcopi scilicet non habent jurisdictionem *in territorium*, sed *ratione territorii* in Christi fideles et res sacras (1); eisque est jurisdictio in civitatem, quae coalescit ex omnibus civibus alicujus dioecesis et quae nomen suum mutuatur a situ ecclesiae cathedralis. Porro monasteria, libera a sua fundatione, antea vel agri erant vel domus privatae, in quas (quum res sacrae non essent) nullam Episcopi habebant jurisdictionem; quum vero res sacrae factae sunt, continuo transierunt sub unam jurisdictionem Romani Pontificis; unde haec monasteria valde improprie *eximi* dicuntur *ab auctoritate Episcoporum.* Sed audio : haec quidem, quum manifestissima sint, non negabuntur; sed opponetur, hinc tamen minui territorium, ratione cujus Episcopus jurisdictionem suam exercet, aliosque Christi fideles in locis, ubi habitant regulares exempti, domos sibi aedificare posse, in quarum incolas auctoritatem haberet Episcopus. Non hodie natae sunt hujuscemodi querelae, sed similes jam confutandas habuit S. Bonaventura (2); quocum respondemus id nihil ad rem facere : quum liberum foret unicuique, si abesset monasterium exemptum, ibi theatrum construere et domos Judaeis locare aut vendere; in quos nulla etiam esset Episcopis jurisdictio. Adeoque omnium maxime objurgandi forent

(1) Cfr Breve Pii VI *Quod aliquantum,* Collect. Brev. tom. 1, pag. 95.

(2) Libell. apologet. in eos qui ordini FF. Minor. adversantur. quaest. 10, tom. 5 Opp. pag. 710, Venet. 1754.

legati ad comitia publica, qui tot agros domibus aedificandis aptos occuparunt, quum canales fodiendos et vias, tum ferreas tum lapideas, sternendas decreverunt. Similia dixerim de imminutione fidelium, qui secus Episcoporum jurisdictioni subessent. Quis enim non rideat illum qui dixerit praejudicium illatum esse auctoritati episcopali, quod aliqua hominum caterva transivit in Americam vel in vicinam dioecesim? Si de servis ageretur, qui res domini sunt, id quidem intelligeretur : sed nulla lex neque divina neque humana glebae territorii dioecesani revinxit Christi fideles. Sed satis de nugatoria illa auctoritatis imminutione.

16. *Quoniam privilegia regularium stricte interpretanda sunt, declaravit Innocentius III capellas, a monasterio pendentes, non intelligi exemptas per monastirii exemptionem.* Haec omnia finguntur pro libitu, quum ne verbum quidem reperiatur in Innocentii decretali de privilegiorum interpretatione. Scribit (1) enim ad Abbatem et ad monachos Eveshamenses in Anglia, sibi propositum fuisse ab eorum procuratore « monasterium ab ipsa sua fundatione liberum exstitisse et exemptum; » sed contrarium apparere ex diplomatibus Pontificum, quum ex uno colligeretur Abbatem debere pergere ad Synodum dioecesanam, et ex alio solvendum aliquid esse Episcopo Vigorniensi; unde « dioecesanus Episcopus in eodem coenobio jurisdictionem suam, etsi non in omnibus, in quibusdam retinuisse videretur. » Qua litis expositione praemissa, arbitrariam fert sententiam his verbis : « Nos igitur his et aliis diligenter auditis, *quum a neutra parte sit probata praescriptio*, sententialiter definimus, quod Evasense coenobium liberum est in capite, tamquam ab episcopali jurisdictione prorsus exemptum et solae Romanae Ecclesiae subjectum, tutela tamen ipsius Cantuariensis Archiepiscopi reservata : in membris autem, quae non probantur exempta, dioecesano Episcopo ipsum subjacere decernimus : propter quod Abbas ad Synodum ejus debet accedere, primumque locum post Vigorniensem Episcopum obtinere : pro ipsis quoque membris non exemptis, idem Abbas tenetur Vigorniensi Episcopo reverentiam, obsequium et honorem, (*id est, pecuniam :*) quibus Vi-

(1) De privil. et excessib. privileg. cap. 17, *Ex ore sedentis.* (Lib. 5, tit. 33).

gorniensis Episcopus sibi competenter exhibitis, debet manere contentus. » Non est quod moneam lectorem *membra* illa monasterii seu capellas esse ecclesias parochiales, quaquaversum erectas et pendentes a monasterio. Quid vero haec commune habent cum privilegiorum stricta aut lata interpretatione? Damus quidem libenter cum multis Doctoribus, qui privilegia late aut etiam latissime interpretanda statuunt, *materiam* exemptionis esse strictae interpretationis, non vero *jura* aut *privilegia* exemptionis : sed, quum haec multum inter se differant, quid inde ad praesentem argumentationem? Insuper, nonne etiam, ubi late interpretanda sunt, sequenda est mens concedentis? Et quis umquam rationabiliter Pontificibus affingere potuit consilium subtrahendi Episcoporum jurisdictioni ecclesias parochiales per solam monasteriorum exemptionem? quum hinc factum esset ut numerus prodigiosus ejuscemodi ecclesiarum in Anglia, in Germania et maxime in Belgio, (quod notare velint regularium adversarii), exemptae factae fuissent, siquidem innumerae in his regionibus a monachis et canonicis regularibus aedificatae sint et ab eis dependerent. Praeterea nullus umquam Pontifex saepius quam Innocentius III in epistolis suis urget principium « beneficia principum plenissime esse interpretanda. » Sed quid haec memorasse oporteat, quum haec Innocentii decretalis sit mere sententia pro bono et aequo lata?

17. Demum *recentiores constitutiones, maxime Tridentinae, quibus restrictae fuere regularium exemptiones, eo interpretandae sunt modo, qui facile faveat Episcopis, ob facilem uniuscujusque rei ad sua principia regressum.* Ast facilis ille regressus in eo peccat, quod nulla sint principia ad quae regrediatur. Re quidem vera aliquo modo haec intelligi possent, si de exemptione partiali ageretur, quoniam Episcopus tunc remanet monasterii Ordinarius; verum, ubi de exemptione totali sermo est, jam Episcopus dioecesanus non est Ordinarius, sed Summus Pontifex : ut passim docet Fagnanus, aliique juris periti, et quidem res evidentissima est. Praeterea si verum foret principium *facilis* istius *regressus,* sequeretur facillime *praescribi* posse adversum regularium exemptionem; quum, si umquam valeat praescriptio, tunc potissimum valere debeat ubi *res ad sua principia regrederetur*. Ast profecto erronea est haec consecutio. Quum enim in Synodo Cracoviensi nonnulla

de regularibus statuta fuissent, delata haec fuerunt ad sacram Congregationem Concilii tempore Pauli V. Legitima esse decreta arguebat Episcopus e duplici capite : quorum prius, quum ad praesens argumentum non faciat, omittimus; posterius vero ita exponitur a Fagnano (1) : « Secundus modus, quo Episcopus Cracoviensis conatur defendere decretum synodale, est consuetudo ; secundum quam a ducentis annis asserit se cognovisse Abbatum regularium causas, adeo ut ipsimet jam jurisdictionem ordinariam recognoscant : sed in suis litteris semper loquitur de Abbatibus non exemptis. Nuntius Apostolicus anno 1618, quando de hac ipsa exemptione actum fuit, testatus est praeteritis temporibus varie fuisse observatum : *monachos fuisse admodum segnes et negligentes in sua exemptione tuenda, ita ut quidam Abbas Gnesnensis aperte fassus fuerit se exemptionem perdidisse, atque Episcopo Cracoviensi est subjectum.* » Sed audiamus Fagnanum : « *Quae tamen negligentia,* continenter subjicit, *imo ipsa exemptionis renuntiatio Romanorum Pontificum privilegiis, quibus regulares immediate Sedi apostolicae subjiciuntur, nullum intulit praejudicium.* » Quae dein fuse probat; et re quidem vera correcta fuit Cracoviensis Synodus. Videat porro adversarius quomodo haec cum *facili* illo *regressu,* quem Berardus et Espenius (2) adstruunt, componere possit.

18. Quum itaque sacra Congregatio Concilii principium istud non admittat, nil mirum si ei itidem non probetur conclusio « exemptiones et privilegia regularium, restricta recentioribus constitutionibus, maxime Tridentinis, eo interpretanda esse modo qui Episcopis facile faveat. » Hanc conclusionem non probari sacrae Congregationi patefaciamus exemplo : statuerat Concilium Tridentinum (3) ut « in monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares quam saeculares, hujusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni,

(1) Comment. in 2 part. lib. 1 decret. de majorit. et obedient. Cap. *Quod super his,* num. 16 et seq. tom. 2, pag. 497.

(2) Repagul. canon. part. 2, cap. 2, reg. 10, tom. 2 Opp. pag. 851.

(3) Sess. 25, de regular. cap. 11.

visitationi et correctioni Episcopi in cujus dioecesi sunt sita.» Porro « in dioecesi Giennensi, ut habet Fagnanus (1), nonnulli exempti etiam Ordinum militarium, tametsi parochi non essent, nec curam animarum suis ecclesiis vel monasteriis incumbentem exercerent, nec ad eam fuissent ab Ordinario examinati et approbati, tamen uti parochi de facto et absque ulla ipsius Ordinarii licentia saepius matrimonia solemnizarant. Quum vero Cardinalis Episcopus vellet in eos animadvertere tamquam delinquentes circa administrationem sacramentorum ex citato decreto Concilii Tridentini, exempti objecerunt decretum illud ad hunc casum non pertinere; loquitur enim de iis regularibus, qui curam animarum exercent.... hos enim subjicit Episcopo dioecesano in his quae dictam curam et sacramentorum administrationem concernunt. At hoc casu exempti, qui matrimoniis interfuerunt, id non egerunt ratione curae animarum; ac propterea ob delictum ejusmodi, non a dioecesano, sed ab eorum superioribus regularibus sunt puniendi ad suorum privilegiorum praescriptum. Quemadmodum regulares, quamvis prohibeantur in ecclesiis, quae sui Ordinis non sunt, praedicare absque Episcopi licentia, in ecclesiis sui Ordinis non petita ab Episcopo benedictione aut episcopo contradicente, tamen sacra Congregatio Concilii declaravit eos, si contrafecerint, non posse ab Episcopo puniri, sed a suis superioribus dumtaxat. » Atque haec et similia allegabant regulares isti. Contra favebat Episcopo Giennensi « absurdum esse, ut melioris conditionis sint, qui de facto, nulla auctoritate suffulti, unum vel plura sacramenta ministrare praesumunt, quam qui illa administrant ratione curae, praevio examine et approbatione Episcopi. » Id revera absurdum esse agnovit sacra Congregatio, adeoque hunc legis hiatum complendum censuit; sed tamen non credidit decretum Concilii eo interpretandum esse modo, qui facile Episcopo Giennensi faveret: contra non ab ipso sed a superioribus regularibus sontes illos plectendos judicavit. « Quando enim Concilium, inquit Fagnanus, voluit attribuere Episcopis facultatem compellendi aut puniendi regulares exemptos, *id disertis verbis expressit,* ut patet in cap. 13 sess. 25 de regular., in cap. 3 sess. 6, in

(1) Comment. in 2 part. lib. v *pella.* num. 19 et seqq. tom. 7, decret. de privil. cap. *Quum ca-* pag. 60.

ap. 4 et 14 sess. 25 de regular. atque alibi. » Proponit deinde dem sacrae Congregationis Secretarius complures alios casus, n quibus omnibus docet Episcoporum in exemptos auctoritatem secundum *strictum* Concilii decretorum sensum intelligendum esse : eamdemque doctrinam in sexcentis aliis suorum operum locis ut certam supponit.

19. Neque aliter interpretata est sacra Concilii Congregatio recentiores Pontificum Bullas et constitutiones de exemptorum privilegiis. Etenim, quum Gregorius XV, occasionem potissimum subministrante causa illa Giennensi, edidisset constitutionem *Inscrutabili Dei providentia*, voluere nonnulli eam interpretari modo, *qui facile faceret Episcopis ob facilem cujuscumque rei ad sua principia regressum*; sed aliter omnino censuit sacra Congregatio, ut lectori ex subjectis declarationibus colliget.

DECLARATIONES ALIQUOT SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII (1)

Super constitutione san. mem. Gregorii XV de exemptorum privilegiis, etc.

« Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, constitutionem san. mem. Gregorii XV de exemptorum privilegiis nequaquam subjicere regulares exemptos, quibus curam animarum personarum saecularium non incumbit Episcoporum jurisdictioni in his, quae sacramentorum administrationem concernunt, nisi quum in sacramentis personis saecularibus administrandis iidem regulares delinquunt : ac propterea.

« *Posita ejusmodi constitutione, dubitatur :*

« I *An liceat Episcopis visitare altaria regularium ecclesiarum, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, aut loca, ubi in iisdem ecclesiis asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, vel ubi audiuntur confessiones personarum saecularium?*

« Ad I dubium respondit, Episcopis non licere in vim ejusdem constitutionis visitare altaria ecclesiarum regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum saecularium, nec ea, ubi in iisdem ecclesiis asservatur sanctissimum Eucha-

(1) Ap. [illegible] 2 part. [illegible] tom. 7 pag. [illegible] lib. 3 decretal. de privil. cap. seqq.

ristiae sacramentum, vel ubi confessiones personarum saecularium audiuntur.

« II. *An Episcopi possint regularibus praescribere, ut certis tantum in locis ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere, ac moderari in sacramentis administrandis?*

« Ad II. Hac in parte constitutionem nihil novi juris induxisse, nec ullam novam auctoritatem Episcopis in regulares attribuisse : ideoque in vim ipsius constitutionis non posse Episcopos regularibus praescribere, ut certis tantum in locis ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum privilegia in sacramentis administrandis restringere aut moderari. Quod si aliunde Episcopis hujusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem constitutione sublatam.

« III. *An facultas, Episcopis per constitutionem attributa in exemptos tam saeculares quam regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius dioecesis?*

« Ad III. Censuit ejusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius dioeceseos.

« IV. *An eadem facultas competat inferioribus praelatis proprium territorium ac jurisdictionem quasi episcopalem non habentibus?*

« Ad IV. Non competere.

« V. *An per eamdem constitutionem in illis verbis :* Possit Episcopus una cum superioribus regularibus quarumcumque Abbatissarum, etc., electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere : *jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur?*

« Ad V. Jus confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per constitutionem attributum.

« VI. *An confessores monialium, ante editam constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari et approbari?*

« Ad VI. Confessores quidem extraordinarios nullatenus posse post constitutionem illarum confessiones audire, nisi prius ab Episcopo dioecesano idonei judicentur et approbentur. Ordinarios vero confessores, ante constitutionis publicationem deputatos, posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis, absque alio examine et approbatione Episcopi. Quod si con-

tingat ut illorum facultas a Sede apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari et approbari.

« VII. *An superiores regulares, similiter ante ipsius constitutionis publicationem electi seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro confessionibus sanctimonialium sibi subjectarum audiendis?*

» Ad VII. Superiores regulares, electos seu deputatos ante ipsius constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confessiones monialium sibi subjectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in confessionibus audiendis illarum tantum, quae sponte ac proprio motu id ab eis petierint. At vero eos, qui post constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis seu dignitatibus, expleto jam tempore a constitutionibus cujusque Ordinis vel alias legitime praefinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse sanctimonialium confessiones audire, nisi prius a dioecesano Episcopo idonei judicati atque approbati fuerint.

» VIII. *An confessiones, quas audiunt superiores, electi seu deputati vel confirmati post publicationem et scientiam tenoris dictae Bullae, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullae atque irritae necne?*

» Ad. VIII. Confessiones hujusmodi nullas atque irritas esse.

» IX. *An regulares, generaliter ab Episcopo approbati ad confessiones personarum saecularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum?*

» Ad IX. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum saecularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

X. *An regularis, ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab Episcopo approbatus, confessiones monialium alterius monasterii audire possit?*

» Ad X. Regularem, ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab Episcopo approbatum, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.

» XI. *An confessores regulares extraordinarii, semel ab Episcopo deputati et approbati ad audiendas monialium confessiones pro una vice infra annum ad praescriptum Concilii Tridentini, possint virtute dictae approbationis pluries tamquam confessores extraordinarii earumdem confessiones audire absque nova Episcopi licentia?*

» Ad XI. Confessores extraordinarios, semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum confessiones audire : sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

» XII. *Quum in eadem constitutione statutum sit ut liceat Episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut amoveant confessores monialium atque administratores bonorum ad earumdem monialium monasteria pertinentium, iisque superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem praedictos confessores et administratores amovendi quoties et quando opus esse judicaverit : an ejusmodi causam Episcopus superioribus regularibus significare teneatur?*

« Ad XII. Non teneri ejusmodi causam significare superioribus regularibus; sed hoc relinqui arbitrio et prudentiae Episcoporum : quorum conscientiam sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri.

» XIII. *An eadem constitutio, qua parte supponit Episcopi jurisdictioni regulares, delinquentes circa personas degentes intra septa monasteriorum monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem earumdem, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis et cum scandalo populi?*

» Ad XIII. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum et cum populi scandalo.

Quae sacrae Congregationis responsa, ad se relata, fel rec. Gregorius XV et Sanctiss. D. N. Urbanus VIII in omnibus approbarunt.

A. Card. Cajetanus.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secr. »

Viden, lector, hic etiam dicendum cum Fagnano : « Quando

Pontifices voluerunt attribuere Episcopis aliquam in regulares exemptos auctoritatem, id *disertis verbis* expresserunt, » ut patet ex sacrae Congregationis declarationibus? Valeat itaque *facilis* ille *regressus ad principia*, et *Episcopis facile favens interpretatio.*

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE USU SEU POTIUS ABUSU PRIVILEGIORUM, DEQUE CONCESSIONE ET REVOCATIONE EXEMPTIONUM EPISCOPALIUM.

1. *Parum apte admonet R. D. Verhoeven regulares de usu privilegiorum.*
2. *Perperam urget revocationem privilegiorum.*
3. *Allegat decretalem quae, quum integra inspicitur, contrarium probat eorum ad quae comprobanda fragmentum mutilum ex illa citatur.*
4. *Refert alteram, quae ad rem non facit.*
5. *Non loquitur de privilegiorum utilitate, sed fingit abusus.*
6. *Examiniatur primus abusus, objectus a R. D. Professore, nempe fieri posse, si regulares tempore paschali sacram communionem distribuant vel confessiones excipiant, ut poenitentes non satisfaciant officio paschali : ostenditur minus esse periculi in ecclesiis regularium quam alibi.*
7. *Admonet R. D. Verhoeven Patres Societatis Jesu de servandis suis Regulis ; locum non recte citat ; excusatur.*
8. *Examinatur secundus propositus abusus, quem timendum asserit R. D. Verhoeven, si regulares aegrotorum aedes adeant, non praemonito parocho. Quanta imprudentia de hac re jam scriptum fuerit.*
9. *Examinatur tertius putatitius abusus, scilicet concionem parochialem vitari a Christi fidelibus, nisi diebus festis et dominicis ecclesiae regularium claudantur. Experientia quotidiana id docuit R. D. Professorem.*

10. *Parum caute loquitur, ita ut injuria afficiat praestantissimos Belgii nostri Episcopos.*
11. *Non recte invocat auctoritatem Benedicti XIV.*
12. *Non accurate scribit de concessione et revocatione exemptionum episcopalium.*
13. *Nil cupiunt regulares praeter moderatum privilegiorum usum.*

1. Sed jam quinta R. D. Professoris regula examinanda venit : « Privilegia, inquit (1), dantur in aedificationem et utilitatem Ecclesiae, vel saltem ea mente, ut eorumdem usus Ecclesiae bono non obsit. Quapropter si usus (*potius abusus*) privilegiorum magis obesset quam prodesset fini, in quem concessa sunt, regularibus non liceret iisdem uti. » Quae profecto tam manifesta sunt quam ipsa decalogi observandi obligatio. Ast ubi addit : « Quamquam in foro Ecclesiae externo Episcopi illos *poenis ecclesiasticis* et *directe* coercere non possent, ut ab usu eorumdem abstinerent, donec a Sancta Sede fuissent revocata, » vellemus scripsisset adversarius eos neque directe, neque indirecte id posse, neque poenis ecclesiasticis neque aliis quibusvis vexationibus, ut docet Fagnanus (2) cum Cardinali et Abbate, suffragante textu Juris (3). Praeterea non reperio Episcopos umquam generatim agnitos fuisse ut judices opportunitatis seu importunitatis privilegiorum regularium ; adeoque Fagnanus (4), de hoc fere argumento agens, laudat Joannem Andreae, « qui conqueritur, inquit, quod Episcopi nostri temporis aedificent parietes, et subtrahant columnas. » Adde saepenumero existimasse Episcopos « privilegia magis obesse quam prodesse fini ; » et nonnumquam conatos esse in suis Synodis eadem restringere et moderari ; sed toties eorum statuta irrita fuerunt declarata a Sancta Sede, ut jam non amplius (quum tamen in quibusdam possent) regulares tangere auderent : unde denuo multo facilius, quam fas est, supponit Rev. Dominus privilegia statim revocatum iri, quum aliqui regularium adversarii persuaserint Episcopis ea jam fini suo obesse. Si vero quis considerare velit tentamina, quibus nonnulli aggressi sunt post

(1) Pag. 33.
(2) In 2 part. lib. 5 decret. de privileg. cap. *Quanto*, num. 2, tom. 7. pag. 85.
(3) Cap. *Quanto*, cit. a Fagnano.
(4) In 2 part. lib. 1 decret. de majorit. et obedient. cap. *Quod super his*, num. 29, tom. 2, pag. 500.

Concilium Tridentinum regularium immunitates; facile reperiet semper fere sub praetextu damni, per regularium privilegia reipublicae Christianae illati, latuisse impatientiam quamdam legum ecclesiasticarum, quibus restringitur episcoporum auctoritas, et quibus jam a primis temporibus (ut plurimi adversum Febronium ostenderunt) factum est ut ne totidem essent Summi Pontifices quot Episcopi per orbem terrarum : quae satis aperte, ut alibi vidimus, professus est Febronius; qui quum ad meliora sensa rediisset, non dubitavit declarare regularium privilegia esse utilissima, et omnes jam abusus, qui facile ex eis (ut ex omni re humana) pullulare potuissent, per Tridentinos Patres et sequentes Pontifices fuisse sublatos.

Ast, inquit R. D. Professor (1), « neque jure contenderent regulares usum privilegiorum semper in aedificationem nec umquam in destructionem cedere, quamdiu Summus Pontifex ea non revocaverit aut limitaverit. » Ad quae animadverto privilegia regularium esse leges ecclesiasticas, de quibus judicium ferre omnibus datum non est. Verumtamen concedimus generatim fieri posse, adeoque factum esse ut quaedam leges ecclesiasticae minus utiles essent quam aliae iisdem substituendae; concedimus etiam exstitisse aliquot privilegia, quibus facile *abuterentur* privilegiati et quibus reapse nonnulli *abusi* fuerunt; sed non tantum apud regulares verum etiam apud probe catholicos plurimi futuri sunt, quibus non placebit fateri *usum* legum ecclesiasticarum, quae nondum cessarunt, in destructionem Religionis aliquando cedere.

2. Urget tamen Rev. Dominus : « Nam si haec vera essent, ait (2), privilegia semel concessa vix umquam aut numquam revocata vel limitata fuissent. Cur enim Pontifices saepius privilegia revocarunt? Quia plerumque experientia jam constabat, eorumdem usum fini proposito non amplius esse accommodatum, vel quia saltem privilegiati iis non utebantur eo modo ut praefinitum finem attingerent. » Iterum igitur pro more suo paucis lineis absolvit Rev. Dominus ingentem partem historiae ecclesiasticae et monasticae.

Quid ergo? Revocatae fuerunt immunitates nonnullae regularium ut aliae leges ecclesiasticae; vel quod aliae iis

(1) Pag. 33. (2) Pag. cit. et seq.

substituendae utiliores viderentur; vel quod oeconomia quaedam inter leges inducenda erat; vel quod obex ponendus esset abusibus aliquot facilius enascentibus, ut ex omni lege humana enasci possunt; vel demum quod causa concessi privilegii cessarat; vel quod ambitio, invidia et odium quorumdam in regulares coegit Pontifices cedere tempestati ne majora orirentur mala: quae omnia satis manifesta sunt ex iis, quae alibi, compulsi a Rev. Domino, disseruimus de querelis motis contra regularium privilegia (1). Unde parum aequus est R. D. Verhoeven, quum maxime in privilegiatos vertit ipsam privilegiorum revocationem; adeoque speramus eum melius edoctum in altera editione non scripturum: « privilegiatos iis non usos eo modo ut praefinitum finem attingerent; » sed potius dicturum: « fuisse quidem aliquot privilegiatos, qui intemperantius suis uterentur privilegiis, sed maxime dissidiorum causam repetendam esse ab aliquot, ut Zaccaria eos vocat, nebulonibus; qui jam Parisiis, jam alibi, commovebant contra religiosos saecularem clerum; et qui opportune importune suggerebant Episcopis sua jura et auctoritatem violari, donec pastorali suo sceptro subegissent regulares. »

3. Ast dicta Rev. Domini nixa sunt decretalibus epistolis Pontificum. « Hoc etiam, ait (2), Summorum Pontificum decretis, quibus regularium privilegia *vel abrogarunt vel immutarunt,* apertissime confirmatur. Quod ut palam fiat, satis erit in hanc rem notasse verba Benedicti XI, ubi agit de quibusdam privilegiis Fratrum Praedicatorum et Minorum : « Sane » dudum, inquit (3), bonae memoriae Bonifacius Papa VIII, » praedecessor noster, quamdam specialem inter praelatos, » rectores seu sacerdotes et clericos parochialium ecclesiarum » ex parte una et Praedicatorum ac Minorum Ordinum » Fratres ex altera, super faciendarum praedicationum au- » diendarumque confessionum per eosdem Fratres, ac de eis » derelictis, et de funeralibus canonicae portionis articulis » constitutionem edidit... Sed pro ea quam intendebat quiete » turbatio nata est, pro concordia sunt suborta dissidia et » pullulatae inquietudines pro tranquillitate nascuntur; » sicque, dum ansam solvisse se credidit, nodum ligasse

(1) Vide supra pag. 273 et seqq.
(2) Pag. 36.
(3) Extrav. comm. de privilegiis cap. 1. *Inter cunctas.* (Lib. 5, tit. 7)

» videtur et septem uno hydrae amputato capite suscitasse. » Non possumus non fateri nos non parum obstupuisse, quum haec legimus. Etenim se ex decretis Pontificum confirmaturum praefatur R. D. Professor, saepius « experientia constitisse privilegiorum usum fini proposito non amplius esse accommodatum, vel saltem privilegiatos iis non usos fuisse eo modo ut praefinitum finem attingerent; » pollicetur se editurum decreta « quibus regularium privilegia abrogata vel immutata sunt ; » inductus itaque est lector ad credendum ex citandis verbis manifestum fore incommoda orta esse *ex ipsis privilegiis aut usu privilegiorum.* Qui autem fidem suam liberat R. D. Professor? ita scilicet exhibet textum, ut nemo, qui non norit decretalem Benedicti XI, necessario non fallatur : eodem prorsus modo, ac si atheus, supprimens verba : *Dixit impius in corde suo,* assereret ex scriptura sacra constare *non esse Deum.* Quid itaque docet Benedictus XI? Tradit nempe Pontificis esse « pacem inserere, removere scandala, jurgiorum amputare materiam et intelligere super egenum et pauperem; » dein refert, constitutionem a Bonifacio VIII editam fuisse de quibusdam Mendicantium juribus. Haec habet adversarius noster; sed ut lector intelligeret turbas ortas esse non *ex ipsis privilegiis et usu privilegiorum,* sed *ex derogatione et restrictione privilegiorum,* post verba : *Constitutionem edidit* non omittere potuisset R. D. Verhoeven sequentia : « *Certum his modum imponens,* prout in eadem constitutione plenius continetur. » Sed haec fere minima suppressio : persuasit adversarius lectori ex mente Benedicti XI incommoda et turbas ortas esse *ex privilegis* et *excessu privilegiatorum;* quum tamen omnino contrarium tradat Pontifex. Postquam enim dixisset Bonifacium VIII credidisse se paci consulturum *certum modum imponendo privilegiis,* sed contra « septem uno hydrae amputato capite suscitasse; » continenter pergit : « *Nec mirum, quia plerumque pariunt novitates discordiam, praesertim dum ab eo, quod diu aequum visum est, per novam constitutionem receditur; nec quare recedatur, utilitas evidens vel alia causa subest. Ideoque cupientes ut ipsi gregi cura nostra eo plenior impendatur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus operetur, super egenum intelligentes et pauperem ac novitatem removentes per eamdem constitutionem inductam, statuimus* etc. » et dein amplissima Praedicatoribus et Mino-

ribus elargitur privilegia : adeo ut Benedictus XI arbitraretur incommoda non nasci *ex privilegiis,* verum *ex eorum abrogatione seu imminutione :* illaque restituenda esse ut incommoda illa evanescerent.

4. Pergit dein Doctissimus Professor : « Nec minus perspicua, inquiens (1), in eamdem rem sunt verba Clementis V in Concilio oecumenico Viennensi, quibus praedictam Benedicti XI constitutionem abrogat, et disciplinam a Bonifacio inductam restituit : « Dudum, ait (2), a Bonifacio VIII, prae- » decessore nostro, infra scripta edita decretali, Benedictus » Papa XI, praedecessor noster, aliam illius revocatoriam » promulgavit; quae quia (ut probavit effectus) nedum pacis » ab auctore ipsius speratae fructum non attulit, quinimo » discordiae, pro qua sedanda processerat, fomentum non » modicum ministravit : nos eam omnino cassantes, aliam » a praefato Bonifacio editam, sacro instante et approbante » Concilio, innovamus. » Quoniam vero ea, quae ad historiam hujus constitutionis et Concilii Viennensis pertinent, alibi (quantum ferebat nostrum argumentum) satis declaravimus (3); hic tantum animadvertimus confundi ab adversario finem privilegiorum cum fine constitutionis Benedicti XI. Finis privilegiorum erat « ut gregi fidelium eo plenior cura impenderetur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus operaretur; » finis vero constitutionis amovere *novitates,* absque *utilitate evidenti* a Bonifacio VIII introductas, et Benedicto XI discordiarum causas habitas. Sed experientia jam constabat e mutationibus Benedicti XI eadem oriri mala, quae ex Bonifacii VIII novitatibus nata erant. Quocirca reditum est ad constitutionem Bonifacii VIII ; non quod ipsa Benedicti XI privilegia « fini suo, scilicet pleniori curae gregi dominico impendendae, non essent amplius accommodata, aut quia privilegiati iis non utebantur eo modo ut praefinitum finem attingerent ; » sed quod invidiam excitarent plurimorum atque hinc discordiae scaturigines essent. Caeterum haec non scribimus quasi restituendas arbitraremur Benedicti XI aut alias similes copiosas privilegiorum concessiones ; contra fatemur cum sapientissimis regularibus scriptoribus

(1) Pag. 36.
(2) Clement. de sepulturis, cap. 2, *Dudum.* (Lib. 3, tit. 7).
(3) Vide supra, pag. 279.

(quos inter Zaccaria) Bonifacii VIII constitutionem utiliorem esse quam Benedicti XI; et rite frenum injici tam clero regulari quam iis qui ejus institutum pessumdare possent.

5. « Patet itaque, sic concludit Rev. Dominus (1), jam saepius privilegiorum usum posse noxium esse, priusquam abrogentur vel immutentur. Sed et amplius id patebit, ubi de jure hodierno regularium in exercendis muneribus sacris agemus.» Melius dixisset : Patet fieri posse ut quis abutatur privilegiis, sicuti cujuscumque rei, etiam sacratissimae, abusus possibilis est ; patet fieri posse ut excitetur clerus saecularis contra regularem, adeo ut Summo Pontifici sacrificanda sint regularium jura, ut pax reducatur; sed nequaquam demonstratum videmus, « saepius privilegiorum usum posse noxium esse, priusquam abrogentur vel immutentur. » Quod autem monet R. D. Professor « fore ut id amplius pateat, ubi de jure hodierno regularium in exercendis muneribus sacris aget, » jam monuimus nuspiam, nisi quum id ad vinciendos regulares opportunum futurum videbatur (2), a Rev. Domino sermonem fieri de utilitate privilegiorum regularium; alibi vero fingit casus, in quibus ea exitiosa esse viderentur.

6. Tres autem ejuscemodi exhibet casus : primus bis redit, nempe num. VIII, § III, cap. II, ubi supponuntur homines regularium adire templa, ut, dum ibi concio non erit, vitent audire parochialem instructionem; idemque redit ultimo opusculi numero : dicemus de eo inferius. Alibi num. III, § II, cap. III, satagit invenire praetextum, sub quo possit Ordinarius impedire regulares quin tempore paschali audiant confessiones saecularium; en ejus verba (3) : « Finge enim magnum parochianorum numerum in ecclesia regularium tempore paschali *ad poenitentiae tribunal* accedere ; unde fieri potest, ut eorum multi sacramentum Eucharistiae eodem tempore in eadem ecclesia recipiant, existimantes se hac S. Communione Ecclesiae praeceptum adimplere; hoc ergo si alicubi contingat, et parocho ipsisque regularibus experientia constet, errorem istum inter parochianos esse sat communem, seque suis ea de re monitionibus parum aut nihil profecisse, peto, an in hujusmodi rerum adjunctis satius non esset, ut regulares ab illius privilegii usu

(1) Pag. 37.
(2) Vide supra, pag. 345.
(3) Pag. 106.

abstinerent, praesertim si Ordinarius aut parochus loci id ab eis peteret. » Et vide ut sibi constet : « Age vero, inquit (1), sicubi res ita comparatae sint, ut eas modo fingebamus, nemo sane negaverit privilegii istius usum tunc in Ecclesiae et Christi fidelium destructionem cessurum esse potius quam in eorum aedificationem ; » et tamen paulo post (2) refert « fuisse jam S. Congregationi Concilii propositum casum similem illi, quem modo fingebat ; fuisse autem responsum regulares jure suo eucharisticam Communionem paschali tempore in suis ecclesiis ministrare ; » unde concludimus haec omnia esse vanos praetextus ; nam secus curasset sane S. Congregatio, novam impetrando a Pontifice legem, ne regularium privilegia in Ecclesiae et Christi fidelium destructionem cederent. Sed ecce novam contradictionem : postquam sibi objecisset R. D. Professor id sacrae Congregationis responsum, pergit (3) : « Nihil hinc contra nos effici potest. Non enim affirmamus, illud ipsis eo casu ne quidem de *rigore juris* licere ; sed solum contendimus, in particulari illo casu a nobis posito, regulares acturos esse prudenter et Ecclesiae causam promoturos, si illius privilegii usui ad tempus renuntiarent ; » ex quibus patet nihil a regularibus delinqui, neque hic intervenire causam ad ipsam confessionem pertinentem. Verumtamen, licet Episcopus nequeat integram communitatem, inconsulta Sancta Sede, confessionibus audiendis interdicere (4), concludit tamen R. D. Professor (5) : « Ut ab exemplo proposito non recedamus, si cuidam Ordinario constaret, multos parochianos in sua parochiali ecclesia praecepto Communionis paschalis non satisfacere, idque ex eo venire quod quidam regulares in suis ecclesiis saecularium confessiones excipiant, sane posset tunc Ordinarius regulares illos jurisdictione saecularium confessiones excipiendi privare per totum paschale vel per longius etiam tempus. Nec vero is ita agendo, potestatis suae limites excederet, ut videbimus (*id nuspiam videbitur*), ubi sermo erit de administratione sacramenti poenitentiae. » Novisse nobis liberet probatos scriptores, qui talia doceant. Sed haec alibi, quantum ad jus pertinent, Deo annuente, examinabimus. Hic

(1) Ibid. pag. cit.
(2) Pag. 107.
(3) Ibid. pag. cit.
(4) Pag. 132.
(5) Pag. 108.

vero sermo tantum nobis est de usu privilegii qui in destructionem Ecclesiae cederet : dilucidemus itaque quid rei sit. Non dubitamus affirmare millies plus periculi esse ne abusus ille in ecclesiis potius parochialibus quam regularibus exsistat : etenim quum nemo in ecclesia regularium paschale officium obire possit, admonent religiosi poenitentes suos minus instructos eis sacram Communionem in parochia suscipiendam esse; de qua re nonnulli religiosi expressam habent regulam, his conceptam verbis (1) : « Admoneat eos, qui sibi confitentur, a dominica Palmarum ad dominicam in Albis inclusive, eo tempore nisi aliud consuetudo loci postulaverit debere semel in sua parochia communicare, exceptis peregrinis, et iis qui facultatem haberent, et reliquos quos jus excipit. » In parochiis vero civitatum, ubi cives et vicini promiscue ad suam vel alienam parochiam peccata confessuri accedunt, supponuntur poenitentes nisi secus constet, quod non ita tamen facile est, ad parochiam pertinere, neque admonentur in sua ipsorum parochia sibi synaxim agendam esse. Ex hoc itaque capite multo majores timendi sunt abusus in parochiis quam in regularium templis. Sed, quaeso, quis ferat propter similem causam vetari his temporibus fideles, quin apud alios presbyteros saeculares quam apud proprios peccatorum sarcinam ponant? Insuper quis ferat hypothesin multos fore qui extra suam paroeciam sacram Communionem tempore paschali suscipiant, adeoque « errorem istum inter parochianos esse sat communem, et parochos et regulares suis ea de re monitionibus parum aut nihil proficere? » Fateor, sunt etiam in Belgio de quibus cum propheta dici possit : « Homines et jumenta salvabis, Domine; » sed tamen inter tardos Nigros non vivimus, et pauci sunt qui non intelligant haec verba : « Ad parochiam tuam tendas oportet ut sacram Communionem suscipias : » quod si intelligerent et nollent, neganda esset absolutio. Caeterum minimus semper erit ille minus intelligentium numerus.

7. Inter haec ex S. Bernardo monet R. D. Professor regulares eis ut in omnibus sic in privilegiorum usu considerandum esse (2) « primum an liceat, deinde an deceat, postremo an et expediat; » et subjicit (3) : « Quinimo in nonnullorum

(1) Regul. 27 sacerdotum Soc. Jes.

(2) Pag. 107.

(3) Ibid. loc. cit.

regularium Ordinum constitutionibus conceptis verbis cautum est, ne religiosi viri privilegiis justa de causa concessis cum Ordinariorum offendiculo utantur. » Quae tradit desumpta esse ex « Daude, S. J., de Majestate hierarchiae ecclesiasticae part. 2, sect. 2, num. 5; ubi, inquit, citat in eam rem ex Congregatione generali v Societatis Jesu, Decret. 25 et Regul. 10 sacerdotum. » Opus P. Daude prae manibus non habemus; sed ex ipso Instituto Societatis Jesu colligimus decreto 25 Congregationis nihil hujusmodi tradi; sed decreto 21 ejusdem Congregationis, quo mos geritur Regi Philippo II ut ne amplius detrectare possint Patres officium aliquod in sacrae Inquisitionis tribunalibus, dicitur de Societate : « Quae quoniam suis privilegiis ad aedificationem et divinum tantum obsequium uti cupit, et sancto illi tribunali, ut par est, plurimum deferre, etc.; » in regula autem 10 sacerdotum non cavetur ne Socii privilegiis utantur cum quocumque Ordinarii offendiculo, sed cum *justa* Ordinarii et parochi offensione ; en verba : « Formam et rationem absolvendi ab excommunicatione et aliis censuris et peccatis eamdem omnes sequantur, attendantque ne ex modo utendi facultatibus Societatis Ordinarii et parochi *jure* offendi possint. » Quod vero subjicit R. D. Professor : « Optandum igitur est, ut ipsi hujusmodi constitutiones observent; » id, licet vulgo res non exstantes tantum optemus, non intelligendum putamus quasi Rev. Dominus publice accusaret Patres Societatis Jesu, quod suas (quantum per imbecillitatem humanam licet) constitutiones non servent; sed, quum saepius post scriptum suum librum declararit abusus non committi a Patribus Jesuitis, ita accipienda sunt haec dicta ac si optasset R. D. Verhoeven ut illi hujusmodi constitutiones observare *pergerent :* quod jam non contumelia sed laus est.

8. Alibi, ubi R. D. Professor Episcopis suadere videtur ut impediant regulares quin aegrotorum confessiones, non praemonito parocho, audiant; alium exhibet casum, quo privilegia in destructionem fidelium cederent : « Atqui hanc, inquit (1), aut similem clausulam opportune quidem aliquando Ordinarii facultatibus adjicerent, quas regularibus, praesertim in majoribus oppidis residentibus, concedunt ad audiendas

(1) Pag. 134.

saecularium etiam infirmorum confessiones. Hac enim ratione facilius occurreretur incommodis, quin etiam scandalis, quae ex eo subinde oriuntur quod regulares, rogati ad excipiendam confessionem personae aegrotantis, in domo suspecta aut lupanari quidem commorantis, nihil mali aut periculi suspicantes, illuc se conferunt, et non expetito consilio parochi, *neglectis regulis pro audienda confessione peccatoris publici praescriptis, poenitentiae sacramentum ipsi administrant. Unde fit ut, si deinde parochum de excepta sacramentali confessione certiorem reddant, is Viaticum et extremam unctionem negare debeat ejusmodi poenitenti, quippe qui peccator publicus in foro externo nondum Ecclesiae reconciliatus habetur et haberi debet.*» Porro primum dictum fuit *semel* a sedecim annis hunc casum in Belgio accidisse, deinde dictum accidisse *bis*, postea accidisse *pluries et cum deplorandis adjunctis* (1) et demum *cum adjunctis maxime deplorandis* (2). Ast quid rei sit neque investigare nobis lubet, neque rescire; quum, siqui de male administrato poenitentiae sacramento culpantur, ne se quidem defendere possint, quin sigillum sacramentale laedant, ut ex modo dicendis apparebit : unde intelligere prorsus nequimus, quomodo de his primum publice sermo factus sit, dein de his publice in sua ad cl. v. Petrum Kersten epistola mentionem fecerit R. D. Verhoeven et demum de his scripserit in Ephemeridibus Leodiensibus parochus Mechliniensis. Certe nemo umquam reus in eo discrimine ponendus est, ut famam suam vindicare nequeat absque immani sacrilegio.

Accidere tamen posse ut regularis vocetur ad publici peccatoris confessionem audiendam et ut noverit tantum ex confessione eum publicum esse peccatorem, non ambigimus fateri. Quodsi contingat, sive in aedibus aegroti sive in nosocomiis, quid facto opus est? Ut scilicet admoneat confessarius poenitentem necesse esse vitae suae peccaminosae nuntium remittat coram duobus testibus, et hos testes esse quaerendos, priusquam absolvatur. Tum peccator ille vel consentiet vel detrectabit scandala sua coram duobus testibus reparare; si consentiat, accersentur testes, coram eis fiet reparatio : de

(1) Lettre de M. Verhoeven. Journ. hist. et litt, Janv. 1847, pag. 431.

(2) Revue cathol. de Louvain. Avril. 1847, pag. 91.

qua parochus certior factus, debebit peccatori viaticum et extremam unctionem ministrare; neque hic ullum est incommodum. Si autem peccator ille seu peccatrix nolit coram testibus peccato renuntiare, denegabit confessarius absolutionem, et si soleat apud infirmum peractae confessionis scriptum testimonium relinquere, hic etiam schedulam relinquet ne sigillum confessionis frangat. Sed quid parochus? Viaticum et Extremam unctionem denegabit, quoniam non facta est reparatio coram duobus testibus. Denuo quod hic intervenit incommodum? Vitatur sacrilegium, et nil ultra. Si itaque casus, quem proponit R. D. Professor, contingeret, unice oriretur ex eo quod regularis ille elementa theologiae moralis non calleret; secus impossibile est ut hic poenitentiae sacramentum administret (seu ut poenitens rite confiteatur, et regularis eum rite absolvat), et ut dein parochus debeat negare viaticum et extremam unctionem. Ex quibus judicet lector annon recte *praetextus* ille, sub quo, docente R. D. Verhoeven, opportune Ordinarii adjicerent facultatibus regularium, ut nonnisi ex consilio parochi adirent infirmorum aedes, recte *insolens* vocatus fuerit a critico Leodiensi. Adde cum eodem critico multo saepius et facilius talia accidere posse juvenibus sacerdotibus, quibus in majoribus civitatibus sacrum concreditur ministerium (1), et omnium maxime sacerdotibus, in nosocomiis degentibus. Id quidem in dubium revocat R. D. Verhoeven (2). Verum, respondet Leodiensis criticus (3) : « Nous espérons que ce doute ne tardera pas à se dissiper. Nous convenons qu'il faut de la prudence, de la circonspection. Mais nous avons assez de confiance dans les supérieurs réguliers, pour être convaincus qu'ils savent éviter les inconvénients qu'on indique, sans qu'il soit nécessaire de recourir au moyen que propose M. Verhoeven. » Insuper sciscitari vellem ex R. D. Professore unde factum sit ut nunc tantum de hac lege ferenda fiat sermo, dum tamen omni tempore casus ille possibilis fuerit et aliquando locum obtinuerit oporteat? An necesse et opportunum sit ut omnia legum incommoda aliis legibus praecaveantur? An ut fictitia eradicentur zizania eruendum sit triticum? An instauranda disciplina Pistoriensis.

(1) Journal hist. et litt. Nov. 1846, pag. 340.

(2) Ibid. Janv. 1847, pag. 452.

(3) Ibid. Fevr. 1847, pag. 601.

qua etiam cautum fuisse videbimus ut regulares ex consilio parochorum saluti aegrotorum consulerent? An praefocandus sit regularium zelus in adjuvandis infirmis? Sed piget me plura de his interrogare.

9. Demum, ubi R. D. Verhoeven praetextum quaerit, sub quo regularibus claudendae essent diebus dominicis et festis sui templi fores, primum recte laudat Episcopos de statutis, quibus clerum impulerunt ad saepius verbum Dei nuntiandum; sed dein ita de regularibus disserit : « Sed et id unicuique perspicuum est, in plerisque oppidis, in quibus regulares erectas habent ecclesias, operam et curam Antistitum nostrorum, magna saltem ex parte, perditam esse, si regulares subsidiariam manum in hac re praestare renuerent. Quid enim fiet, et quid fiet in posterum, si *omnibus* alicujus oppidi Christi fidelibus eadem hora, qua in ecclesiis parochialibus doctrina Christiana traditur aut verbum Dei praedicatur, regularium ecclesiae pateant, in iisque Missae celebrentur sine Dei verbi praedicatione? Nonne ex eo accidet, ut *multi* Christi fideles, et illi praesertim qui doctrinae Christianae institutione maxime indigent, ea hora qua in ecclesiis parochialibus Dei verbum praedicatur, ad regularium ecclesias se conferant, et saluberrimo hoc spirituali pabulo in aeternae suae salutis dispendium se nutrire continuo negligant? *Ita autem rem se habere quotidiana experientia docemur.* »

Ad haec imprimis animadvertimus a regularium hostibus in Belgio generatim querelas fundi, non quod desides sunt, sed quod nimis actuosi; dein numquam petentibus Episcopis quidpiam hujus generis, quod R. D. Verhoeven indicat, a regularibus fuisse denegatum; tertio extra omnem controversiam esse in missionibus, sacris exercitiis, octiduanis solemnitatibus, in coetibus piis, in minimis etiam scholis et vicis, tum in suis tum in alienis templis, insignem a regularibus symbolam conferri ad institutionem rudium : neque arbitror haec a R. D. Professore in dubium vocatum iri. Verum *quotidiana experientia docetur* eos, quod una manu aedificant, altera destruere, eosque in causa esse cur labor presbyterorum parochialium, diebus dominicis ita concionantium ut fideles difficulter evitare queant conciones, partim incassum recidat. Demus verum esse difficulter fideles vitare posse conciones in civitatibus, ubi degunt regulares; quod tamen nequaquam verum est;

quid jam? Respondebimus nos confidenter provocare R. D. Professorem ad comprobandam hanc gravissimam accusationem, nosque prorsus esse certos non fore ut in toto Belgio unum regularium oratorium aut templum reperiat, de quo haec praedicari possint. Designet civitatem, indicet homines, manifestet modum, quo haec ipse solus experientia quotidiana doceatur. Atque haec ad calcem Libri Singularis veniunt.

Sed audienda jam est conclusio: « Quapropter, inquit (1), ut huic abusui remedium afferatur, et ut clerus regularis, quantum possit, spirituali fidelium bono promovendo cum clero saeculari allaboret, maxime foret exoptandum, ut vel in regularium ecclesiis diebus dominicis et festis Missae non publicae celebrarentur, vel ut saltem intra Missarum solemnia etiam Dei verbum praedicaretur. Utra autem res magis expediret, scilicet ut regularium ecclesiae dominicis et festis diebus fidelibus non paterent, vel potius ut verbum Dei praedicarent regulares eadem hora, et quoties id clero saeculari in parochialibus ecclesiis praescriptum est, multum pendet a locorum circumstantiis, idque nemo melius quam Episcopus dioecesanus judicare poterit. » Ad haec quaerimus annon sit extra omnem controversiam *clerum regularem* in Belgio, *quantum possit, spirituali fidelium bono promovendo cum clero saeculari allaborare?* De qua re ipsi R. D. Verhoeven non arbitramur ullum esse dubium, quum totus ejus liber non ad stimulandos sed ad cohibendos regulares scriptus videatur. Quod pertinet ad claudenda diebus dominicis et festis regularium templa, notabimus tantum eam disciplinam Pistoriensem esse, qua etiam statutum fuisse videbimus, ut regularium templa diebus dominicis et festis clauderentur, ne secus paroeciani non audirent parochialem concionem : ex eodem similiter tantum fonte stabilire possemus Episcopum dioecesanum optimum judicem esse utrum expediat claudi ecclesias regularium, an vero, quot regulares celebrant Missae sacrificium, tot debeant concionem habere.

Sed pergit R. D. Professor (2) : « Certum quidem est Ordinarios de rigore juris regularibus non posse praecipere, ut populo verbum Dei in suis ecclesiis praedicent, nec etiam ipsis prohibere, ne ibidem Missae celebrentur iis horis, quibus

(1) Pag. 157 et seq. (2) Pag. 158.

in parochialibus ecclesiis sacrae conciones habentur; attamen si perspicuum sit, in utilitatem rei sacrae cessurum esse id quod locorum Ordinarii in hujusmodi negotiis a regularibus peterent, tunc secundum ea, quae in decursu hujus opusculi non semel indicavimus principia, regulares petitionibus hujus generis obsecundare deberent. » Sane officium omnis hominis est iis obsecundare petitis, quae jure naturae, Christi praeceptis et constitutionibus Ecclesiae fundantur; sed prout haec omnia subjicit R. D. Verhoeven arbitrio Episcopi, quo neminem melius de his judicare posse asserit, nullus vir doctus et probus haec concedet : quoniam secus probanda forent gesta Scipionis Riccii et nonnullorum aliorum illius temporis Praesulum, qui etiam erant Episcopi dioecesani et claudenda regularium templa in utilitatem rei sacrae judicabant.

10. Subdit dein Rev. Dominus : « Et ubi id renuerent regulares, *quod tamen ab ipsis fieri nulla ratione putamus*, Ordinariorum esset S. Sedem de ea re docere. » Profecto jus omne communicandi cum Sancta Sede Episcopis est, nec quidpiam in id animadvertere lubet; ast annotamus minus bene secum convenire R. D. Professorem. Supra enim dixit « *se quotidiana experientia doceri illos praesertim, qui doctrinae christianae institutione maxime indigent, ea hora qua in ecclesiis parochialibus Dei verbum praedicatur ad regularium ecclesias se conferre, et saluberrimo hoc spirituali pabulo in aeternae suae salutis dispendium se nutrire continuo negligere.* » Hic vero tradit se non putare ulla ratione fieri ut regulares renuant claudere suas ecclesias vel in iis concionari, si alterutrum peterent Ordinarii: unde concludimus vel eadem, qua R. D. Verhoeven, quotidiana experientia non doceri Episcopos, vel eos ita segnes et negligentes sui officii dicendos esse, ut, quamvis regulares tam faciles sint, ut ipse R. D. Professor putet eos nulla ratione non obsecundaturos Ordinariorum petitionibus, nullatenus tamen curent ne tanta animarum strages locum habere pergat. Ast posterius hujus dilemmatis membrum jure merito tam longe a mente R. D. Verhoeven abest, ut nullus dubitem quin perspecta eorum diligentia, prudentia et zelus animarum ei fucum faciant et in causa sint, cur omnia passim magis ad arbitrium Episcoporum quam secundum Ecclesiae leges agenda statuat, seu varios suggerat praetextus (quae ei rationes videntur), sub quibus constitutiones Pontificum eludi

possent. Superest itaque ut dicamus illustrissimos merentissimosque Belgii Episcopos non eadem quotidiana experientia doceri, qua R. D. Verhoeven : quae res regularibus maximo solatio est.

11. Ut autem omnibus his dictis sanctio quaedam apponatur, subjicit R. D. Professor minas aliquot quas Benedicto XIV adscribit, tradens Sanctam Sedem, « quum in id potissimum Ordinariorum sollicitudinem semper intentam esse voluerit, ut Christianus populus coelestis doctrinae pabulo nutriatur et fidei rudimentis instruatur, ad doctrinae Christianae et verbi Dei praedicationis opus impensiori cura provehendum, procul dubio ablaturam esse impedimenta, quae eidem saluberrimo operi atque adeo animarum saluti adversarentur. » His claudit Rev. Dominus totum suum opusculum, eaque desumpta dicit ex constitutione Benedicti XIV *Etsi minime*. Verum Benedicti XIV verba ad casum prorsus contrarium pertinent : « Saepe enim contingit, inquit (1), in aliis ecclesiis, ac praesertim regularium, *solemni ritu magnaque populi frequentia, festum aliquem diem celebrari :* ideoque si in ecclesia parochiali, summo mane, aut statim a prandio catechismus habeatur ; aut nemo, aut pauci admodum sunt, qui eidem catechismo intersint, quique praescriptas horas non causentur. Sin vero captentur horae civitatis commodo magis appositae, *usu compertum est populum ad ecclesiam confluere, in qua festus dies agitur; et celebritate pompae illectum,* doctrinam Christianam non sine gravi animae detrimento deserere. In hoc articulo quia certa et communis regula praescribi non potest, id totum relictum volumus prudentiae vigilis Ecclesiae Antistitis, qui attenta loci, temporis, personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis, ita studeat *solemnis diei celebritatem cum doctrina Christiana componere, ne alteri altera sit impedimento :* » atque in hoc casu, si contradicatur Episcopo, ei pollicetur Pontifex suam auctoritatem. Quis vero hic sermo de claudendis regularium templis diebus dominicis et festis? Quis sermo de iis sane paucissimis, qui ad vitandum sacrum et conciunculam, quae simul tres horae quadrantes durant, eant ad sacra quae vulgo intra mediam tantum horam absolvuntur?

(1) Constitut. *Etsi minime*, § 15, pag. 232. Mechliniae. 1826. tom. 1 Bullar. const. 42. vol. 1.

Insuper si simili modo conscriberetur de reliquis Ecclesiae legibus commentarius et ubique id genus fictitii abusus apponerentur, quam speciem induceret ecclesiastica disciplina? Quid, si adderetur, quotidiana experientia scriptorem haec doceri? Essetne bene de Ecclesia ille auctor meritus? Possetne asserere : « Non ego, sed lex in meo libro loquitur? » Haec aliis dirimenda relinquimus, satis habentes cum Febronio, ad meliora converso, profiteri, per Concilium Tridentinum et sequentes constitutiones Pontificum obicem oppositum fuisse veris abusibus, qui facilius e regularium privilegiis oriri possent (1). Sed aliorsum jam avocamur.

12. Ita scilicet sonat regula VI. « Perspicuum est, inquit adversarius (2), Summum Pontificem regularibus in universa Ecclesia impertiri privilegia posse; Episcopi autem eo jure fruuntur pro regularibus et monasteriis in suis dioecesibus constitutis. Episcopi quidem completam et generalem exemptionem concedere legitime non possunt, sed partialem tamen et pro casibus peculiaribus, justis de causis ac servatis juris solemnitatibus. » Pontifici eam esse omnimodam potestatem saepenumero probavimus. Quae vero Rev. Dominus de Episcopis tradit, neque satis accurata sunt, neque satis certa : non satis accurata, quoniam Episcopi *saltem* initio fundationis integram exemptionem concedere possunt, quum nondum episcopatui jus superioritatis concessum est, ut docent Ascanius Tamburinus (3), plures alios citans Doctores, et Cherubinus Mayr (4); item non satis accurata, quoniam ab adversario siletur necesse esse ut interveniat consensus capituli collegialiter et legitime congregati; neque satis certa, quoniam auctores de nonnullis, huc pertinentibus, non omnino inter se conveniunt (5).

Ast vix sermonem fecit R. D. Professor de concessa ab Episcopo partiali exemptione, quum de ea abroganda jam disserit. Subdit enim (6) : « Verum hujusmodi concessio privi-

(1) Vide supra, pag. 314.

(2) Pag. 37.

(3) De jure Abbatum, part. 1, disp. 15, quaest. 13, num. 5, tom. 1. pag. 210.

(4) Trismegistus, lib. 5, tit. 33, § 6, num. 188, tom. 5 pag. 345.

(5) Cfr. Barbosa, de offic. et potest. episc. part. 3, alleg. 89, num. 1 et seqq. tom. 2, pag. 360 et seq. Lugduni, 1724, et Cherubinus Mayr, loc. cit.

(6) Pag. 37.

legiorum, quae ab Episcopo facta est, ligare non potest ejus successorem, nisi Summus Pontifex concessionem istam ita confirmasset, perinde ac si ipse privilegia concessisset. » Contra Barbosa, agens de partiali exemptione non confirmata a Pontifice, sic disserit (1) : « Quaeret aliquis an in illis casibus, in quibus Episcopus potest subditos a sua jurisdictione eximere, possit exemptiones a se concessas revocare. In qua quaestione habetur communiter quod revocare non potest, praecipue quum exemptio plene suum sortita fuit effectum, seu cum res integra esse desiit, tunc enim regulariter poenitentiae locus esse non solet; quod ex multis auctoritatibus probat : idemque tenet Tamburinus (2) : quia, ajunt, solus princeps de plenitudine potestatis privilegia a se concessa revocare potest. Ex qua ratione satis liquet *manus successoris* revera *esse ligatas*, quamvis contrarium adstruat Rev. Dominus; et quidem ex Calderino tradit idem Barbosa (3) « posse Episcopum, accedente capituli consensu, *etiam in praejudicium successorum* eximere aliquam ecclesiam ab omni jurisdictione et conferre jurisdictionem in aliena ejusdem ecclesiae praelatura; » remanentibus tamen nonnullis oneribus, quae tangit Barbosa (4), fusius vero explicat Tamburinus (5). Sane ab antiquissimis temporibus sibi tribuerunt Episcopi potestatem concedendi perpetuas exemptiones partiales, ut nil dicam de totalibus; adeoque imprecationes et anathemata pronuntiarunt in suos successores, qui auderent sua privilegia violare; quae merito in placitis aliisque judiciis semper servanda decreta fuerunt. Porro, quum Rev. Dominus alibi totus est in extollendis Episcoporum juribus, quam ob causam hoc loco, ubi de concedenda regularibus perpetua partiali libertate agitur, id eis vetitum affirmat?

13. Septimae regulae ab adversario traditae prorsus subscribimus; sonat autem in haec verba : « 7° Tandem observare juvat, quemadmodum clerus regularis male ageret, si privilegiis etiam tum uteretur (*potius abuteretur*), quum eo-

(1) Loc. supra, cit num. 10 et seq.
(2) De jure Abbat. disp. et quaest. citt. num. 6, tom. 1, pag. 210.
(3) De off. et pot. episc. alleg. 89, num. 1, tom. 2, pag. 360.
(4) Ibid. num. 2.
(5) De jure Abbat. disp. 15, quaest. 13, num. 4, tom. 1, pag. 210.

rumdem usus (*seu abusus*) potius in Ecclesiae detrimentum quam utilitatem vergeret, ita etiam munus et officium suum violaret clerus saecularis, siquando moderatum et aequum usum privilegiorum regularium impedire vellet. Probe enim et alta mente teneri debet, tunc demum unumquemque ordinem cleri saecularis et regularis praestitutum sibi finem consequi, quando alter alterius jura non laedit nec invadere conatur, et quisque muneribus et officiis suis intra limites praescriptos sedulo fungitur. »

Quibus addimus omnino nobis persuasum esse neminem inter regulares Belgas quidpiam praeter libertatem moderate utendi suis privilegiis cupere aut velle. Neque nos tam acriter aliam interpretationem privilegiorum et reliqua regularium jura propugnavimus, quod nobis videantur per fas et nefas privilegia inclamanda et urgenda; multa enim danda sunt tempori; modestia et reverentia semper servanda; saepius audiendi et consulendi Episcopi et res potius pro eorum prudenti judicio quam secundum omnem privilegiorum latitudinem agendae; ipsis in multis mos gerendus, et facile et libenter; et sane numquam iis eo utendum est modo, ut jure inde offendi possint praelati : adeoque experientia constat, ut saepius advotavit Cardinalis Lugo (1), quo faciliores sunt regulares, eo benigniores esse solere Episcopos eoque libentius facere regularibus potestatem ut cum debita libertate et pace possint sua ministeria exercere in majorem utilitatem et aedificationem proximorum. Unde, quam primum sufficiens adsit pax et libertas, regulares contenti sint oportet et expedit; et ii damnandi forent qui quiescere non possent donec ultimus solutus esset, secundum privilegia debitus, quadrans. Ante omnia quippe vitandi sunt conflictus et discordiae.

Eamdem ob causam valde caute incedendum est in selectu privilegiorum, quibus utendum videatur. Prae oculis habeo instructionem non ita antiquam, quam ad religiosos suos dedit superior quidam generalis, Romae residens : « Quum in hac materia, inquit, plura sint incerta et in contrarias partes dividantur auctores, NN. caute admodum incedant ut iis solis privilegiis ac facultatibus utantur, quibus ex Doctorum

(1) De sacram poenit. disp. 21, sect. 3, num. 55 et num. 67, pag. 510 et 512, Lugduni, 1644.

auctoritate constat per recentiora decreta aliasve Sedis apostolicae dispositiones non fuisse derogatum. Prae caeteris consulendus B. Alphonsus de Liguori. » Et sane, si utrinque adhaereatur huic auctori, et seponatur libellus R. D. Verhoeven, facile vigebit pax et concordia; neque umquam privilegia litibus aut jurgiis dabunt occasionem. Sunt enim ita temperata et disposita, ut probi quique Episcopi sponte facile concederent ea, ad quae ex privilegiis jus habent regulares; unde alibi audivimus Archiepiscopum Strigoniensem dicentem ea jam nullius fere usus esse, et fatentem Febronium abusibus ex eis nasci valentibus per Concilium Tridentinum occursum et provisum fuisse.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE EXHIBITIONE ET INTERPRETE PRIVILEGIORUM ET DE FALSA IN PATRES SOCIETATIS JESU ACCUSATIONE.

1. *Perperam docet R. D. Verhoeven regulares obligari ad exhibenda sua privilegia Ordinariis, priusquam id rogati fuerint.*
2. *Omittit regulares, numquam debere exhibere privilegia notoria.*
3. *Tradit Episcopos legitimos judices et interpretes esse privilegiorum, haec ex eorum judicio ambigua fieri, neque proin licere regularibus his uti.*
4. *Haec doctrina, maxime ruinoso fundamento innixa, ad absurda ducit.*
5. *Exponitur vera mens sacrae Congregationis Concilii et genuina probatorum scriptorum doctrina.*
6. *Quid pendente lite inter Episcopum et superiorem regularem de exemptione agendum sit.*
7. *Declarat R. D. Professor se nuspiam reperisse privilegium quo eximerentur regulares a lege quae nuspiam extra suum librum exsistit.*

3. *Asserit Patres Societatis Jesu Angelopolitanos contendisse sibi proprio jure licere absque approbatione Ordinarii confessiones audire aliaque pia munera adimplere.*
). *Ex authenticis documentis demonstratur contrarium.*

1. Nunc demum transimus ad ultimum paragraphi tertii numerum, in quo quaedam certa, quaedam incerta et quaedam falsa ab adversario traduntur. A certis incipiamus. Patet ex textu *juris communis* (*corpus juris* a R. D. Professore *jus commune* hic appellari (1), meretur adverti), Episcopum « ex inspectione privilegiorum plenius advertere posse » quae sit exemptorum immunitas, ut « secundum quod invenerit ita observet (2). » Similiter statuit Bonifacius VIII « ut hi qui se asserunt per privilegia seu indulgentias apostolicae Sedis exemptos, a locorum Ordinariis *requisiti,* hujusmodi privilegia vel indulgentias, quibus se dicunt fore munitos, ipsis Ordinariis in loco congruo et securo, aut aliquibus prudentibus viris omni suspicione carentibus ad hoc per dictos Ordinarios deputatis, intra terminum competentem pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum vel delegatorum suorum arbitrio moderandum, justo impedimento cessante, ostendere, ac *ad legendum integraliter exhibere,* necnon *de articulis de quibus controversia fuerit, transcriptum tradere* teneantur (3). » Huc etiam pertinet responsio ad dubium XIV ex parte Palafoxii in causa Angelopolitana : « An privilegia, quae sunt contra jurisdictionem Ordinarii, et quibus gaudent et gaudere praetendunt regulares praedicti debeant Episcopis notificari sive insinuari? » ad quae respondit sacra Congregatio : « Regulares teneri hujusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint (4). » Sed immerito hinc conficit adversarius (5) « regulares, quum privilegiis uti velint quae sunt contra Episcopi dioecesani jurisdictionem, obligatione teneri eadem ipsi exhibendi, *etiam antequam exhibitionem ipse petiverit.* » Nam, quum sacra Congregatio Concilii non sit ordinarie latrix legum sed interpres; quum liqueat ex omissione verborum *notificari sive insinuari,*

(1) Cfr. quae dicta sunt supra, pag. 339.
(2) De privileg. et excess. privileg. cap. 7. *Porro.* (Lib. 5, tit. 33).
(3) De privil. cap. 7, *Quum personae* in sexto. (Lib. 5, tit. 7).
(4) Magnum Bullarium Romanum, tom. 5, pag. 459, Luxemburgi, 1727.
(5) Pag. 39.

quae aliquid plus involvunt quam *exibere*, ejus mentum esse stare verbis Bonifacii VIII, nullum dubium est quin hic nulla nova lex sit introducta. Sensus itaque hujus responsi est : si regulares uti nolint suis privilegiis, quae sint contra jurisdictionem Ordinarii, non tenentur ea Episcopo exhibere, etiamsi ad id fuerint requisiti ; (ad quid enim valeret haec exhibitio?) si vero velint eis uti, oportet ut servent constitutionem Bonifacii VIII, qua tenentur ea ad legendum exhibere, si *a locorum Ordinariis requisiti* fuerint. Caeterum numquam aliter id fuit intellectum : ubi enim terrarum, quoties novus creatus fuit Episcopus vel Vicarius Capitularis, Abbates, Provinciales, Priores, Rectores, Abbatissae et Priorissae perrexerunt cum suis diplomatis ad curiam episcopalem? Atque id tamen faciendum esset secundum doctrinam R. D. Professoris.

In praesenti etiam argumento notandum venit dubium III Palafoxii et ad id sacrae Congregationis responsio, quae sic sonant (1) : « An regularibus, etiam Societatis Jesu, asserentibus se habere privilegia, quominus obediant Episcopo in exsecutione decretorum juris communis, Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? » Respondit sacra Congregatio « Ordinarios *non teneri* hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione. » Ita haec responsio refertur in Bullario Romano, et a Fagnano ; sed Zamboni, auctor recentissimus, in Collectione declarationum sacrae Congregationis Concilii, contrario prorsus modo sacrae Congregationis responsum refert, videlicet « Ordinarios *teneri* hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione. » Utut haec differentia maxima est, parum praesentis argumenti interest, quum regulares, si requisiti fuerint, teneantur secundum decretalem Bonifacii VIII privilegia exemptionis « ad legendum integraliter exhibere, necnon de articulis, de quibus controversia fuerit, transcriptum tradere. »

2. Verum (quod omisit adversarius) haec tunc tantum obtinent, quando privilegia notoria non sunt. Si enim sunt notoria (ut revera pleraque quibusque doctis sunt), nequaquam tenentur regulares ea exhibere; adeo ut, etiamsi

(1) Bullar. cit. pag. 458.

Episcopus eos citet et excommunicationem in eos ferat, haec omnino sit invalida, quemadmodum probat Fagnanus (1) ex Formula multis privilegiis inserta : « Decernimus quoque ex nunc quaslibet excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias et quoscumque processus et omnia quae contra Fratres quomodolibet promulgari seu fieri contigerit, nullius roboris vel momenti esse, et pro infectis prorsus haberi debere, *etiam eorum exemptione utpote notoria non allegata.* »

3. Hinc deflectit Rev. Dominus ad judicem seu interpretem privilegiorum; ubi, continuo ascendendo, valde perplexa docet. Fundamentum suae argumentationis est dubium IV Palafoxii et sacrae Congregationis Concilii responsio : « An in casu, sciscitabatur Angelopolitanus Episcopus (2), quo regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, exhibeant aliqua privilegia *et Ordinarii judicent ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere,* regulares praefati possint et debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere judices conservatores? » Ad quae respondit sacra Congregatio : « *Si verba privilegiorum sint obscura et ambigua,* non licere recurrere ad Metropolitanum vel viciniorem Episcopum, nec conservatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum. » Porro ex verbis DUBII : *Et ordinarii judicent ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere* deducit adversarius (3) « quando regulares vi privilegiorum aliquid facere volunt, quod jurisdictioni Episcopi dioecesani adversatur, hunc *legitime* posse *judicare,* num privilegium in proposito casu regularibus revera *suffragetur ;* quod *si judicet non suffragari,* ipsi ab ejusmodi privilegii usu abstinere debent, donec Sancta Sedes de ea re sententiam dixerit; » et inferius (4) « palam esse, regulares quoscumque, qui privilegio aliquo nitentes, quidquam agere vel omittere contendunt quod juri communi, Concilio Tridentino vel apostolicis constitutionibus contrarium est, debere Episcopo sive Ordinario dioeceseos, in qua degunt, exhibere integrum privilegium; et, ubi

(1) Comment. in 2 part. lib. 5 decret. de privileg. cap. *Tuarum,* num. 37, tom. 7, pag. 55.

(2) Bullar. Roman. tom. 5, pag. 458.

(3) Pag. 40.

(4) Pag. 41.

Episcopus verba privilegii *dubia esse judicaverit,* regulares privilegio illo uti non posse, priusquam dubium a Summo Pontifice sublatum sit; » adeoque (1), propter intentionem in jure communi fundatam, Episcopum posse jurisdictionem suam exercere in monasteria, nisi de ipsorum exemptione legitime constet; « jam vero perspicuum esse, de ea non legitime constare, ubi ipsum exemptionis sive privilegii instrumentum dubium est et incertum. » In quibus notabilis sane est assertionum scala, quam scriptor accuratior merito vitasset : *Si Episcopus judicet ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere;* seu : *Si Episcopus judicet privilegium in proposito casu regularibus non suffragari;* dein : *Si Episcopus verba privilegia dubia judicaverit;* et demum tertio : *Si exemptionis sive privilegii instrumentum dubium sit et incertum;* atque haec quis synonyma dixerit?

Jam vero, si recte mentem adversarii assequimur, haec tria contendit : primum, Episcopum legitimum judicem esse an privilegia alicui casui suffragentur et ad rem faciant; secundum, hinc sequi, eo ipso, quod judicat Episcopus privilegia non suffragari aut ad rem non facere, seu etiam dubia esse; ea reapse ambigua esse et obscura, et Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum; tertium, interea Episcopum posse exercere suam jurisdictionem et regulares non posse uti sua exemptione seu privilegiis.

Ut certo ordine haec examinemus, distinguimus cum Fagnano (2) quadriplicem interpretationem : prima est generalis, necessaria et scripta, et est *principis,* adeoque auctoritativa; secunda est generalis, necessaria et non scripta seu *consuetudinis,* estque etiam auctoritativa; tertia est specialis et necessaria inter partes pro quibus est auctoritativa, utpote *judicis;* quarta demum nec generalis est, nec necessaria, nec in scriptis redigenda, sed probabilis tantum, et dicitur *doctrinalis.* Adscribit itaque R. D. Professor Episcopis facultatem interpretandi privilegia regularium secundum tertium modum, seu *judicialiter :* ast, quantum reperire potui, ipse solus est hujus sententiae assecla.

4. Verum enimvero quam ruinosum est, cui Rev. Do-

(1) Pag. 40.
(2) Comment. in lib. 2 decretal. de judiciis. Cap. *Quum venissent,* num. 1, tom. 3, pag. 19.

minus innititur, fundamentum! Est enim nihil aliud quam vocabulum *judicent,* quod non reperitur in RESPONSIONE sacrae Congregationis, sed in DUBIO Palafoxii; atqui non verbis dubii sed solis verbis responsi vim quandam inesse, quis ignoret? Insuper istud vocabulum non adhiberi in ipso dubio, tamquam potestatem *judicialem* designans, sed *opinandi* et *sentiendi* Episcopi modum, quis non videat? Quid, si Palafoxii procuratores scripsissent : Et Ordinarii *sentiant* et *opinentur* ea non suffragari; nonne eodem respondisset sacra Congregatio modo, quo respondit : « Si verba privilegiorum sint obscura, etc.? » Atqui tunc concludendum fuisset R. D. Professori Episcopos posse legitime *sentire* et *opinari!*

Sed haec minora videbuntur, si consideretur absurdas fieri sacrae Congregationis responsiones. Etenim, si Episcopus provisorius et legitimus sit judex an privilegia suffragentur necne, hinc recte sequitur secundum R. D. Professoris assertum, eo ipso privilegia dubia et obscura censenda esse; jam vero ex laesione dubiorum et obscurorum privilegiorum numquam nasci possunt manifestae injuriae et violentiae; unde in systemate Rev. Domini Verhoeven numquam locus erit responsioni ad dubium VIII propositum a Patribus Societatis Jesu : « An conservatores Societatis Vicarios Generales (*seu etiam ipsos Episcopos* (1)) auctoritate apostolica per sententias, censuras, poenas ecclesiasticas compellere possint virtute Bullae Gregorii XIII, incipientis : *Aequum reputamus.* Datum ultima Februarii 1573? » Ad quae respondit sacra Congregatio posse a *manifestis injuriis et violentiis* eos compescere, etiam censuris et poenis ecclesiasticis (2). » Non quidem meminit hujus responsi Rev. Dominus, sed satis fuse indicavit quid sint judices conservatores, his verbis (3) : « Conservatores sunt judices particulares, ad quos spectat eos, quibus sunt concessi, a molestiis et injuriis illatis tueri, et in rerum et jurium suorum possessione conservare. Hujusmodi conservatores, ut notat Pignatellus (4), regularibus dantur ad tuendum eorum personas, bona et jura, sub quibus eorumdem continentur

(1) Fagnamus, Comment. in 2 lib. decretal. de foro compet. cap. *Si clericus,* num. 47, tom. 7, pag. 98.

(2) Bullar. Roman. tom. 5, pag. 460.

(3) Pag. 40.

(4) Consult. can. tom. 10, consult. 96, num. 8.

privilegia, exemptiones et immunitates; a quo munere *conservatores privilegiorum* solent nuncupari. » Ast iterum quaero, ad quid tandem judices isti conservatores? qui non regularibus tantum dantur, verum etiam aliis, adeoque olim in Belgio soli universitati Lovaniensi pro pristinis ejus meritis licebat habere privilegiorum conservatorem. Pro doctrina enim Rev. Domini fieri non potest ut umquam contra Episcopos aut eorum Vicarios auctoritatem suam exerant. Si enim accedant ad Ordinarium quemvis, jura regularium conculcantem : sufficit eum respondere privilegia casui non suffragari ; et continuo, licet clarissima sint, fiunt dubia et obscura, et proin evanescunt manifestae injuriae et violentiae. Ut id exemplo explicemus, supponamus a regularibus electos fuisse judices conservatores, quum Scipio de Ricciis, qui « a Christo acceperat omnia jura necessaria pro bono regimine suae dioecesis (1), » secundum adhortationem suae Synodi « prosequeretur naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem, idque contra omnes contrarias *consuetudines*, *exemptiones*, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, majori gloriae Dei et majori aedificationi fidelium (2). » Quid jam? Nonne regulares *manifestas injurias et violentias* passi fuissent, et proin licuisset judicibus conservatoribus, servato ordine caritatis et reverentiae, per sententias, censuras et poenas Ecclesiasticas Pistoriensem Episcopum compellere ut a coeptis desisteret? Nequaquam, secundum doctrinam R. D. Verhoeven ; declararat enim et judicarat Scipio ejusque Synodus *exemptiones non suffragari;* unde *dubia* facta erant regularium *jura ;* unde nullus *manifestis injuriis et violentiis* relictus erat locus. En ad quae absona ducit illa Rev. Domini sententia.

5. Neque tamen ita difficile erat mentem sacrae Congregationis Concilii assequi ; si enim, sepositis omni ira omnique favore, examinetur responsio, facile colligimus illum hujus esse sensum : Si accidat ut regulares exhibeant privilegia quae Episcopo non videantur casui suffragari, et si haec reapse sint ambigua et obscura secundum prudentum judicium, qui ipsimet partes in causa non sunt; non licet recurrere ad Metropolitanum vel viciniorem Episcopum, nec conservatores eligere,

(1) Bulla *Auctorem fidei*, prop. VI. (2) Ibid. prop. VII.

sed Summus Pontifex pro interpretatione est adeundus; sin autem privilegia non sint ambigua et obscura, sed clara et manifesta, licet judices conservatores eligere, quamvis Episcopus asserat ea casui non suffragari; adeoque pertinet ad conservatores cognitio an injuriae sint manifestae, ut tradit Fagnanus (1), aliique. Sed de his conservatoribus eorumque juribus satis: quibus enim regularibus, quum status religiosus et omnes fere Ecclesiae ordines adeo luxati sunt, in mentem his temporibus venire posset ad ejuscemodi suorum jurium recurrere defensionem?

Discussis autem Rev. Domini assertis, exponenda supercsset probatorum scriptorum doctrina. Verum brevitatis causa remittimus lectorem ad Ascanium Tamburinum (2) et Angelum Verricelli (3), ubi ex praecipuis juris interpretibus has propositiones stabilitas reperiet: I. Generatim ejus est interpretari cujus est concedere; II. Privilegium, quum dubitatur de intentione vel potestate concedentis, potest a solo principe interpretari; III. Quum dubitatur an privilegium sit validum vel subreptitium, potest inferior judex de eo cognoscere; IV. Quando dubitatur an jurisdictio contra regulares pertineat ad Episcopum vel ad eorum praelatos, Episcopus non potest esse judex et eorum privilegia interpretari; V. Quando dubium est circa verba privilegii, si sensus sit clarus, judex inferior potest cognoscere etiam in partium praejudicium; si sensus est dubius, adeundus est princeps si facile adiri potest; VI. Abbates et alii regulares praelati de jure possunt sua privilegia magistraliter et doctrinaliter interpretari; et demum VII. Generales praelati possunt privilegia Religionum etiam juridice interpretari, dummodo sint ambigua, secus autem quando sunt clara; cui interpretationi stare debent subditi in his, quae ad suarum conscientiarum serenitatem spectant.

6. Quod autem ad tertium adversarii nostri assertum attinet, videlicet, pendente lite, seu postquam Episcopus declaravit privilegia non suffragari, Ordinarium posse exercere

(1) Comment. in 2 lib. decret de foro competent. cap. *Si clericus*, num. 14, tom. 3. pag. 66.

(2) De jure abbat. disp. 16. quaest. 6, num. 1 et seqq. tom. 1, pag. 264 et seqq.

(3) De missionib. apostol. tit. 6 quaest. 98, dub. 33, num. 327 et seqq. pag, 275 et seq.

suam jurisdictionem et regulares exemptione seu privilegiis uti non posse; re quidem vera fatemur id sequi ex ejus principiis, sed haec satis superque convulsa arbitramur. Quocirca sufficiet andivisse Ascanium Tamburinum, eamdem examinantem quaestionem. Quaerit itaque laudatissimus ille scriptor : « Qua ratione Abbas et praelatus regularis ab Ordinariorum molestiis jura sua tueri possint; » ad quod quaesitum in haec respondet verba (1) : « Dupliciter potest Abbas exemptus ab Ordinariis se tueri. Primo per declaratoriam fori, praesentando in judicio exemptionis privilegium; Abbates enim et exempti omnes, ab Episcopo citati, si ad probandam suam exemptionem privilegium tantum allegant, tenentur illud in loco congruo et securo ipsis Ordinariis etc. (2) ostendere et ad legendum integrum exhibere, ac transsumptum articulorum, super quibus erit controversia, tradere; ubi notant Glossa et Doctores, quod concedi debet ut totum privilegium inspiciatur, ita ut plenarie legi possit; copia vero est tradenda de iis tantum articulis, de quibus est controversia. Idem notat Felinus. Ratio est, quia ex transcriptione totius privilegii possent lites et novae differentiae excogitari; hoc autem non ita facile continget ex copia articuli controversi tantum, ut ait eadem Glossa, Ancharius et alii. Si vero ad probandam hujusmodi libertatem, canonicam tantum praescriptionem allegaverint, tenentur de ea eisdem Ordinariis vel ab eis delegatis fidem facere. Si vero, qui se tueri velint, si privilegium exhibitum non sufficit, ad hujusmodi exemptionem plene probandum tenentur quadraginta annorum praescriptionem probare; et, *ea pendente lite* (scilicet coram Ordinario) *super validitate privilegii, seu an fuerit privilegium concessum, vel non, privari quis non debet usu possessionis vel quasipossessionis, etiamsi illa possessio sit contra jus* (3); si vero non exhibent privilegium, quod saltem causas praescriptionis tradat : licebit dioecesanis Episcopis in eosdem libere jurisdictione sua uti; donec de canonica praescriptione plenam fidem faciant, ita habetur ex textu in cap. *Quum personae.* » Atque haec omnia, ad verbum fere desumpta ex Decretali

(1) De jure abbatum, disput. 15, quaest. 6, num. 1 et seq.

(2) Vide supra, pag. 379.

(3) Cap. *Quum personae*, § *Quod si tales*. De privileg. in sexto. Panormitanus in cap. 1, num. 4, *ut lite pendente nihil innov.*

Bonifacii VIII (1), confirmat dein Tamburinus tribus S. Rotae decisionibus.

Pergit dein : « Secundo modo possunt se tueri Abbates; ut, si exhibito privilegio, Ordinarii de ejus validitate vel invaliditate (*id est de sensu*) agunt; et, illo rejecto, contra eos ferant, ea sententia nullius est momenti; nam quum de validitate (*id est de sensu*) privilegiorum regularium dubitatur, ad Summum Pontificem recurrendum est, qui sibi eorum interpretationem reservavit. » Quod probat ex multis privilegiis, subjiciens : « Quod autem in dubio interpretatio privilegiorum regularium non spectet ad praelatos saeculares, praeter privilegia, tenent etiam Doctores; quamvis enim regulariter ad judicem pertineat inspicere ac discernere, an ad ipsum jurisdictio competat, in materia tamen exemptionum Ordinarius de sua jurisdictione cognoscere non valet, ut expresse tenent Abbas, Felinus et caeteri Doctores, idem tenuit Innocentius (IV) in cap. *Venerabili,* et *ibi* Panormitanus *num.* 3 *et* 4 *de censibus.* Item *in cap. Ex parte, de verborum significatione.* Ratio horum potissima videtur, quia Episcopus cognoscens utrum privilegium sit validum, necne, vel quidquam tale, causam principalem attingens, esset judex in propria causa : quod non licet. Alia ratio videtur, quia ad solum Pontificem spectat eximere, ergo ad ipsum pertinebit de suo exemptionis privilegio judicare. Et quamvis *in d. cap. Quum personae* dicatur, quod exempti, de suo exemptionis privilegio requisiti, debent illud Ordinariis ostendere; ergo Ordinarii in causa propria possunt cognoscere. Resp. tamen, quod allegantes exemptionis privilegium, debent illud Episcopis ostendere, non ut illi de eo judicent, sed ut se informent, ut docet Panormitanus *in d. cap. Venerabili num.* 3 *in fine,* ex Innocentio (IV) *ibidem.* » Hactenus Tamburinus.

7. Ex his autem aliisque superius adstructis ruit ultima Rev. Domini conclusio, sic sonans : « Haec saltem *certissima* sunt, nisi regulares legitime probare possint, se post Innocentium X a Sede apostolica privilegium alterum obtinuisse, quo eximantur ab obligatione privilegia sua in hujusmodi casibus exhibendi et *ab usu privilegiorum, quae Episcopo dubia visa fuerint, abstinendi,* donec Sedes apostolica litem dirimat. Ve-

(1) De privileg. cap. 7. *Quum personae,* in sexto. (Lib. 5, tit. 7).

rumtamen de hujus generis privilegio nos quidem nullum vestigium hactenus reperimus. » Ubi clare patet Rev. Domino persuasum esse per responsiones sacrae Congregationis in causa Angelopolitana *novam* inductam fuisse *legem* : verum, ut ipse habet in praefatione ad Dissertationem canonicam de Missae sacrificio (1), secunda conditio necessaria ut declarationes et responsa sacrae Congregationis vim legis obtineant, haec est « ut sint tantum *declarativae* et *interpretativae* seu *comprehensivae*, non vero *dispensativae*, aut ultra verborum proprietatem, id est *extensivae;* nisi forte speciale de hoc mandatum a Summo Pontifice sacrae Congregationi datum sit. » Atqui certum est nullum ejuscemodi speciale mandatum ab Innocentio X fuisse datum : unde responsiones sacrae Congregationis intelligendae sunt secundum saepe citatam Decretalem Bonifacii VIII *Quum personae,* et communem Doctorum interpretationem. Et quidem, ut dictum est, nullus dubito quin adversarius primus sit, qui hanc novam legem contrariam regularium privilegiis et communi Doctorum sententiae, quibus vetatur ne Episcopi *interpretentur* aut *judicent* de regularium privilegiis, extuderit ex illa sacrae Congregationis responsione. Unde mirum non est « ab eo non repertum fuisse ullum vestigium de privilegio, » huic novae legi contrario; et licet ipse asseruerit « legem loqui in suo opusculo, » parum tamen curabunt regulares hoc novum onus, humeris suis temere impositum.

8. Postquam autem haec, ad doctrinam canonicam propius spectantia, examinavimus, discutienda superest narratio historica, quam responsionibus sacrae Congregationis Concilii praemisit R. D. Professor. Licet enim haec narratio nihil omnino ad propositum scopum faciat (agitur enim de exhibitione privilegiorum), nescio quam ob causam citatis sacrae Congregationis declarationibus in causa Angelopolitana haec praemiserit : « Exorta nimirum erant dissidia inter Episcopum Angelopolitanum et clericos regulares Societatis Jesu non tantum de munere praedicationis verbi Dei tam in propriis eorumdem clericorum regularium ecclesiis, petita solum Episcopi benedictione, quam in alienis ecclesiis, petita et obtenta ab eodem Episcopo dioecesano licentia; verum etiam de con-

(1) Diss. canon. de Missae sacrific. praefat. pag. IV.

fessionibus laicorum audiendis, praevio examine vel approbatione Episcopi. Regulares illi haec munera peragere sibi proprio jure licere contendebant, vi privilegiorum scilicet Societati apostolica auctoritate concessorum. » Quid haec ad argumentum de exhibendis privilegiis pertinent? Quid, quum alibi producit sacrae Congregationis responsiones, ejuscemodi inutiles narrationes non praemittit?

Quoniam itaque nos coegit Rev. Dominus hanc tragoediam in scenam revocare, ea tamen solummodo attingere lubet quae illi tangenda visa sunt. Fatemur quidem narrationem istam desumptam esse ex Brevi Innocentii X, dato die 14 Maji anni 1648 (1); verum ex narrationibus, insertis constitutionibus Pontificum, nullum praejudicium adversus veritatem historicam peti posse, res apud eruditos exploratissima est. Imprimis itaque sciendum est id Breve fuisse concessum ad supplicationem procuratorum Palafoxii (2), postquam quaestiones *juris* ex utraque parte a sacra Congregatione Concilii discussae fuissent, nequaquam vero quaestiones *facti* (3) quae ad illius judicium non pertinent : quemadmodum testatur Fagnanus (4), ipse sacrae Congregationis Secretarius. Unde tota haec narratio, adversus quam altera pars audita non fuit, penes fidem procuratorum Palafoxii est. Ast multa ex authenticis documentis ei opponi possunt.

9. Imprimis certum est ex epistola ipsius Palafoxii, citata a Fagnano (5), qui coetibus sacrae Congregationis interfuit (6), dissidia orta esse ex edicto quo Ordinarius Angelopolitanus praecepit saecularibus sub poena excommunicationis latae sententiae, ut in alienationibus, quas facerent in regulares exemptos, reservarent decimas ecclesiae cathedrali. Quod edictum omni ex parte iniquum fuisse clare ostendit Fagnanus (7).

Quum autem Palafoxius regulares jure merito recalcitrantes experiretur, iram vertit in duo Societatis collegia S. Spiritus

(1) Bullarium Romanum, tom. 5, pag. 457.

(2) Ibidem. pag. 460.

(3) Sensa Romanor. pontif. pag. 155.

(4) Comment. in part. 1, lib. 1, decretal. de Constit. cap. *Quoniam*, num. 65, tom. 1, pag. 186.

(5) Comment. in part. 2 lib. 1, decretal. de offic. et potest. judicis deleg. cap. *Sane.* 2, num. 19, tom. 2, pag. 391 et seq.

(6) Ibid. num. 40, pag. 393.

(7) Ibid. num. 20 et seq. pag. 392.

et S. Ildephonsi, sita Angelopoli, et die 6 Martii anni 1647 omnes religiosos Societatis Jesu sacris functionibus interdixit, nisi legitimam, qua illas hactenus obierant, facultatem intra certum tempus exhiberent. Non pauci illam oretenus, aut privatis literis datam, ab ipsomet Episcopo ejusque praedecessore acceperant. At Episcopus, his non contentus, *litteras in episcopali cancellaria expeditas* postulabat, quemadmodum narratur ab auctore libri : *Sensa Romanorum Pontificum, Clementis XIV praedecessorum, circa ejusdem Breve* 1773 (1), qui processus Angelopolitani Acta prae oculis habebat. Unde, quum haec causa Romam delata est, interrogatum non fuit a procuratore generali Societatis an necessaria esset Episcopi approbatio, sed contra concessum est eam omnino necessariam esse, et proin petitum (2) : « An licentia audiendi confessiones et praedicandi ab Episcopo *per litteras patentes cancellariae* concedi possit? » Respondit sacra Congregatio « posse concedi etiam *per litteras missivas vel oretenus,* si ita Episcopo videbitur. » Petitum dein (3) : « An talis licentia *oretenus sine scriptis* concedi possit? Respondit, ut ad proximum. »

Porro die 7 Martii duo Patres Societatis adierunt Episcopum, demisse rogantes, ut, interdicto abrogato, consueta ministeria obire aut saltem propria in ecclesia pro concione dicere sibi liceret, asserentes, ut ex parte Episcopi refertur, « *se habere facultatem,* sed nolle exhibere, ne suis privilegiis praejudicaretur (4).» Unde denuo liquet Patres Angelopolitanos nequaquam contendisse se *absque facultate Episcopi* absolvere posse poenitentes et praedicare verbum Dei, sed sibi non exhibendam esse hanc facultatem; fretos, ni fallor, axiomate neminem ad inutile teneri, id vero inutile esse quum semel absolute approbati sine nova causa suspendi nequeant : certe secundum procuratoris Societatis dubium ita sonat (5) : « An Episcopus regularem pro confessionibus *semel approbatum* sine nova causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis? » ad quod responsum est : « Regulares, alias libere ab Episcopo praevio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum saecularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse,

(1) Append. 5, pag. 151, Amstelodami, 1776.
(2) Bullar. Rom. tom. 5, pag. 459.
(3) Ibid. loc. cit.
(4) Sensa Romanor. pontif., etc. pag. 151 et seq.
(5) Bullar. Roman. tom. 5, pag. 459.

sine nova causa eaque ad confessiones ipsas pertinente. » Liquet itaque denuo a parte Societatis Jesu suppositam fuisse necessitatem ut regulares *semel approbarentur;* ast male egerunt Patres Angelopolitani nolentes suas *facultates* seu *approbationem* Ordinario ostendere. Quocirca dicta die 7 Martii negavit Palofoxius utrumque Patrum postulatum, « nisi facultatem olim concessam exhiberent (1). »

Neque hic stetit. Die enim sequenti a notario Episcopi alterum Patribus intimatur mandatum sub poena excommunicationis latae sententiae. Hoc fulmine territi, Patres petierunt tempus sibi prorogari, donec Provincialem, qui Mexici versabatur, de re tota commonefacerent, praefixumque est spatium 20 dierum. Nihilominus eadem die a notario Episcopi tertium illis insinuatur mandatum, iterum sub poena excommunicationis latae sententiae, cum comminatione illam promulgandi, publicisque locis affigendi, siqui sine exhibita Episcopo licentia verbum Dei praedicare et fidelium confessiones excipere ausi fuerint; statimque eadem hac die publicatum est edictum generale, quo omnibus Christi fidelibus prohibitum fuit, ne religiosis Societatis Jesu noxas suas aperirent, aut de Christiano dogmate e cathedra disserentes auscultarent. Tot et tam violenti actus, subdit auctor Sensorum Romanorum Pontificum (2), uno eodemque die repetiti, praecipitis saltem et concitati animi indicium praebent.

Illico paruerunt Patres et abstinuerunt a sacris ministeriis, quibus eos interdixerat Episcopus (3) : novum argumentum eos non contendisse se absque Episcopi consensu seu approbatione illis occupari posse. Interea monuere Provincialem de rebus gestis, nuntiantes duo integra collegia ab Episcopo suspensa fuisse ab audiendis confessionibus et praedicando verbo Dei : licet anno 1615 decrevisset sacra Concilii Congregatio Episcopos non posse, se inconsulta, integrum conventum ab audiendis confessionibus suspendere, et nondum declarasset « ex intentionis defectu et convenientia morali illud decretum non extendi ad regiones illas, tam longe ab Urbe dissitas (4). » Videbatur eis praeterea, non ad Episcopum, sed ad superiorem

(1) Sensa Roman. pontific. pag. 152.
(2) Ibid. pag. 152.
(3) Ibid. pag. 153.
(4) Bullar. Roman. tom. 5, pag. 459.

regularem pertinere correctio religiosorum, in administrandis sacramentis delinquentium; quoniam constitutio Gregorii XV, *Inscrutabili Dei providentia,* hanc facultatem Episcopis tribuens, suspensa dicebatur in Hispania per Breve Urbani VIII, transmissum ad Cardinalem Sachettum, tunc temporis Nuntium apostolicum; sed ex altera parte tradebatur constitutionem Gregorii in Indiis receptam esse, etiam ex mandato regio (1).

Utut est, Provincialis, his cognitis, arbitratus est plures injurias Societati illatas fuisse per edicta illa; et die 20 Martii elegit judices conservatores, priorem conventus Mexicani S. Dominici et definitorem pro capitulo generali, utrumque ex Ordine Fratrum Praedicatorum; qui publico decreto usum et exercitium sacri ministerii, quo ab Episcopo privati fuerant, Patribus restituendum censuerunt, praecipientes proin auctoritate apostolica Episcopo et Vicario Generali ut decreta sua revocarent, sub poena bis mille aureorum quoad Episcopum et excommunicationis quoad Vicarium Generalem. Contra Vicarius Generalis denuntiavit conservatores incidisse in excommunicationem Bullae Coenae Domini; et ipsi vicissim Episcopum ejusque Vicarium excommunicatos declararunt (2).

Brevi post gravissimae simultates exarserunt inter Palafoxium ejusque capitulum; quocirca, constituto Vicario qui illius nomine dioecesim administraret, Angelopoli discessit die 16 Junii. Verum tribus fere hebdomadibus post Vicarius ille muneri suo renuntiavit; et capitulum, ratas habens censuras a conservatoribus latas, declaravit Sedem Episcopalem vacare ejusque administrationem suscepit. Tunc Patres, qui hucusque a Sacris ministeriis abstinuerant, petierunt non secus ac presbyteri saeculares et regulares aliorum Ordinum facultatem sacras denuo functiones exercendi, exhibitis antea facultatibus, quas *alii ab ipsomet Episcopo Angelopolitano, alii ab ejusdem praedecessore; alii denique,* qui forte recens aliunde advenerant, *ab aliis adepti erant Episcopis;* ac deinceps consueta obierunt ministeria, non contradicente Episcopo, postquam

(1) Fagnanus, Comment. in 2 part. lib. 1, decret. de offic. et potest. judic. deleg. cap. *Sane* 2, num. 27, tom. 2, pag. 392.

(2) Fagnanus, ibid. num. 18, 32 et seqq. et Sensa Roman. pontif. pag. 152 et seq.

l Sedem suam reversus fuerat (1). Ex quibus denuo manistum est religiosos Societatis non « contendisse haec munera eragere sibi proprio jure licere, vi privilegiorum scilicet ocietati apostolica auctoritate concessorum. »

Interea temporis controversia haec Romam ad Innocenum X delata est, qui eam decidendam commisit sacrae Congregationi Concilii; cui procuratores Palafoxii ita proposuerunt sua dubia, quasi Patres sustinuissent sibi necessariam on esse Episcopi approbationem; procurator vero generalis ocietatis, quasi Patres agnovissent eam esse necessariam, sed emel datam sufficere. Unde factum est ut ad omnia fere triusque partis dubia affirmative responderit sacra Congreatio : quae sane res manifesto ostendit neutri parti satis onstitisse quid altera vellet; et, nisi ab initio tanto aestu negotium fuisset gestum, futurum fuisse ut facile iuiretur inter artes concordia.

Postquam autem sacra Congregatio sua dedisset responsa, onstitutionum apostolicarum *interpretativa,* non vero *extenva* (quod annotare velit Rev. Dominus), petiere procuratores alafoxii ut Innocentius X speciali Brevi ea confirmaret; uod impetrarunt. Ast per hoc Breve non mutata fuit natura esponsorum, neque haec proin ab *interpretativis* fieri potuerunt *extensiva,* ut tamen voluit adversarius (2).

Responsis suis adjunxerat sacra Congregatio paternam ad alafoxium adhortationem his verbis (3) : « Caeterum sacra ongregatio serio in Domino hortatur ac monet Episcopum, t Christianae mansuetudinis memor, erga Societatem Jesu, uae laudabili suo instituto in Ecclesia Dei tam fructuose laoravit ac sine intermissione laborat, paterno se gerat affectu, amque in regimine Ecclesiae suae perutilem adjutricem gnoscens benigne foveat ac pristinae suae benevolentiae reituat; quemadmodum Congregatio ipsum facturum confidit, bique certo pollicetur, quum ejus zelum, pietatem ac pastoalem sollicitudinem compertam habeat. »

Paruit huic adhortationi Palafoxius : nam, quam primum reve Innocentii X in Americam pervenit, communicavit lud cum religiosis Societatis Jesu; et, revocans omnes facul-

(1) Sensa Roman. pontif. pag. 153.
(2) Vide supra, pag. 388.
(3) Breve *Quum sicut accepimus*, Bullarium Roman. tom. 5. pag. 458.

tates, quas capitulum se absente dederat, promptum se exh buit ad illas omnibus reddendas, quibus a capitulo concessa fuerant. Quare praedicti religiosi, exhibitis Episcopo qua obtinuerant facultatibus, ab eodem denuo approbati sun Quod ut omnibus constaret, die 8 Decembris promulgatu est decretum, cujus ille est tenor : « Nos D. Joannes de Pala fox et Mendoza, Episcopus Civitatis Angelorum, etc. Quu dedissemus individualem notitiam praefatae resolutionis Brevis sanctissimi D. N. Innocentii X praedictis religiosis Sc cietatis Jesu ; resultavit, quod praefati regulares *exhibuerint praesentaverint licentias, quas habebant, aliorum Episcoporu extra nostram dioecesim ad praedicandum et confessiones au diendum et aliquas nostras nostrorumque antecessorum*, di 23 mensis Octobris hujus praesentis anni, per manus Patru Didaci de Monroy, Joannis de Figueroa et Petri Valentia Rectorum collegiorum hujus civitatis, et a nobis petiverun quod concederemus sibi licentias, quas non habebant et quo confirmaremus licentias datas et alias a nobis concessas. Nos que praefatis religiosis concessimus licentias, qualiter postu larunt : ex quo cessarunt effectus primi edicti publicati di 8 mensis Martii de anno 1647, mediante quo prohibuimu omnibus fidelibus, quod peccata sua aperirent praedictis rel giosis, etc. Notumque facimus, praefatos religiosos nostra licentias habere, ob idque posse praedicare verbum Dei confessiones audire, liberumque esse quibuscumque fidelibu illis confiteri, eorumque conciones audire, etc. Datum in civi tate Angelorum die 8 mensis Decembris anni 1648. Joannes Episcopus Civitatis Angelorum. De mandato Domini mei Epi scopi, Lucas de Perea, notarius. »

Ex hoc decreto, quod inter Acta processus, postea resusci tati, reperitur et sacrae Congregationi exhibitum fuit, mani festum fit, inquit auctor Sensorum Romanorum Pontifi cum (1), clericos Societatis Jesu nequaquam sibi arrogass potestatem sine approbatione et consensu Ordinarii sacra mi nisteria obeundi; siquidem habebant facultates ab ipsom Episcopo Angelopolitano ejusque praedecessore aut ab ali Episcopis, in quorum dioecesibus antea exstiterant, concessa easque ipse Episcopus sibi exhibitas fuisse testatur, quas etia

(1) Pag. 158.

pra in absentia Episcopi capitulo exhibitas fuisse diximus. uod vero hic major numerus appareat eorum, qui licentias icinis Episcopis habebant, non alia est ratio quam quod plus, qui acriores fuerant in mediis his controversiis (1), amorndi visi fuerant, et ab aliis ex provincia Mexicana Patribus pplendi.

Rebus in hunc modum compositis, utraque pars acquiere et pax restituta videbatur; quae tamen diuturna non it. Nam, paucis post annis resuscitata denuo controversia, rocurator provinciae Mexicanae, facta nova instantia, speali a Pontifici designatae Congregationi delendum proposuit itium Brevis, quo asserebatur Patres contendisse sibi proprio re licere obire Sacrum ministerium, et multas alias quaeiones, quae ad res *facti* pertinebant, protestatus se omnesque cios Angelopolitanos amplecti decisiones *juris* Congregationis ncilii tamquam justissimas, eodem contentas Brevi (2).

Licet autem ex adductis monumentis satis pateat reapse mquam contendisse Patres Angelopolitanos sibi proprio re licere confessiones audire et praedicare verbum Dei, quoam tamen jam pridem certum erat sacrae Congregationi has es sopire (3), ad omnes utrinque propositas quaestiones ita spondit specialis illa Congregatio ut neutra pars causa caret, neutra vinceret. Die itaque 4 Februarii 1652 respondit Breve esse justificatum; ac proinde illius exsecutionem nultenus esse impediendam aut retardandam. Videatur tamen ı ex aliis causis quam in Brevi expressis fuerit locus electioni nservatorum. » In quibus, ut ex contextu liquet, tota reonsio refertur ad ipsas decisiones *juris*, non autem ad res *cti;* quas dirimere nolebat Congregatio. In alio autem coetu sputatum fuit de conservatoribus; sed dirimere litem denuo fugit Congregatio hoc modo : « Congregatio particularis nnullorum S. R. E. Cardinalium et Romanae curiae praelarum, a S. D. N. super hoc specialiter deputata, repetito manto, *ut pareatur brevi in eo, in quo non fuerit paritum,* cenit, non fuisse locum electioni *talium* conservatorum, et in

(1) Breve *Quum sicut accepimus*, llar. Roman. tom. 5, num. 12, g. 459.

(2) Sensa Roman. pontific. pag. 9.

(3) Cfr. Fagnanus, Comment. in 2 part. lib. 1 decret. de off. et potest. jud. deleg. cap. *Sane* 2, num. 39, tom. 2, pag. 393.

hac causa perpetuum silentium esse imponendum, prout prae
senti decreto imposuit Datum Romae 17 Decembris 1652 (1).
Ubi animadvertendum est studio praetermitti *causas* election
conservatorum, quae ipsum rei caput erat; et responderi « no
fuisse locum electioni *talium* conservatorum, » quoniam cor
trovertebatur inter auctores an prior conventus Praedicatorum
haberet dignitatem in ecclesia collegiata, et certe definitor a
capitulum generale hac dignitate non fulget (2); unde, quum
hujusmodi prior et definitor conservatores electi fuissen
nil deciditur *de causis* dicendo : « Non fuisse locum electio
talium conservatorum. » Quod autem praecipitur ut « parea
tur Brevi in eo, in quo non fuerit paritum; » simile effu
gium est, quum contenderent Patres et praecitato Palafox
diplomate probarent, se ei paruisse et numquam ejus exsecu
tionem vel minimum retardasse (3). Rescripsit insuper Cor
gregatio ad Palafoxium, qui plurimos Patres censuris innod
verat, nequaquam probatum esse eas merito et valide fuis
latas (4), et ex altera parte commisit R. P. D. Paulutio « u
videret, an et qui ex illis Patribus inciderint in excommun
cationem (5), » et curavit « ut, *siquis senserit sese censuris in
nodatum,* absolveretur a suo superiore, oretenus tamen, pr
vatim ac remotis arbitris (6). » Ne vero de ipsis decretis nova
orirentur controversiae, utraque parte ea in suum favoru
interpretante, vetuit Cardinalis Spada ne sua epistola publi
juris fieret; caeterum commendans Palafoxio Christianam c
ritatem et renovans paternam adhortationem (7), qua tribu
annis ante eum dignata fuerat sacra Congregatio Concil
Unde factum est, ut litigantes reduces in Americam id tantu
nuntiandum haberent « utrique parti perpetuum impositu
esse silentium. »

Ex hactenus fusius enarratis colligi posse fateor Patres Ar
gelopolitanos nonnihil acrius processisse; verum haec acrim
nia aliqua venia apud aequos judices digna videbitur, si an

(1) Sensa Roman. pontif. pag. 159 et seq.

(2) Fagnanus, num. 32 et seqq. pag. 393.

(3) Sensa Roman. pontif. pag. 160 et seq.

(4) Cretineau-Joly, Hist. de la Compagnie de Jesus, tom. 4, liv. pag. 95, Bruxelles, 1845.

(5) Sensa Roman. pontific. pa 161.

(6) Ibid. pag. 163.

(7) Ibid. loc. cit.

madvertatur animos maxime ex eo concitatos fuisse, quod Palafoxius, postquam litem de decimis movisset, indicem confecerat omnium bonorum Patrum Societatis, eumque notum fecerat, ea mente ut omnibus justo ditiores haberentur : (res sane invidia plena ;) dum tamen probe sciret eos simul multo aere alieno gravatos esse, adeoque eos de solvendis debitis ad tribunal suum citasset : quae constant ex dubiis, quae sacrae Congregationi Concilii proposuit ipse Palafoxius (1) ad amolienda sententiam a judicibus conservatoribus hac etiam de causa in se latam. Adde a Patrum partibus stetisse capitulum cathedrale, totum fere clerum saecularem et regularem necnon ipsum populum Angelopolitanum.

Quoniam autem meum non est Angelopolitano Episcopo item intentare, nihil est quod de ejus gestis ulterius dicam. Id unum animadvertendum, eum in mediis his jurgiis aliquando parum secum constitisse videri : adeoque scripsit Romam se quosque decessores Patribus Societatis numquam dedisse licentiam exercendi sacrum ministerium (2) ; et tamen viginti annos pacifice absque ulla querela cum eis vixerat, et retulimus diploma quo testatur ad se delatas fuisse licentias quas dederat ipsemet et ejus decessores. Scripsit quoque nonnulla alia de Societate, quae ejus impediverunt beatificationem et verisimiliter semper impedient, quum omni ex parte cum manifestissima veritate pugnent (3). Fidem tamen addidit Fananus (4) parti harum epistolarum, videturque credidisse reapse Patres Angelopolitanos contendisse se absque Episcopi licentia praedicare et confessiones audire posse. Sed, ni fallor, quae retulimus ea animi sinceritate, quam agniturum confidimus ipsum R. D. Verhoeven, hujuscemodi sunt quae nequaquam integram relinquant hanc incusationem.

Caeterum haec valde parum ad Societatis Jesu laudem aut decorum faciunt. Quid enim, si unum aut duos annos similem sententiam tenuissent unius oppidi Patres, dum constat scri-

(1) Bullarium Romanum, tom. 5, pag. 458.

(2) Sensa Roman. pontific. pag. 35.

(3) Cfr. Cretinean-Joly, Hist. de la compagnie de Jesus, tom. 3, chap. 1, pag. 363 et seq. et tom. 4, chap. 1, pag. 96 et seqq. Sensa Romanor. Pontif. pag. 164 et seq.

(4) Comment. in 2 part. lib. 1 decret. de offic. et potest. judicis delegati, cap. *Sane* 2, num. 29 et seq. tom. 2, pag. 392 et seq.

ptores Societatis nulli Ordini cessisse in vera de hoc articulo adstruenda doctrina? Quod fere animadvertit Fagnanus (1), confutans opinionem, affrictam Angelopolitanis Patribus, ex ipsis theologis Societatis.

(1) Ibid. num. 23, pag 392.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE MENTE ECCLESIAE, SECUNDUM QUAM REGULARES SUPPLERE TANTUM POSSENT DEFECTUM CLERI SAECULARIS.

1. *Finis privilegiorum regularium pro sacro ministerio.*
2. *Ut principium statuit R. D. Verhoeven* mentem Ecclesiae esse, ut regulares in negotiis et officiis ecclesiasticis, quaeque animarum curam saecularium respiciunt, in subsidium TANTUM et defectum cleri saecularis generatim ab Episcopis assumantur, et QUATENUS clerus saecularis ad ea officia adimplenda minus aptus sit.
3. *In Ecclesiae ministris designandis ante omnia considerandum est quam apte et quam digne sacra munera obitura sint.*
4. *Saeculo* IV *optat Siricius Papa bonos monachos sacro ministerio adhiberi.*
5. *S. Gregorius M. saeculo* VI *censet sacramenta et Dei verbum* dignius *ministrari a monachis, idque vi eorum professionis monasticae.*
6. *Bonifacius IV idem censet.*
7. *Idem adstruit saeculo* XI *Urbanus II.*
8. *Consona docet Pius VI.*
9. *Innumeri scriptores ecclesiastici docuerunt Apostolos religiosos fuisse.*
10. *S. Petrus Damiani docet propter vitam religiosam, quam amplexi sunt, regulares rectius sacra munia obire.*

11. *Idem tradunt S. Ivo Carnotensis, B. Bernardus Tironiensis aliique.*
12. *Eadem sensa propugnat Venerabilis Rupertus.*
13. *Gerohus longius procedit et statuit omnibus clericis amplectendam esse vitam regularem.*
14. *Lepida historia confutat Idungus Emmeramensis regularium hostes.*
15. *SS. Thomas et Bonaventura docent religiosos* magis idoneos *esse sacro ministerio obeundo, eosque id* multo magis *posse.*
16. *Idem docent recentiores. Citatur Viva.*
17. *Qua mente haec retulerimus.*
18. *Confutatur principium R. D. Verhoeven ex ministerio concredito regularibus. Possunt fieri Romani Pontifices, Cardinales et Episcopi aeque ac saeculares.*
19. *Confutatur item ex Concilio Tridentino, quod aeque regulares ac saeculares ad munus examinatorum synodalium eligendos decernit.*
20. *Confutatur item ex historia.*
21. *Item ex his, quae tradit R. D. Verhoeven de Missae sacrificio et de S. Eucharistia.*
22. *Item ex his, quae docet de poenitentiae sacramento, licet omittat regulares generaliter repertos ideonos absque ulla limitatione approbandos esse, et Episcopos non posse regulari alicui negare approbationem propter superfluitatem confessariorum.*
23. *Statuitur contra R. D. Professorem non bonum dioeceseos sed leges Ecclesiae regulam esse secundum quam Episcopis agendum est.*
24. *Confutatur demum R. D. Verhoeven principium ex his, quae ipsemet docet de annuntiando Dei verbo.*

1. Privilegia ordinata esse ad pietatem, fidem sanctamque religionem promovendam res certissima est. Quocirca S. Franciscus Assisias, qui praeceperat suis Fratribus omnibus « quod, ubicumque essent, non auderent petere aliquam litteram in curia Romana (1), » qua vel dispensarentur a Regula, vel ad statum suum dedecentes honores promoverentur, vel jurgia

(1) Febronius, de statu ecclesiae, tom. 1, pag. 609.

aliis creare possent, addebat tamen (1) : « Hoc itaque sit nobis singulare privilegium, nullum privilegium habere per quod elevemur in superbiam, vel in quo confisi velimus ulli praejudicium aut lites excitare : *Sed ea tantam postulemus a Sancta Sede apostolica, per quae ejus fidem dilatare, Deo obsequium praestare, et animas lucrari valeamus cum praelatorum bona venia et sancta pace populorum.* » Similiter S. Ignatius de Loyola, coronidem imponens suis Constitutionibus, haec scribebat (2) : « *Juverit etiam moderatus et prudens usus gratiarum per Sedem apostolicam concessarum : solius auxilii animarum fine sincerissime nobis proposito. Sic enim divina bonitas opus hoc, quod coepit, promovebit; ac bonus odor, qui veritati bonorum operum innitatur, hominum devotionem augebit : ut et a Societate ipsi juvari, et eamdem ad propositum sibi finem obsequii et gloriae divinae Majestatis juvare curent.* » Verum hae gratiae apostolicae, hic plurium Religionum finis, favoribus Sanctae Sedis munitus, auxilium istud animarum fideique dilatatio facile in nihilum recideret, si verum esset assertum Rev. Domini, volentis tunc tantum sacro ministerio occupari posse regulares, quum clerus saecularis deficit.

Quamobrem, licet adversarius hanc doctrinam tantum proposuerit, quando de administrando poenitentiae sacramento egit ; quum tamen cum regularium privilegiis (quae jam pridem ad terminos a S. Francisco indicatos redacta fuerunt) proxime connectatur, et certe eorum omnium, quae dein tradit R. D. Professor, lapis angularis sit : locus hic esse videtur opinioni illi examinandae.

2. Porro famosum illud R. D. Verhoeven monitum seu fundamentale de sacro ministerio regularium principium sic sonat (3) : « Priusquam tractemus quaestionem de jurisdictione seu approbatione Ordinarii, quae regularibus necessaria est, ut saecularium confessiones excipere possint, *monendum esse duximus Ecclesiae mentem esse, ut regulares in negotiis et officiis ecclesiasticis, quaeque animarum curam saecularium respiciunt, in subsidium tantum et defectum cleri saecularis*

(1) Waddingus, Annal. Ord. FF. Minor. ad annum 1219, ap. Zaccariam, Antifebronius vindicat. dissert. 10, cap. 4, num. 6, ap. Migne, tom. 27, col. 1177.

(2) Constit. Societ. Jesu, part. 10, num. 12.

(3) Pag. 122.

generatim ab Episcopis assumantur, et quatenus clerus saecularis sive propter exiguum numerum sive aliam ob causam ad ea officia adimplenda minus aptus sit. » Quod principium triplici argumento probare conatur, inquiens : « Hanc vere esse mentem Ecclesiae et ex universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia conficitur, et ex iis quae tum a sapientissimis institutoribus aliisque sanctis regularium Ordinum viris tum a Summis Pontificibus saepius in hanc rem prolata fuerunt. ...Quae cum ita sint, palam est, Episcopum non debere (*atque adeo non posse, nisi velit agere contra Ecclesiae mentem, universam disciplinae ecclesiasticae oeconomiam, dicta Sanctorum et Pontificum definitiones*) regulares sacerdotes ad saecularium confessiones audiendas assumere, ubi clerus saecularis his sacris muniis obeundis aptus et sufficiens est, quum id nullo quidem jure praecipiatur (*adeoque contra Ecclesiae mentem foret*). Sed et illud hic observare juvat, Episcopum esse judicem, an clerus saecularis suae dioeceseos idoneus sit et sufficiens ad poenitentiae sacramentum administrandum. Unde neque clerus regularis jure conqueri poterit, si ad confessiones saecularium excipiendas ab Ordinario non deputetur. » Idem porro dixeris de administratione sacrae Eucharistiae, praedicatione aliisque muniis sacris. Haec doctrina R. D. Verhoeven; quam ipse conformem esse tradit legibus et menti Ecclesiae, nos vero ab eis omnino dissonam contendimus.

3. Etenim principium certum est omnique tempore in Ecclesia celebratum sacra munera iis esse credenda, qui dignius illis functuri sint. Certe S. Paulus, scribens ad Timotheum (1) : « Si quis, inquit, episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum ; non litigiosum, non cupidum, sed suae domui bene praepositum ; filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit? Non neophytum : ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.

(1) 1 Tim., cap. 3, vers. 1 et seqq.

Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes : habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum : et sic ministrent, nullum crimen habentes. » Similia ubique docet Apostolus sive de Episcopis et presbyteris, sive de aliis Ecclesiae ministris agat.

Haec vero praecepta tam accurate servabant Apostoli, ut, sicubi fidem praedicarent, neque idoneos reperirent quos Episcopum, presbyteros et diaconos constituerent, mallent vel Episcopum et diaconum tantum, vel etiam solum presbyterum ordinare, quam minus dignis sacra concredere munia (1). Neque alia umquam fuit Ecclesiae mens, aut esse potuit, ut liquet tum ex ipsorum officiorum dignitate tum ex innumeris Conciliorum statutis, quae in argumento evidentissimo supervacanee allegaremus. Et quidem non tantum digni ad munera ecclesiastica promovendi sunt, sed digniores : ut expresse habent ecclesiasticae leges de electione Summi Pontificis et Episcoporum, deque parochorum institutione. Atque ex his satis patet quae sit mens Ecclesiae.

4. Porro superest ut inspiciamus quid in specie Ecclesia sentiat de aptitudine regularium ad sacra ministeria obeunda. Siricius Papa, qui ab anno 385 usque ad annum 398 apostolicam Sedem occupavit, Himerio Tarraconensi, id sciscitanti in haec respondit verba : « Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, et vitae ac fidei institutio commendat clericorum officiis aggregari et optamus et volumus; ita ut qui intra tricesimum aetatis annum sunt, in minoribus per gradus singulos crescente tempore promoveantur ordinibus et sic ad diaconatus vel presbyterii insignia maturae aetatis consecratione perveniant, nec statim saltu ad episcopatus culmen adscendant, nisi in his eadem, quae singulis dignitatibus superius praefiximus, tempora fuerint custodita (2). »

5. Egilwardus, biographus S. Burchardi Episcopi Wirtziburgensis, postquam retulisset totam fere Germaniam a monachis ad fidem conversam fuisse, sic pergit (3) : « Cum haec

(1) S. Epiphan. Haeres. LXXV, tom. 1, pag. 908; edit. Petavii.

(2) Caus. 16, quaest. 1, can. 29. Cfr. Berardi, Canon. Gratiani genuini, etc. part. 2, tom. 1, pag. 229 et Bulla Pii VI *Auctorem fidei* prop. 80.

(3) Mabillonius, Act. SS. Ord. S. Benedicti saec. 3, part. 1, pag. 716.

ita sint, imo quia ita esse nemo ambigat, miror, qua fronte quidam monachis sacerdotibus quaelibet ecclesiastica officia interdicere praesumant, si tamen eo ordine, quo praediximus, per officia regenerationis, ab iisdem praedicatoribus initiata, semetipsos Ecclesiae filios esse non abnegant. Hi tamen, ne nos partis nostrae quasi temerarios defensores acrius impugnent, Magni Gregorii decretum contra idem schisma promulgatum, necnon Bonifacii, qui quartus ab illo Sedem apostolicam gubernavit, ad idipsum consentientem sententiam relegant. Ait enim B. Gregorius inter cetera : « Videtur nobis, quia qui sua pro Deo relinquunt, et a passione et a morte ejus sumunt exordia mutatae conversationis, *dignius* liceat baptizare, communionem dare, poenitentiam imponere, peccata solvere; » et post pauca : « Censemus ergo monachos praedicare, baptizare, communicare, poenitentes solvere. » Recitat dein Egilwardus partem decreti Bonifacii IV, et concludit his verbis : « Nobis igitur, pauculis insertis contra eos dumtaxat, qui coram oculis nostris vestigia Patrum delere, vel laqueos pedibus nostris abscondere moliuntur, licet multo plures Patrum abundent sententiae, quae ejusmodi repugnent invidiae, libet stylum ad omissa reflectere. »

6. Decretum Bonifacii IV ut apocryphum rejicit Espenius in Brevi Commentario in Gratianum (1); Berardus (2) inclinat ad id tribuendum Concilio Nemausensi, quod ab Urbano II anno 1096 celebratum fuit et inter cujus statuta absque Bonifacii nomine ad verbum fere refertur. Verum longe plures scriptores iique optimae notae id ut sincerum habent et probant. Et quidem Beda (3) refert Bonifacium IV anno 610, Romam adventante Mellito Episcopo Londinensi, Synodum coegisse, *de vita et quiete monachorum ordinaturum;* quae etiam ab aliis scriptoribus Anglis, Henrico Huntindoniensi, citato a Berardo (4), et Joanne Bromtono, Abbate Jornalensi, allegato a Christiano Lupo (5), referuntur : atque haec, ut recte notat Mabillonius (6), apprime conveniunt cum Bonifacii decreto. Praeterea, ut testantur Correctores Romani Decreti Gratiani,

(1) c. 25, caus. 16, quaest. 1.
(2) Canones Gratiani, etc. part. 2, tom. 2, pag. 186.
(3) Hist. eccles. Angl. lib. 2, cap. 4, tom. 3, col. 36, edit. 1612.
(4) Op. cit. pag. 184.
(5) Exhibitio Canonum, etc. cap. 4. Op. posthum. pag. 695.
(6) Annal. Bened. lib. 10, num. 43, tom. 1, pag. 264.

repertum fuit vetustum hujus decreti exemplar in antiquo Populeti apud Hispanos monasterio cum hoc titulo : « *Ex Concilio Bonifacii Papae, qui quartus a B. Gregorio fuit : Quomodo monachis liceat cum Sacerdotali officio ubi et ubi ministrare.* » Tertio, ut modo vidimus, Egilwardus, quem ex ipsius-met scriptis circa annum 989 vixisse colligit Mabillonius (1), non tantum ejus meminit, verum etiam praecipuam partem recitat. Quarto S. Petrus Damiani, S. R. E. Cardinalis et Congregationis Benedictinae Fontisavellanae praecipium decus, et qui viginti quatuor annis ante Concilium Nemausense obiit, claudit opusculum suum XXVIII, seu Apologeticum Monachorum adversus canonicos, hoc ipso Bonifacii Papae decreto ; cui praemisit haec verba : « Si autem haec incredibilia vobis videntur, perquirite quod Bonifacius in nostrorum tuitione composuit (2). » Ex quibus luce clarius est, a veritate aberrare Berardum, quum hoc decretum Concilio Nemausensi adscribendum putat. Quinto Ivo Carnotensis (3) et Sigibertus Gemblacensis (4), ambo eruditissimi et saeculo XI exeunte florentes, aperte id tribuunt Bonifacio IV. Atque haec ejus sunt auctoritatis, ut, nisi in dignoscendis genuinis scriptis talibus staretur testimoniis, ars critica tota poneretur non in aedificatione sed destructione. Hinc itaque non dubitamus discedere a Berardo, Concilio Nemausensi hanc constitutionem tribuente; et a Van Espen et Espenianis, qui passim illam ut apocrypham rejiciunt; sed omnino adhaeremus Baronio, Holstenio, Labbeo, Harduino, Mabillonio, editoribus Venetis aliisque, qui decretum istud Bonifacio IV adscribunt. Caeterum ad propositum scopum nihil minus valeret haec constitutio, etiamsi a Bonifacio IV edita non fuisset ; quoniam auctoritas Urbani II et Concilii Nemausensis, cujus secundus canon ipsum Bonifacii IV decretum est, non minoris facienda est quam auctoritas hujus Pontificis et Concilii Romani : quod satis manifestum est, ut probatione non indigeat.

Superest autem ut istud decretum, quod Bonifacio IV, Concilio Romano praesidenti, vindicavimus, hic loci referamus. Sequenda autem videtur lectio Holstenii, quoniam haec reli-

(1) Ibid. lib. 50, num. 24, tom. 4, pag. 55.

(2) Opusc. 28, cap. 2, tom. 3 Opp. pag. 262 et seq. edit. 1743.

(3) Decret. lib. 7, can. 21.

(4) Chronic. ad annum 618, ap. Pertz, Monument. German. tom. 6, scriptt. pag. 322.

quis accuratior nobis est : neque est quod recenseamus varian-tes lectiones, quae occurrunt in Decreto Ivonis Carnotensis, in Decreto Gratiani, in Opusculo XXVIII S. Petri Damiani, in Egilwardi Vita S. Burchardi, in exemplari reperto a Labbeo, in Concilii Nemausensi et alibi, quum nulla ex eis sensum decreti immutet. En itaque istud monumentum : « Sunt non-nulli, fulti nullo dogmate, audacissime quidem, zelo magis amaritudinis, quam dilectione inflammati, asserentes mona-chos, quia mundo mortui sunt, et Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia indignos, neque poenitentiam, neque chistiani-tatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotali officio divinitus injunctam potestatem ; sed omnino labuntur. Nam si ex hac causa veteres aemuli vera praedicarent, apostolicae Sedis beatissimus Gregorius, monastico cultu pollens, ad sum-mum nullatenus apicem conscenderet. Quoniam quidem haec ostiatim fungendi, ligandi, solvendique potestas a Deo summa conceditur ; Augustinus quoque, ejusdem sanctissimi Gregorii discipulus, Anglorum praedicator egregius, ac Pan-noniensis Martinus beatissimus, cujus sanctitatis fama, longe lateque diffusa, totus personat mundus ; alii quoque jam plurimi sanctissimi, pretiosissimo monachorum habitu fulgentes, ne-quaquam annulo pontificali subarrharentur, si, quia monachi fuerunt, praedictis uti prohiberentur. Neque enim Benedictus, monachorum praeceptor almificus, hujuscemodi rei aliquo modo fuit interdictor ; sed eos saecularium negotiorum edixit expertes fore solummodo. Quod quidem apostolicis documen-tis, et omnium Sanctorum Patrum institutis non solum mona-chis, verum etiam canonicis maximopere imperatur. Nemo enim militans Deo implicat se negotiis saecularibus. Utrisque etiam praefatorum Patrum exemplis perspicacibus circum-quaque ut mundo mortui sint, evidentissima ratione praeci-pitur. Tantorum igitur Patrum instituti exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus a sacerdotibus mo-nachis ligandi solvendique officium, Deo imperante, haud indigne administrari, si eos digne contigerit ad hoc ministerium sublimari. Quod incunctanter affirmat quisquis statum mona-chorum, et habitum potentatumque evidenter considerat. Verbi gratia, Angelus graece latine nuntius dicitur. Sacerdotes igi-tur monachi atque canonici, qui quotidie sancta Dei praecepta annuntiant, Angeli vocantur ratione non incongrua. Sed

unusquisque angelicus ordo, quanto claritatem Dei vicinius contemplatur, tanto dignitate sublimior affirmatur. » Dein ex veste, monasticae professionis signo, monstrantur monachi esse Cherubim; quae res ubique fere apud medii aevi scriptores invenitur; et demum concluditur : « Decertantes igitur monachicae professionis presbyteros sacerdotalis potentiae arcere officio, *omnimodo praecipimus, ut ab hujuscemodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quanto quisque celsior, tanto potentior* (1). »

7. Ut alia multa Pontificum decreta omittam, venio ad Concilium Nemausense anni 1096, quod Ivo Carnotensis generale appellat, cui praesedit Urbanus Papa II et cui interfuerunt decem saltem Archiepiscopi et octoginta sex Episcopi et Abbates (2). Ut superius jam dictum est, secundus hujus Concilii canon mera renovatio est decreti Bonifacii IV; tertius vero sic inscribitur : *Quod monachi sacerdotali ministerio rectius fungi possint, quam presbyteri saeculares,* et sic sonat (3) : « *Oportet* eos, qui saeculum reliquerunt, *majorem* sollicitudinem habere pro peccatis hominum orare, et *plus* valere eorum peccata solvere quam presbyteros saeculares; quia hi secundum regulam apostolicam vivunt et eorum sequentes vestigia, communem vitam ducunt, juxta quod in Actibus eorum scriptum est : *Erat illis cor unum et anima una, et erant illis omnia communia* (4). Ideoque videtur nobis, ut his, qui sua relinquunt pro Deo, *dignius* liceat baptizare, communionem dare, poenitentiam imponere, necnon peccata solvere. Unde considerare nos oportet quantae virtutis apud Deum sint, qui saeculum relinquentes, Domini obediunt praecepto dicentis : *Relinque omnia quae habes et veni sequere me* (5). Unde censemus eos, qui Apostolorum figuram tenent, praedicare, baptizare, communionem dare, suscipere poenitentes, peccata solvere. » Hactenus Urbanus II et Concilium Nemausense.

8. Pius VI vero, ut ad recentiora deveniamus tempora, ex Libello Memoriali pro reformatione Regularium, probato in Synodo Pistoriensi, nonnulla his contraria excerpsit et dam-

(1) Berardi Canones Gratiani, etc. part. 2, tom. 2, pag. 184 et seqq.

(2) Vit. Urbani II, num. 270 inter opera posthuma Mabillonii et Ruinartii, tom. 3, pag. 263.

(3) Labbe, Collect. Concilior. tom. 10, col. 607.

(4) Act. 4.

(5) Marc. 16.

navit. Propositio scilicet LXXX, proscripta in Bulla *Auctorem fidei*, sic sonat : » Regula I, quae statuit universe et indiscriminatim, *statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis ;* falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiae Patres et Praesules qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiae mori Summorumque Pontificum sanctionibus contraria : *quasi monachi, quos morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat*, non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae *clericorum officiis aggregentur*. Ex S. Siricio, epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. 13. »

9. Hinc si ad Sanctos virosque doctos deflectamur, eamdem ubique inveniemus doctrinam. Imprimis innumeros citare possemus, tum ex Patribus, tum ex scriptoribus ecclesiasticis, qui Apostolos habuerunt vitam religiosam professos : et ipse Rev. Dominus ex suis principiis id admittere debet, siquidem, ut vidimus, substantiam vitae religiosae reperiri fateatur in his textibus (1) : « *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum... Si vis perfectus esse, vade, vende omnia... Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.* » Quae omnia ab Apostolis adimpleta fuisse, testantur ipsimet, dicentes (2) : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Unde evidens est scriptores istos omnes adeoque R. D. Verhoeven admisisse regulares tam recte quam saeculares *occupari in negotiis et officiis ecclesiasticis quaeque animarum curam saecularium respiciunt* (3). Aliquod tamen patet effugium, nempe ut dicatur tempore Apostolorum fuisse defectum cleri saecularis. Ast parum juvat haec responsio, quum explicandum relinquat quare Christus tam praepostere suam instituerit Ecclesiam, ut ministris *extraordinariis* Evangelium suum praedicandum concrederit. Haec ex sententia eorum, qui Apostolos religiosos fuisse probant.

10. Verum haec et innumera alia missa faciamus, et ve-

(1) Pag. 4.
(2) Matth. 19, 27.
(3) Pag. 122.

niamus ad ea tempora, ubi haec quaestio potissimum examinata fuit. Imprimis S. Petrus Damiani totum conscripsit de praesenti argumento opusculum; ex quo pauca lubet delibare. Exorditur itaque his verbis (1) : « Cunctis amantissimis *clericis ac canonicis,* omnes unanimiter monachi. Multum, fratres carissimi, si digni estis audire, miramur, quomodo vel ob quam causam conamini nos a consortio et unitate universalis Ecclesiae separare : cum constet a monachis, non a canonicis universalem Ecclesiam fundatam, gubernatam et a diverso errore cribratam. Apostoli nempe fundatores et rectores Ecclesiarum nostro non vestro more vivebant... Contra vos itaque multum conquerimur, quia quidam vestrorum ausus fuit temerario ore dicere, a monachis nullo modo communionem (*id est reconciliationis sacramentum seu poenitentiam*) esse recipiendam; insuper etiam suscipientes excommunicavit, et in opprobrium nostrum, imo in condemnationem suam et illorum, recommunicavit (*id est iterum absolvit*). Sed quid contra illum? Scimus quia pene idiota est et multorum criminum reus... Sed ne longius toxica illius veneni serpant, manifeste ostendimus, antecessoribus nostris *prae omnibus clericis,* haec sacramenta licita fuisse contingere et dispensare. » Quod dein probat multis sanctorum monachorum exemplis, qui in sacramentorum administratione enituerunt; ex sacris Conciliis, quibus interfuere monachi; ex vestimentis, quibus monachi similes sunt Apostolis et Seraphim; ex decreto Bonifacii IV et ex ritibus presbyteros ordinandi. Quoniam vero, quod vix credibile est, etiam recentioribus temporibus nonnulli asserere non dubitarunt, canonicos et clericos saeculares magis esse sacerdotes quam monachos (2), audiendus est S. Petrus Damiani, hanc ineptam doctrinam praeoccupans : « Veniamus, inquit (3), ad consecrationem, quam, dispensante Deo, per Episcopos accepimus. Numquid nos aliter, quam canonici (*seu clerici*) consecramur? quis insipiens audeat dicere? Nemo. Nam utrisque in commune benedictionem a Domino infundi, Episcopus obnixe deposcit. Et dum consecrat sigillatim, obnixe deposcit cunctis sacerdo-

(1) Opusc. XXVIII, Apologeticus monachor. advers. canonicos, Opp. tom. 3, pag. 261 et seqq. edit. 1743.

(2) Cfr. Mabillonius, Gemina apologia Benedictinorum, pag. 33. edit. Constantien. 1706.

(3) Tom. 3, pag. 262.

tibus, dicens : Consecrentur, Domine, manus istae, ut quidquid benedixerint, benedicta sint. Ecce communis benedictio. Unde ergo divortium? Longum est ista prosequi. »

11. Eodem fere tempore S. Ivo, Episcopus Carnotensis, regularium canonicorum promotor indefessus, et juris prudentiae ecclesiasticae insigne sidus, non aliter sentiebat ac S. Petrus Damiani. Ad Gualterum scilicet, clericorum regularium Stirpensium Praepositum, in haec scripsit verba (1) : « Graviter fert vestra fraternitas, quod Lemovicensis Episcopus (*Gulielmus*), in Synodo (*quae praeterivit omnes Conciliorum collectores*) agens, interdixit omnibus regularibus clericis et regimen parochiarum et confessionem poenitentium. *Qui rectius quidem fecisset, si omnes sacerdotes ad regularem vitam invitasset, quam regulariter viventes a dominicarum ovium custodia penitus removisset; quibus tanto plus displicet aliena malitia, quanto longius discesserunt a sua;* » et alibi (2) similiter statuit non esse audiendos, qui monachos a cura animarum remotos volunt, *sed ideo potius ad hoc assumendos, quia voluptates et pompas saeculi contempserunt.*

Non aliter sentiebat S. Ivonis coaevus, B. Bernardus Tironiensis; qui, « dum in Constantiis, civitate maritima Normanniae, populo publice praedicaret, et quidam archidiaconus, uxorem habens et filios, cum magno presbyterorum atque clericorum comitatu advenisset; et cur ipse, qui monachus ac mundo mortuus erat, viventibus praedicaret, requisivisset; » longum sermonem habuit, eumque conclusit his verbis : « Itaque, *quia sum monachus et mundo mortuus,* non mihi fas praedicandi aufertur; *sed multo melius confertur* (3). »

Ut jam vidimus, aliquandiu post emissum S. Petri Damiani scriptum, intervenit huic controversiae in Concilio Nemausensi Urbani II et Galliae Episcoporum auctoritas; ibique secundum S. Petri Damiani mentem statutum est monachos propter suam professionem *rectius* seu *dignius* quam clericos sacculares negotiis et officiis ecclesiasticis, quaeque animarum curam respiciunt, occupari.

Sed haec omnia parum valuerunt ad silentium imponendum

(1) Epist. 69.
(2) Epist. 213.
(3) Gaufredus Grossus, Vita S. Bernardi Tironiensis, cap. 6, num. 52 et seqq. tom. 2 Aprilis Act. SS. pag. 234 et seq.

regularium adversariis; adeoque hic locus est, verbis S. Augustini, de quibusdam duplici judicio condemnatis scribentis ad Festum (1) : « Puto quod ipse diabolus, si auctoritate judicis, quem ultro elegerat, toties vinceretur, non esset tam impudens, ut in ea causa persisteret. »

12. Flocci itaque habentes decreta S. Gregorii Magni, Bonifacii IV et Urbani II perrexerunt nonnulli clerici sæculares monachis jurgia movere de sacro ministerio. Illos itaque aggressus est Venerabilis Rupertus, Abbas Tuitiensis, in triplici scripto, scilicet in Altercatione monachi et clerici, quod liceat monacho praedicare (2) ; in epistola ad Everhardum, Abbatem Brunwilarensem, qui eum de hac re interrogarat (3) ; et in libris v Dialogorum de vita vere apostolica (4). Ut brevis sim, excerpo tantum ex epistola ad Everhardum responsum, quod illi clerico dandum esse suadet, qui contenderit monacho presbytero praedicandum non esse : « Suam igitur, inquit (5), dignitatem cum humilitate quisque nostrum adversus hujusmodi recognoscat, et dicat : Cur me non permittis in medio Ecclesiae aperire os meum? Duplici proportione major quam tu ego sum. Etenim tu clericus tantum : ego autem et clericus et monachus sum. Maria virgo et Joannes virgo : sed major proportio in Maria. Nam Joannes tantummodo virgo, Maria vero et virgo et mater est. Sic tu tantummodo clericus, ego autem et monachus et clericus sum. Sed dicis mihi (*et quidem haec vulgaris semper fuit objectio*) quia mortuus sum saeculo. Responde, quaeso : Tu autem vivis saeculo? Ergo mortuus es Deo? Perpende melius, quia Corinthii (lege *Colossenses*) non omnes erant monachi, quibus Apostolus dicit : *Mortui enim estis* (6). Sed mortui secundum dictum illud sunt omnes Christiani, qui in morte Christi Jesu sunt baptizati. » Alibi saepius explicat simili modo istud principium de morte civili monachorum, ut ostendat male hinc deduci (quod etiam facere videtur R. D. Verhoeven), clericos tantum sæculares sæcularium spiritualibus negotiis occupandos esse. Haec Rupertus, ineuntis saeculi XII scriptor.

13. Non diu post Rupertum Gerohus, Praepositus Rei-

(1) Epist. 167, seu 89, edit. Maurin. num. 3 Opp. tom. 2, col. 220.
(2) Opp. Ruperti Abbatis, tom. 4, pag. 320 et seqq. edit. 1751.
(3) Ibid. pag. 322.
(4) Ibid. pag. 354 et seqq.
(5) Ibid. pag. 322.
(6) Colos. 3.

cherspergensis Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, non tantum vindicavit monachis aliisque regularibus jus sacri obeundi ministerii, sed solita sua acrimonia clericos omnes ad religiosae vitae capessendam spartam adigere conatus est in libro de Aedificio Dei (1); et in epistola seu dialogo ad Innocentium Papam II (qui sedit ab anno 1130 usque ad annum 1143), clericum saecularem confutat, qui ei objecerat (2) : « Vos, qui dicimini regulares canonici, quia velut monachi mundo debetis esse mortui, nullam vocem habetis in Ecclesia, quae nobis ad regendum est committenda, sicut hactenus habet consuetudo antiqua; cui vos magnam vim facitis, qui novitatem regularis vitae introducitis, et hanc ab omnibus clericorum congregationibus observandam praedicatis absque documento alicujus certae et indubitatae auctoritatis. » Vitam regularem cunctis clericis amplectendam esse statuens, longius quidem processit Gerohus; sed tamen clare ostendit pientissimus vir mentem Ecclesiae esse, ut regulares negotiis spiritualibus saecularium occupari possint, etiam ubi clerus saecularis non deficit.

14. Eodem adhuc saeculo Idungus, monachus, ut videtur (3), Emmeramensis, Librum conscripsit IV quaestionum, in quo contra clericos saeculares, incontinentes et saeculo deditos, fuse examinat quaestionem an liceat monacho vocem praedicationis habere in Ecclesia (4). « Sunt enim, ut ipse loquitur (5), nonnulli clericorum, qui in clericatu suo gloriantes, et monastico ordini derogantes, dicunt, contra rationem et auctoritatem esse ut monachus, qui saeculo mortuus est, in medio Ecclesiae aperiat os suum ad praedicandum. » Quam cantilenam de morte monachi repellit in hunc modum (6): « Huic scilicet sententiae nimis assentientes, villarum presbyteri tempore piae memoriae Hartwici Episcopi in quadam Synodo sua, quam vocant capitulum, non passi sunt suo conventui aliquem interesse monachum. Nam quidam presbyter

(1) Cap. 51 et passim, ap. Pez, Thesaur. Anecd. noviss. tom. 2, part. 2, pag. 451 et seqq.

(2) Dialog. inter cleric. saecular. et regular. ap. Pez, part. cit. pag. 443 et seqq.

(3) Dissertat. Isagog. in tom. II Thesaur. Anecd. noviss. pag. XXXI.

(4) Lib. IV quaest. cap. 8 et seqq. Pez, tom. 2, part. 2, pag. 527 et seqq.

(5) Ibid. loc. cit.

(6) Ibid. loc. cit.

accusatus, dum videret ibi quemdam monachum, compresbyterorum suorum consilio mixtum, quaerens subterfugium, per patronum causae suae respondit, non ad objecta, sed istud : causam clerici, praesente mortuo homine, minime debere ventilari. Quo audito, accidit miraculum : mortuus ille (*nempe monachus*) surrexit et exivit de conventu. Postea vero, transacto triennio, defuncto Hartwico Episcopo successit Episcopus Chuno monachus, secundum illos mortuus homo ; quo audiente et judicante, omnes eorum causae tractabantur. Sic divina providentia illorum stultam sapientiam et injustam justitiam infatuavit. » Ex ratione et historia multa dein confert Idungus, ut adversarios expugnet et demum concludit (1) : « Quae hucusque dicta sunt, si diligentis intelligentia perpendantur, nisi fallor, affirmant rationis et auctoritatis firmamento, quod monachus, cum in ordinatione eodem officio et eodem modo, quo clericus investiatur, sic et debet ejusdem officii nomine, quod est clericus, vocari, et beneficio, quod debetur ejusdem officio, stipendiari, scilicet de decimis et oblationibus fidelium vivere. Et plus inferrem, si salva pace quorumdam possem, hoc scilicet, quod ipse *justius,* quam saecularis clericus. »

15. Similiter S. Thomas multis locis regulares perhibet aptiores clericis saecularibus ad sacrum obeundum ministerium. Ut pauca tantum citem, sic loquitur ad finem opusculi XVII (2) : « Si hoc intendant, quod religiosi non possunt praedicare vel confessiones audire ex superiorum praelatorum commissione, patet hoc esse falsum : quia quanto quis est celsior, tanto et illis erit potentior, ut habetur XVI quaest. 1, *Sunt nonnulli.* (Ex decret. Bonifacii IV.) Unde si saeculares sacerdotes non curati possunt hujusmodi facere ex commissione praelatorum, *multo magis* hoc possunt religiosi, si eis committatur; » et in Summa (3), quaerens « *utrum religiosis liceat docere, praedicare et alia hujusmodi facere,* » respondet : « Hoc autem modo non est illicitum religiosis praedicare, docere, et hujusmodi facere ; tum quia ex voto et praecepto Regulae non obligantur ad hoc quod ab his abstineant : tum etiam quia non redduntur ad hoc minus idonei ex

(1) Cap. 9, pag. 535. Opp. tom. 19, pag. 427, edit. 1782.
(2) De perfect. vit. spirit. cap. 26 (3) 2. 2. q. 187, art. 1.

aliquo peccato commisso, sed *magis idonei* ex exercitio sanctitatis, quod assumpserunt. Stultum autem est dicere, ut per hoc, quod aliquis in sanctitate promovetur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda, et ideo *stulta* est quorumdam opinio dicentium, quod ipse status religionis impedimentum affert talia exsequendi. »

Neque aliter ratiocinatur de simili argumento S. Bonaventura in Epistola ad magistrum innominatum : « Dico ergo, inquit, quod secundum Evangelium pompa hujus nominis (Doctoris) condemnanda est, et nullatenus appetenda, sed officium assumendum. *Quos enim magis decet* Evangelium docere quam qui Evangelium profitentur et servant? Nam cum dicat Evangelium : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum* (1); quis sanae mentis dicat, ut magister et Frater Alexander dives debuerit praedicare et docere : *Beati pauperes spiritu;* et pauper effectus debuerit reticere? »

16. E recentioribus scriptoribus facile colligeremus centena similia testimonia; sed loco omnium prodeat Dominicus Viva, qui in celeberrimo suo opere de Damnatis thesibus ab Alexandro VII, Innocentio XI et Alexandro VIII, plura collegit ad ostendendum non tantum propositionem XXI damnatam ab Alexandro VIII, qua licitae dicebantur suspiciones de prava conniventia confessariorum Mendicantium; verum etiam regulares *magis idoneos* esse ad sacramentum poenitentiae administrandum : « Deinde, ait (2), postquam alia attulit rationum momenta, quae praecitati quoque habent scriptores, deinde regulares, quum in audiendis confessionibus sint magis assidui, experientia speciali maxime adjuvantur ad rite obeundam hoc munus, ad detegendas daemonis technas, ad poenitentes adjuvandos; et quum saepe in communitatibus religiosorum agatur de profectu in via spirituali, et de mediis ad proficiendum, prae manibus habent, quae poenitentibus suggerere possint ad viam salutis illis ostendendam; et si quando dubitent, an in scopulum aliquem impingant, obvios habent aut auctores, aut peritos, quos consulant. His de causis videmus fere semper Monarchas et Pontifices ipsos nonnisi regulares voluisse sibi a confessionibus; quinimo Pontifices passim innumera regularibus confessariis privilegia concesserunt, etiam

(1) Tom. 5 Opp. pag. 738.

(2) Tom. 1, part. 1, pag. 461, edit. XIII, seu Patavina.

relate ad sacramenti poenitentiae administrationem, ut sic homines allicerentur ad absolutionem sacramentalem ab iis potius, quam ab aliis exposcendam. »

Ne vero haec omnia ut exaggerata et minus accurate dicta rejiciantur, juverit hic subnectere, quid sentiendum sit de propositione LXXXI Synodi Pistoriensis, connexa cum regula I de reformatione regularium, quam superius retulimus. Sic scilicet sonat illa propositio : « Item in eo quod subjungit, Sanctos Thomam et Bonaventuram (idem fere dic de reliquis) sic iri tuendis adversus summos homines Mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio major desideranda fuisset; » et damnatur ut « scandalosa, in sanctissimos Doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens. »

17. Neque haec scribimus ut statum nostrum, depresso clericatu saeculari, magnificemus; neu (quod absurdum foret) quasi omnes regulares confessarii, praedicatores aliorumve sacrorum munerum administri melius quam saeculares clerici suis officiis fungerentur; sed solum ut ne dicatur ex Ecclesiae mente regulares tunc tantum, quando deficit clerus saecularis, ad sacrum ministerium admittendos esse, quasi ac id minus forent apti, seu minus utilis esset eorum opera, aut quidpiam in eorum foret professione, quod id suaderet. Et quidem coacti tantum ad haec colligenda accessimus, ne videlicet, in hac nostra patria obscuraretur apud multos Ecclesiae mens; et quoniam satis esse debet haec semel clare exponi numquam in posterum, ne infirmorum laedamus aures, dicentes audiemur : clericos regulares *propter suam professionem* magis idoneos esse ad sacrum ministerium obeundum quam saeculares; sed id tantum adstruemus, nos saltem aeque ac clerum saecularem ad id esse aptos, neque ullo modo ex mente Ecclesiae ab eo removeri.

18. Sed quoniam apud nonnullos principia generalia parum juvant, nisi ad particularia descendatur, placet nonnulla attingere sacra ministeria, quae secundum R. D. Verhoeven asserta regulares tantum in defectu cleri saecularis obire possent, et quae tamen, nulla hujus defectus ratione habita, ex vetustissima Ecclesiae disciplina obeunt. Quae si rite constent oportet vel ut Ecclesiae disciplina cum Ecclesiae mente pugnet, vel ut principium Rev. Domini falsum sit.

Imprimis regulares, non obstante sua religiosa professione, Summos Pontifices eligi posse, etiam ubi clerici saeculares sufficientes adsunt, quis in dubium revocare potest, quum Gregorius XVI piae perennisque memoriae, ex Ordine Camaldulensium assumptus, vix feliciorem vitam ingressus sit? Quid vero de Cardinalibus dicam? Nonne Sixtus V sancivit (1) « ut praeter egregios utriusque juris aut decretorum Doctores, non desint aliquot insignes viri in sacra theologia magistri, *praesertim* ex regularibus et Mendicantium Ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores? » et quidem in praesentia plures Cardinales regulares in sacro collegio splendent. Episcopatus vero, non obstante regula beneficiali: *Regularia regularibus, saecularia saecularibus,* utrique clero communis est: adeo ut nullus regularis, quia regularis, nisi speciale votum obstet, a cathedra episcopali excludendus sit. De disciplina parochialium beneficiorum dicemus infra, ut prius alia nonnulla recenseamus. Romae plura sunt ecclesiastica munera, quae ex privilegio solis regularibus conceduntur, quale est officium Magistri sacri palatii, semper a P. Praedicatore adimpletum; concessere insuper plures Pontifices, adeoque ipse Benedictus XIV, quem sibi favere arbitratus est adversarius, ut in Congregationibus Romanis semper certae sedes occuparentur ab aliquot viris e religiosis Ordinibus; quae privilegia, quum nequaquam cessent ubi clerus saecularis non deficit, in systemate R. D. Verhoeven contra mentem Ecclesiae concessa dicenda forent (*a*).

19. Quis haec asseruerit? Verumtamen ne hic quidem stare licet: si principium Rev. Domini verum sit, necesse est ut ipsum Concilium Tridentinum mentem Ecclesiae ignoraverit. Etenim, ut alia multa mittam, sacrosancta Synodus, in Spiritu

(*a*) Ne quid nimium dixisse videamur, en verba Catalani, qui suos in Concilia generalia commentarios edidit tempore Benedicti XIV: « Porro, inquit (2), rationem reddens de concessis regularibus privilegiis, ut plurimum regulares sunt, qui hodieque Romae in rebus summis adhibentur: consultores quippe sunt ipsi insignium Congregationum, Sanctae Romanae Inquisitionis, Sacrorum Rituum, Indicis, Indulgentiarum Reliquiarumque; iidemque illos examinant, qui vel ad ordines, vel ad animarum curam promovendi sunt. »

(1) Bulla I. *Postquam*, § 9.

(2) Concilia oecumen. illustrata, tom. 3, pag. 362.

Sancto congregata, statuens formam examinandi clericos, ad be neficia parochialia promovendos, haec edixit (1) : « Sint vere hi examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici, *seu regulares, etiam ex Ordine mendicantium,* aut etiam saeculares, *qui ad id videbuntur magis idonei;* jurentque omnes, etc. » In quo capite jubet manifeste sancta Synodus, non ut attendatur sufficiatne an deficiat clerus saecularis, sed *qui sint magis idonei.* Atque hanc legem Romae in usu esse non tantum in electione examinatorum synodalium, sed in aliis quibuscumque ecclesiasticis officiis vel ex ipsis quotidianis ephemeridibus cognoscere est.

20. Si jam historice hanc partem examinemus, necesse est ut dicamus, vel clerum Saecularem semper defecisse, vel Ecclesiam numquam bene intellexisse suam mentem, vel Rev. Dominum errasse, quum eam detexisse sibi visus est. Etenim secundum computum reverendissimi D. Flechier, Episcopi Nemausensis, citati a P. Philippo Anfossi (2), jam suo tempore ex ordine S. Benedicti assumpti fuerant 40 Summi Pontifices, amplius quam 200 S. R. E. Cardinales, et 5600 Episcopi et Archiepiscopi; Ordo S. Francisci sex dedit Ecclesiae Pontifices, et innumeros tum Cardinales, tum Archiepiscopos, tum Episcopos; Ordo S. Dominici pauciores quidem Pontifices sibi annumerandos habet, sed reliquis decoribus Ordini S. Francisci non cedit, adeoque in Concilio Tridentino ex hoc solo Ordine non multo pauciores interfuere Episcopi et theologi quam ex omnibus aliis Religionibus simul junctis (3); ne infinitus sim, alios religiosos coetus omitto.

Ast his forsan opponetur summum pontificatum, cardinalatum, episcopatum, munera consultoris SS. Congregationum et examinatoris synodalis alius generis esse, utpote splendidiora quam communem sacri ministerii operam; quae objectio, utut absurdissima, quum tamen olim facta fuit et adhuc fieri possit, (ad quid enim cogit desperata causa!) paucis diluenda videtur. Imprimis itaque cum Idungo, coenobita Emmeramensi (4), respondemus : Si monachis licet obire ea

(1) Sess. 24 de reformat. cap. 18.

(2) Difesa della bolla *Auctorem fidei* contro Leplat, tom. 3, pag. 272.

(3) Lud. Bertha, Origo plagarum christianum orbem devastantium, pag. 151.

(4) Liber IV quaest. cap. 10. Pez, Thesaur. Anecdot. noviss. tom. 2, part. 2, pag. 535.

munera, quae reliqua inferiora complectuntur, cur non liceat obire haec inferiora, quum hoc monasticae humilitati magis conveniat? Quid est episcopatus nisi complexus omnium sacrorum ministeriorum? Deinde, etiam his missis, ex dictis tamen sequitur generale adversarii principium cum Ecclesiae legibus pugnare. Praeterea, ut ad inferiora munia deflectamus, ex iisdem Ecclesiae legibus possunt regulares, etiam quum clerus saecularis sufficit, communes sacri ministerii partes adimplere : quod ex ipsius Rev. Domini libello demonstrabimus.

21. Primo loco R. D. Professor, agens de Missae sacrificio, ait : « Manifesto patet regularibus jus esse admittendi Christi fideles dominicis et festis diebus ut in suis Ecclesiis praecepto audiendi sacrum satisfaciant. Unde et illud efficitur, nempe locorum Ordinarios aut parochos plebem non compellere, sed exhortationibus tantum allicere posse, ut dominicis diebus et festis de praecepto S. Missae sacrificio in ecclesia parochiali intersint. » In quibus dictis liquido supponuntur ecclesiae et clerus saecularis sufficere ; et quidem unus tantum casus, dum scilicet parochi seu parochialium ecclesiarum contemptus intervenit, in Summorum Pontificum diplomatibus excipitur; qui proin regulam in casibus non exceptis firmat.

Dein disserens de administratione S. Eucharistiae : « S. Eucharistiae sacramentum, inquit adversarius (1), in ecclesiis regularium omnibus Christi fidelibus ministrari potest vi privilegii a Summis Pontificibus Julio II, etc., concessi quod a S. Pio V confirmatum et per communicationem privilegiorum ad omnes regulares extensum est. Unus dies paschatis excipitur, quo administratio hujus sacramenti in ecclesiis regularium prohibita est. » Adeoque Archiepiscopo Burdigalensi a sacra Congregatione responsum fuit ei omnino illicitum esse prohibere quin regulares a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, die Paschatis excepta, sacram Eucharistiam saecularibus ministrent (2). Jam vero quis crediderit clerum Burdigalensem non suffecisse ad sacram Eucharistiam distribuendam? Cui umquam Episcopo in mentem venit sub simili praetextu id ministerium regularibus interdicere?

(1) Pag. 103. (2) Pag. 104.

22. In paragrapho autem, ubi principium, quod nunc examinamus, stabilit, refert R. D. Verhoeven (1), constitutionem Clementis X *Superna,* in qua vetatur ne Episcopus ab audiendis confessionibus removeat regularem, simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipso Episcopo approbatum, *nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat;* et infra (2) recensens ex eadem constitutione quae sint ejuscemodi causae, delicta tantum et scandala commemoranda habet, nequaquam vero *supervenientem sufficientiam* cleri saecularis. Praeterea ex eadem constitutione agnoscit (3) « Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo Europaeo, inconsulta Sede apostolica, nullatenus posse; » quod tamen juxta principium Rev. Domini posse deberet, siquidem ipse judex dicatur an clerus saecularis sufficiat (4). Adeoque « ab hujuscemodi generali suspensione, quae vix sine scandalo et animarum pernicie contingere potest, abstinendum est Episcopis Indiarum, nisi gravissima subsistente causa, super quo S. Congregatio illorum conscientias graviter voluit oneratas. » Quis vero *gravissimam* causam, ad confessiones pertinentem, dixerit sufficientiam cleri saecularis?

Silentio praetermisit Rev. Dominus quandonam Episcopus concedere debeat approbationem simpliciter et absque ulla temporis praefinitione. Verum, quum verba Clementis X in Bulla *Superna* maxime ad rem nostram faciant, juverit ea hic referre : « Decernimus et declaramus, inquit Pontifex (5), illos religiosos, *qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint,* ab Episcopis generaliter quoque et indistincte absque limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in dioecesi propria admittendos. » In quibus una requiritur conditio, ut scilicet *religiosi ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint,* nullaque mentio fit de sufficientia aut insufficientia clericorum saecularium.

Placet insuper, licet postea idem argumentum fusius forsan exponendum erit, in antecessum hoc loco notare doctrinam Cardinalis Lugo, quem S. Alphonsus de Ligorio

(1) Pag. 128 et seq.
(2) Pag. 130.
(3) Pag. 132.
(4) Pag. 123.
(5) Bullarium Romanum, tom. 7, pag. 31. Romae 1733.

« *facile* post S. Thomam *principem* theologorum » appellat, Gabrielis Vasquez, quem Basilius Poncius de Leon « theologorum suae aetatis facile principem, qui sibi in rebus praesertim moralibus sit unus pro mille, » et Dominici Viva, cujus summa quoque laus est apud Theologos. Hi scilicet tradunt « *non esse causam sufficientem, ad negandam petitam approbationem, confessariorum superfluitatem :* quod ex eo probant, quia sicut parochus posset ad Metropolitanum appellare, si praecise ex abundantia confessariorum, circumscripta alia sufficienti causa, negaretur sibi ab Episcopo approbatio; ita regulares, qui sunt veluti parochi a Sancta Sede delegati (1). » Neque alia erat sententia Episcoporum, qui illo tempore vivebant : quod liquet ex Cardinali Lugo, dicente (2) « Episcopos semper aut fere semper dicere posse se nolle approbare illos regulares (qui constitutionem *Dudum* urgerent), *quia pro numero poenitentium illius loci non sunt necessarii plures pro nunc : cujus contrarium in praxi probare difficillimum esset; atque adeo, inquit, in praxi non video quomodo possit utilis esse illa sententia* Navarri, docentis sufficere regularibus ad audiendas confessiones licentiam petitam, licet non concessam, dum non adest sufficiens confessariorum numerus. » Unde, quum Episcopi propter superfluitatem confessariorum, quam ubique fere exstitisse fatetur Lugo, non negarent regularibus approbationem; sequitur eis notam tantum fuisse doctrinam Vasquezii, Lugonis, Vivae aliorumque, prorsus vero ignotam *mentem Ecclesiae,* nunc demum detectam.

23. Ast, inquit Rev. Dominus (3) : « A quoi tendrait l'approbation de l'évêque, si celui-ci n'avait le droit de la refuser pour le bien-être du diocèse ? » Ad haec respondemus 1° universalem observationem legum ecclesiasticarum, etiamsi inde in casibus particularibus oriantur incommoda, utiliorem esse quam si arbitrio praelatorum relinquatur utrum earum observatio in his aliisve casibus expediat; 2° approbationem Epi-

(1) Vasquez. Comment. ac disput. in 3 part. S. Thomae, tom. 4, quaest. 93, art. 4, num. 5, tom. 8 Opp. pag. 284, Antverpiae, 1621. De Lugo, de Sacramento poenitent. disput. 21, sect. 3, num. 54, pag. 509. Lugduni, 1644. Viva, Damnat. Thes. trutina, prop. 13 Alexandri VII, num. 2, tom. 1, part. 1, pag. 52, edit. XIII, Patavii, 1737.

(2) De sacramento poenit. disp. 21, sect. 3, num. 55, pag. 510.

(3) Ap. Journal hist. et littér. de Liege, Janvier, 1847, pag. 450.

scopi eo vergere ut idonei tantum confessarii ad sacros crate sedeant, et ut regulares occasionem habeant reverendi Ordi narii auctoritatem; 3° nihil singulare hic adesse, quum Epi scopi non tantum vetentur pro arbitrio suo, seu pro utilitat dioecesis, negare aut concedere regularibus approbationem sed eadem lege obstrictos teneantur erga parochos canonic nominatos (1); 4° notandas esse propositiones VI, VII et VII Synodi Pistoriensis de *bono regimine dioecesis, de bono ordin dioecesis* deque *majori bono suae Ecclesiae;* quae ita a Pio V referuntur et proscribuntur : « VI. Doctrina Synodi, qua pro fitetur persuasum sibi esse Episcopum accepisse a Christ omnia jura necessaria *pro bono regimine suae dioecesis, per inde,* addit Pontifex Pius VI, *ac si ad bonum regimen cujusqu dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectante sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam,* quarum jus est penes Summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia; *schismatica, ad minus erronea.* »

« VII. Item, in eo quod hortatur Episcopum ad prosequendum naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem; idque contra omnes contrarias *consuetudines, exemptiones, reservationes,* quae adversantur *bono ordini dioecesis, majori gloriae Dei et majori aedificationi fidelium;* per id quod supponit, Episcopo fas esse *proprio suo judicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent,* sine venia et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt aut probatae, et vim legis obtinent; *inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.* »

« VIII. Item, quod et sibi persuasum esse ait : Jura Episcopi, a Jesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse; et, ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua jura regredi, *quotiescumque id exigit majus bonum suae Ecclesiae;* in eo quod innuit jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri aut coerceri posse, *quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suae Ecclesiae;*

(1) Cfr. Lugo, disp. cit. et alii passim auctores.

inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea. « Ex quibus colligimus Episcopos esse custodes et executores consuetudinum et legum ecclesiasticarum, nequaquam vero judices opportunitatis aut importunitatis earumdem *pro bono dioecesis* (1). Insuper fac amotum esse obicem istum : facile audiemus invocari jus naturale contra jus canonicum *pro majori bono dioecesis ;* videbimus flocci fieri *generales* constitutiones Pontificum et Conciliorum, quoniam, ut dicetur, fieri non potest ut hae accommodentur omnibus locis, et *particulares* requiruntur *pro majori bono dioecesis;* nullius fere freni ratio habebitur, sed omnia fient pro nutu et arbitrio, id est *pro majori bono dioecesis ;* verbo jura, officia, leges, quidquid demum octodecim saeculorum experientia probavit, exigentur, explicabuntur, restringentur, ampliabuntur et convellentur *ad majus bonum dioecesis.* Id itaque apud omnes certum et fixum sit *majus bonum dioeceseon* nihil aliud esse quam exactam legum et consuetudinum ecclesiasticarum observationem. Ad haec objicietur : Ergo Episcopus non est in dioecesi sua dominus! Dominum esse fatemur, sed secundum canones Dominus est, quoniam jus habet ad urgendam, etiam poenis, legum Ecclesiae observationem et ad praecipiendum secundum eas; nequaquam vero ita Dominus est ut *majus bonum dioecesis* unica sit, quam sequatur, amussis. Sed quid haec his temporibus scribere debemus? quum, si umquam, nunc certe maxime in omnibus terrae plagis reverendissimi Episcopi ex animo student limites, quos posuerunt Patres, in nullis praetergredi, omnemque jurium suorum exaggerationem, ut fomitem schismatum et subversionem hierarchici regiminis odio habent. Sed redeamus ad jura, quae regularibus tribuit R. D. Verhoeven.

24. In paragrapho IV, ubi agit de regularium jure Dei verbum praedicandi, non minus suo principio adversantes leges coactus est referre. Etenim secundum constitutionem Clementis X *Superna,* jam citatam, scribit (2) : « Regulares, qui in ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint (*coram saecularibus*), teneri ab Episcopo dioecesano benedictionem petere; praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint, nisi Episcopus, nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, ob rationa-

(1) Vide supra, pag. 308 et seq. (2) Pag. 140.

biles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes (1); » id est ob scandala et excessus a regularibus admissos, ut ipse Rev. Dominus satis indicat.

Unde quum Episcopus secundum doctrinam, expositam ab adversario, prohibere nequeat, quin regulares praedicent, confessiones audiant, sacram Eucharistiam porrigant ex eo capite, quod clerus saecularis ad haec munera sufficiat; sequitur R. D. Professoris principium generale per partes a semet ipso confutatum esse.

(1) Pag. 152 et seq.

CAPUT DECIMUM NONUM.

DE ARGUMENTIS, QUIBUS ADSTRUCTUM FUIT REGULARIBUS SUPPLENDUM TANTUM ESSE DEFECTUM CLERI SAECULARIS.

1. *Asserit R. D. Verhoeven principium suum confici* ex universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia; *sed nequaquam id ostendere potest.*
1. *Contrarium confici ex universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia declarant SS. Thomas et Bonaventura.*
3. *Invocat R. D Verhoeven sanctos Ordinum fundatores, id est S. Franciscum Assisiensem, qui tamen de hac re non loquitur.*
4. *Invocat sanctos e regularium Ordinibus viros; quorum alter videtur esse S. Thomas, licet hic nil tale habeat.*
5. *Allegat R. D. Professor duos textus S. Bonaventurae, quorum alter apocryphus videtur; et, si genuinus esset, ad rem non faceret, tum quoniam regulares nolunt esse* Domini, *tum quoniam de dominatione non agitur.*
6. *Explicatur alter textus S. Bonaventurae.*
7. *Quid S. Doctor per* detrimentum temporale *parochorum intelligat.*
8. *Quid per* detrimentum spirituale.

9. *Quantum abhorreat S. Bonaventurae doctrina a placitis R. D. Professoris.*
10. *Docet S. Bonaventura a S. Francisco* perpetuum *Ordinem institutum fuisse, ad cujus* essentiam *pertineret sacrum ministerium.*
11. *Volebat conventus institui et conservari etiam in locis, ubi sufficiebat clerus saecularis.*
12. *Tradit a FF. Minoribus ea fieri posse, quae clerus saecularis praestare valet.*
13. *S. Thomas* ex professo *confutat R. D. Professoris principium.*
14. *Perperam allegatur Bulla Benedicti XIV, de re prorsus diversa agentis. Hostis quidam regularium defendit R. D. Professorem allegando* Indicem *libri.*
15. *Ad disciplinam regularem sartam tectam servandam non possunt religiosi absque dispensatione promoveri ad parochias suo monasterio non unitas.*
16. *Sed possunt promoveri ad parochias pleno jure unitas monasterio, et Praemonstratenses ad quasvis parochias. Quamtum hoc novum et maxime jus vetus cum principio R. D. Verhoeven pugnet.*
17. *Ex his et ex aliis supra deductis satisfit miris objectionibus hostis illius regularium.*

1. Quae hactenus disseruimus, hausta fuerunt ex Ecclesiae legibus quas agnocit et proponit R. D. Professor, ex principiis quae laudarunt sapientissimi pientissimique viri, et ex statutis quae condiderunt Pontifices et Concilia. Similiter contendit Rev. Dominus, suam doctrinam repetitam esse ex scriptis Sancti Bonaventurae aliorumque Sanctorum et fundatorum religiosorum Ordinum, quin etiam ex universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia. Haec examinaturi, exordium ducamus ab *universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia.*

Porro principium R. D. Professor deduci non posse *ex universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia,* quatuor argumentis ostendi posse arbitramur. Primum est, nullis argumentis hanc assertionem a Rev. Domino munitam fuisse, quum tamen rei magnitudo id prorsus exigeret et alibi saepenumero per plures paginas argumentatur ad ea ostendenda quae omnibus

in propatulo sunt. Secundum est, Febronio, qui eamdem doctrinam proposuit, nil aliud occurrisse ad eam confirmandam quam negare dogma catholicum. Ait enim (1): « Universim plus sperandum boni, minus metuendum mali et inconvenientiae, si directio animarum permaneat in manibus *verorum* pastorum, *juxta ordinem hierarchiae ecclesiasticae* institutorum, » id est non missorum a Summo Pontifice; quem *ordinem hierarchicum* probat negando universalem et ordinariam jurisdictionem S. Petri successoris : verum quum R. D. Professor nobiscum anathema dicat huic argumentationi, non video unde jam repeti possit *universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia*. Tertium argumentum est, S. Thomam Aquinatem (2) in opusculo suo XVI viginti septem confutare objectiones, plerasque *ex universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia* desumptas, quas Gulielmus a S. Amore ejusque asseclae movebant, ut ostenderent non esse Ecclesiae mentem, ut regulares, in locis ubi sunt parochi, sacro ministerio occuparentur, quin etiam id illicitum esse. Quartum demum argumentum est, colligi ex Ecclesiae legibus et doctrina catholica sacrum ministerium regularium, non deficiente clero saeculari, optime conciliari *cum universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia*. Etenim, quod semel pugnat *cum ecclesiasticae disciplinae oeconomia,* semper cum ea pugnat : re quidem vera necessitas non novit legem et quod illicitum secus erat licitum facit; sed inde non tollitur pugna, excusatur tantum et fit licita. Dicetne adversarius missionem regularium ad regiones barbaras, ubi deficit clerus saecularis, pugnare *cum universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia?* Quodsi dicat, explicandum remanet quare in Bullis Pontificum nulla umquam legatur dispensatio *ab universa illa disciplinae oeconomia*. Dein, ut vidimus, ex ipsis legibus Ecclesiae, quas enarravit Rev. Dominus, manifestum est regulares posse sacrum ministerium obire, etiam quando sufficit clerus saecularis : unde sequitur has leges *cum universa disciplinae oeconomia* nequaquam pugnare, quandoquidem pars sint ipsius disciplinae.

(1) De praesenti ecclesiae statu liber singularis, cap. 7, § 7, num. 7, de juribus episcoporum, pag. 595, Bullioni, 1765.

(2) Contra impugnantes religionem, c. 4 Opp. tom. 19, edit. 1782.

2. Fuse praeterea id evolvit S. Thomas in opusculo XVI, ubi ad destruendum errorem hostium cleri regularis « hoc ordine, inquit (1), procedendum est.

» Primo ostendemus quod Episcopi et superiores praelati possunt praedicare et absolvere eos, qui sacerdotibus subduntur, sine licentia ipsorum sacerdotum (*id est parochorum*).

» Secundo quod hoc idem possunt aliis committere.

» Tertio quod hoc aliis committi quam parochialibus sacerdotibus expedit saluti animarum.

» Quarto quod etiam religiosi ad officia hujusmodi exercenda ex commissione praelatorum sunt idonei.

» Quinto quod religio salubriter institui potest ad haec exsequenda de licentia praelatorum. » Probat haec dein S. Doctor ex solitis fontibus theologicis.

S. Bonaventura praecipuam objectionem, ex ecclesiasticae disciplinae oeconomia depromptam, confutans, plura simul docet quae ad praesens argumentum faciunt. Comprobare scilicet nititur regulares, jurisdictione pontificia et approbatione Ordinarii munitos, esse proprios fidelium sacerdotes. « Proprius sacerdos, inquit (2), dicitur, cui quisque specialiter gubernandus est commissus ab Ecclesia vice Dei. Praetermissis igitur diversis distinctionibus, quatuor sunt cujusque plebis parochialis proprii sacerdotes. Primus et praecipuus est Summus Pontifex, cui tota ecclesiastici gregis cura singularissime commissa est, ita quod omnes inferiores Ecclesiae rectores curam et totam potestatem, quam habent super subditos, ab ipso accipiunt, mediate vel immediate. Secundus est dioecesanus Episcopus, qui est ordinatus pastor omnium Ecclesiarum sub ipso constitutarum; et sui inferiores praelati curam animarum et auctoritatem regendi habent ab ipso. Tertius est specialis pastor cujusque ecclesiae ibi canonice institutus. Quartus est, cui quisque praedictorum pro tempore vicem suam, super commissos sibi, ad ligandum et solvendum ex causa rationabili committit, cui tamen committere potest. Superiores autem liberius et largius possunt vices suas committere, quam inferiores. Unde quum plebanus

(1) Ibid. pag. 312 et seqq.

(2) Quare FF. Minores praedicent et confessiones audiant, Opp. tom. 5, pag. 722 et seq. Venetiis. 1754.

possit aliquibus committere, ut vice sui plebi suae praedicent et eorum confessiones audiant, et absolvant, et poenitentias injungant; ita quod sic absolutos non oporteat illo anno plebanis suis iterum confiteri, nisi velint; multo magis potest hoc Episcopus et maxime Summus Pontifex, qui sicut ubique habet potestatis plenitudinem, ita et commissam sibi gerit omnium Ecclesiarum sollicitudinem, ut ea, quae singulis necessaria probantur, ipsius providentia suppleantur. *Alioquin vacua esset apud ipsum tanta potestas, quam executionis efficacia non comitaretur.* Committit aliis quandoque vices suas, tum pro locorum distantia, vel causarum qualitate, vel pro aliorum magis urgentium negotiorum occupatione, vel pro multitudinis requirentium frequentia et necessitatis festinatione, vel pro corporis imbecillitate, vel certe pro liberiori spiritus vacatione expedit eum et alios secum ad oneris pastoralis sustinentiam invitare. *Nam etsi Dominus solus omnia sine qualibet difficultate possit in omnibus operari, quae voluerit, sicut ex nihilo cuncta creavit : tamen dignatur in quibusdam operibus suis habere coadjutores et vicarios, sicut in cura animarum et in operibus artificialis industriae. In hoc dat exemplum Ecclesiae rectoribus, onus sollicitudinis suae et aliis impertiendi, ne per ipsorum absentiam et insufficientiam salus fidelium negligatur.* » Ex quibus habemus regulares, missos a Summo Pontifice esse proprios fidelium sacerdotes; utilissime eos mitti, ne alioquin vacua sit apud Pontificem ejus potestas, quam exsecutionis efficacia non comitaretur; regulares Episcopis et parochis cooperatores esse ad exemplum Angelorum et hominum cooperantium Deo, qui tamen solus omnia sine qualibet difficultate possit in omnibus operari : unde, nisi Angeli et homines coram Deo usurpatores dicendi sunt, fieri nequit ut haec accusatio redundet in regulares quum clero saeculari sufficienti cooperantur.

3. Praeter universam ecclesiasticae disciplinae oeconomiam invocat Rev. Dominus « sapientissimos institutores aliosque sanctos regularium Ordinum viros ; » ast unum tantum S. Bonaventuram nomine designat. Me tamen non falli arbitror, quum hic alludi existimo ad quaedam S. Francisci Assisiatis et S. Thomae verba : saltem Van Espen (1) probare nitens

(1) Jus ecclesiast. univ. part. I, tit. 3. cap. 7, num. 2 et seq. Opp.

« Fratres mendicantes institutos esse ut parochorum subsidiarios, » solummodo SS. Franciscum, Thomam et Bonaventuram citat, licet duobus in operibus eamdem verset quaestionem.

Verba itaque S. Francisci haec sunt: « Etsi haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes hujus saeculi in parochiis, in quibus morantur, nolo contra eorum voluntatem praedicare. » Atqui neque nos ullive alii regulares volumus in alienis parochiis seu templis contra parochorum voluntatem praedicare; adeoque si Episcopus, pastor parochorum, secus vellet, quantum per nos staret, officium istud conaremur declinare. Sed quo pacto haec probant clerum regularem in defectu tantum presbyterorum saecularium sacro ministerio applicandum esse? Quin etiam de Ordinum fundatoribus non locutus fuisset Rev. Dominus, si animadvertisset haec S. Francisci verba ea tantum mente ab Espenio fuisse producta, ut sequenti capite assereret, regulares, qui in parochialibus templis stationes habere consueverunt, non posse praedicationis munus obire, si id ipsi facere velint parochi.

4. Textus sequens S. Thomae ab Espenio allegatur : « Id ad quod Religio instituitur, videtur esse maxime proprium Religioni; sed praedicti actus non sunt proprii religiosorum, sed potius praelatorum : non ergo ad hujusmodi actus potest aliqua Religio institui. » Ad quam objectionem ita respondet S. Doctor : « Sicuti religiones instituuntur ad praedicandum et confessiones audiendum, non quidem auctoritate propria, sed auctoritate superiorum et inferiorum, ad quos ex officio pertinet, ita subvenire in tali ministerio est hujus Religionis proprium. » Porro quid denuo haec probant? An ex eo, quod regulares non ex auctoritate propria praedicare et confessiones audire possunt, sed quod ad id requiritur auctoritas Episcoporum seu Summi Pontificis, atque etiam olim, si in ecclesia parochiali fieret, licentia parochi; an hinc, inquam, sequitur regulares in defectu tantum cleri saecularis sacro ministerio adhibendos esse?

5. Unum locum Espenius, duo Rev. Dominus (1) ex S. Bo-

tom. 1, pag. 21 et seq. et Repagulum. canon. advers. nimiam exempt. extensionem, part. 2, cap. 2, § 4, tom. 2 Opp. pag. 854.

(1) Pag. 122.

naventura refert; illc, qui ab utroque refertur, sic sonat: « Temperatissime disposuit divina Sapientia et instituit Sedes apostolica, ut per Ordines praenotatos in praedicatione et confessione defectus cleri suppleantur et animae salventur, et nec in temporalibus, nec in spiritualibus jus clericorum aliquatenus minuatur. » Haec excerpta ex opusculo : *Quare fratres Minores praedicent et confessiones audiant.* Alter locus, a solo R. D. Professore allegatus, haec habet : « Religiosi auxilium praebent curatis, non ut domini, non ut curam animarum habentes, sed ut servi in caritate. »

Prius de posteriori hoc loco. Hunc porro suspectum nobis esse non uno ex capite, fateri cogimur. Nam, ut mittam nuspiam eum in S. Bonaventurae scriptis repertum a nobis fuisse, non facile intelligitur quamobrem Rev. Dominus pro more suo non indicaverit opus S. Bonaventurae, unde depromptus sit, et quidem hoc ipso in loco alterius S. Bonaventurae textus originem accurate designavit; dein occurrit in hoc textu vocabulum *curatus* non adjecto substantivo *presbyter*, quod a consuetudine S. Bonaventurae nonnihil abhorret; et tertio, locutio : *Religiosi* auxilium praebent etc., non nihil peregrina videtur in ore S. Bonaventurae. Sed, data hujus textus probitate, quid inde? Nequaquam aversamur, quotquot sumus regulares, *auxiliatores curatorum* dici; nomen *Domini* seu *Domni* non admittit major regularium pars; sed plerique *Patres* et *Fratres* dicimur : de quo argumento integram disquisitionem conscripsit Haeftenus, Affligemiensis olim Praepositus (1), non secus ac Theophilus Raynaudus, qui fusum edidit opus *Confiteor reformatum* dictum (2), eos aggressus qui per fas et nefas nos Dominos appellari volebant. Quodsi ad istud nomen non anhelemus, multo minus adspiramus ad rem eo significatam : nequaquam scilicet nobis lubet in clero aut in populo dominari. Si mansissemus in sacculo, nonnulli id sperare potuissemus : his omnibus pro Dei amore nuntium remisimus. Id unum nunc optamus non cleri saecularis tantum, sed omnium hominum *servi* esse *in caritate*, non tamen *in famulitio*. Quid enim aliud est clericatus quam sacrum ministerium, ingenua servitus, obsequium religio-

(1) Disquisit. monast. lib. 3. tract. 4, disq. 5, pag. 304 et seqq.

(2) Critica sacra, Opus. 6, tom. 11 Opp. pag. 147 et seqq. edit. 1665.

sum? Quid proin magis decet clericum quam *servi* nomen? Et reapse ab exeunte saeculo VI Summi Pontifices se *servos servorum Dei* appellant; quo nomine jam antea, et forte omnium primus, se insigniverat S. Augustinus, dein alii plures Episcopi, quos inter S. Anselmus Cantuariensis, quin etiam saeculo VI Guntramnus Rex Francorum (1). *Servuli* autem nomen, ob indefessam in sacro ministerio assiduitatem B. Nicolao Poppelio, altero parocho et Martyri Gorcomiensi, a plebe impositum (2), maximum sane ejus decus et ornamentum est post martyrii coronam. Quo vero pacto ex eo, quod *religiosi auxilium praebent curatis, non ut domini, non ut curam animarum habentes, sed ut servi in caritate,* extundi queat regulares in defectu tantum cleri saecularis sacro ministerio adhibendos esse, nemo, ni fallor, etiam lynceis oculis munitus, deteget.

6. Alter S. Bonaventurae textus tria continet : primum, Ordines SS. Francisci et Dominici esse institutos, ut per eos in praedicatione et confessione defectus cleri suppleantur et animae salventur; secundum, haec fieri absque detrimento juris spiritualis clericorum; et tertium, eadem praestari absque detrimento juris temporalis clericorum seu parochorum. De his quaedam.

7. Ut prius noverimus quid per haec detrimenta intelligat S. Bonaventura, notandum est S. Doctorem non eadem lance, qua Rev. Dominum, illa pendere. Sed paucis tantum Seraphici Doctoris mens hic indicanda videtur, quoniam alibi fusius de ea dicendum erit. Coarctat scilicet S. Bonaventura jus temporale parochorum ad haec sola, quae ipsis secundum canones debentur : adeo ut ne computari velit detrimentum, quum quis in alia quam parochiali ecclesia sepulturam eligit, utpote nulla lege canonica adstrictus ad determinatam ecclesiam eligendam (3); similiter solvens quaestionem *quare plures clerici magis eos odio habeant et persequantur quam laici et simplices sacerdotes,* inter alias causas hujus odii hanc re-

(1) Nouveau traité de diplomatique, tom. 4, pag. 614.

(2) Estius, Hist. Martyrum Gorcomiensium, lib. 3, cap. 31, pag. 288, Namurci, 1655.

(3) Libellus apolog. in eos qui ordin. FF. Minorum adversantur, quaest. 10, tom. 5 Opp. pag. 711, edit. 1745.

fert (1) : « Quarta odii causa est, quod timent sibi aliqua per nos emolumenta subtrahi, dum eleemosynae, quae dantur nobis, arbitrantur sibi fore dandas, si nos non essemus. Et haec videtur potior esse causa pluribus, qui nos odiunt, scilicet si plus inhiant lucris pecuniarum a suis subditis quam fructui animarum : » ex quibus verbis manifestum est ei non videri detrimentum parochorum, si regularibus dentur eleemosynae, secus forsan dandae parochis : quoniam hi non strictum ad eas jus habent. Tertio docebant publice FF. Minores et Praedicatores, probantibus SS. Bonaventura (2) et Thoma (3), regularibus Mendicantibus praecipue dandas esse eleemosynas et multo potius quam clericis saecularibus aliisque, qui religiosam paupertatem amplexi non erant; eaque omnia fieri absque detrimento seu laesione ullius juris parochorum. Contra, licet regulares in Belgio saepius concionentur de dandis eleemosynis pauperibus et ecclesiis, numquam vero de dandis sibimet ipsis, neque privatim suadeant sibi potius dandas quam aliis (quae omnia his temporibus speciem quamdam odii haberent); nihilominus R. D. Verhoeven, aperte detrimentum parochorum appellat (4) eleemosynas ex caritate regularibus porrectas, ut alibi fusius videbimus.

8. De jure spirituali parochorum, per sacrum regularium ministerium nequaquam laeso, jam Seraphicum Doctorem disserentem audiamus. In opusculo *Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant* (5) : « Ex praedicatione, ait, non fit eis praejudicium, quia non praedicamus illa hora in eorum ecclesiis, qua ipsi solent in festis solemnibus divina solemniter celebrare, seu praedicare, nisi ipsorum permissu. Alia hora si populus nos audire desiderat, nihil deperit eis exinde, sed accrescit. » Quod tribus dein probat rationum momentis, quae quod inferius ferme recurrent omittimus. In Libello autem apologetico, saepius jam adducto, sic proponit ultimam quaestionem (6) : « Cum (sicut ipsi asseritis) missi

(1) Determinatio quaestionum circa regulam S. Francisci. quaest. 27, tom. 5 Opp. pag. 766 et seq.

(2) Libellus apologeticus, etc. quaest. 1, tom. 5 Opp. pag. 700 et seq.

(3) Opusc. 16 contra impugnantes religionem, tom. 19 Opp. pag. 344 et 348 et seqq. edit. 1782.

(4) Pag. 65 et seqq.

(5) Tom. 5 Opp. pag. 724.

(6) Libell. apolog. in eos, qui ordini fratrum Minor. adversantur, quaest. 22, Opp. tom. 5, pag. 719.

itis in adjutorium plebanorum (*id est parochorum*), non in praejudicium juris ipsorum, quare non praedicatis populo jus plebanorum, scilicet quantum et qualiter eis subesse, obedire, et quantam habeant super eos potestatem? Videmini enim hoc tacite praeterire, ideo ut vobis magis adhaereant; et ea, quae illi donarent, in usum vestrum callide retrahitis, et sic eos jure fraudatis. »

Ad quam quaestionem ita respondet : « Qui bene advertit, saepe intelligit, quod etiam in praedicatione et consiliis hortamur subditos praelatis suis in omnibus, quibus de jure tenentur, fideliter obedire, et jura sua illis persolvere, et sententias eorum juste latas reverenter observare, et quod in hoc meritum salutis eorum ex magna parte consistit. Sed quia non valde magnificamus eos in populo, videtur eis quod parum pro ipsis faciamus. (*Aestimo tamen in missionibus aliisque solemnitatibus nihil nunc a regularibus relinqui, quod a quopiam in hac parte desideretur.*) Quare autem hoc dimittimus, plures sunt causae. Una ne videamur hoc adulatorie potius facere, ut sic captemus eorum benevolentiam, quam pro veritatis doctrina; quum praedicatio debeat esse aliena ab adulatione praesentium vel detractione absentium... Altera, quum ipsi per se saepe plus amplificent jura sua super subditos suos quam oporteat, praecipiendo quod non debent, prohibendo quae non possunt, concedendo quae non licet, exigendo indebita, fulminando sententias duras, et laqueos multiplicando animabus, quos solvere et expedire deberent; si nos addere-mus terrendo populum, et magnificando potestatem clericorum super ipsos, provocaremus amplius quorumdam clericorum audaciam, et aut faceremus simplices subditos pusillanimes, aut tumidos provocaremus ad proterviam majorem, ut magis se erigerent contra clerum... Quamvis autem nonnulli de clero plus oderint religiosos quam Judaeos, Christi adversarios, tamen si saperent, potius diligerent nos pluribus de causis. tam pro temporali utilitate, quam etiam pro spirituali utilitate sua. Una, quoniam per nostram doctrinam subditi eorum plenius solvunt jura sua, et obediunt eis, et reverentur eos amplius, licet ipsi clerici hoc non credant. Dicimus enim illis dictum Apostoli : *Obedite praelatis vestris* (1). Altera,

(1) Hebr. 13. 17.

quod beneficia ecclesiastica, quae nos teneremus, si essemus cum eis in saeculo, venientes ad Religiorem ipsis relinquimus obtinenda; quae quantum diligunt se haberé, tantum deberent diligere illos, qui eis ea relinquunt, nisi potius vellent nos mori, ut ea sic gaudentius possiderent. Tertia, quod sumus testes eorum in doctrina fidei, ut melius credatur eis quod docent, obediendum sibi esse tamquam Christi vicariis. Sunt haeretici, qui dicunt, quod clerici pro suo quaestu seducant populum, ut sibi obediant, et dent ipsis oblationes et decimas, ut inde sustententur, et ditentur et delitientur, et sine labore abundent, qui haec aliunde tam commode non haberent, et ideo confinxerint festa, et officia divina, animarum remedia, peccatorum poenitentias, judiciorum ecclesiasticorum sententias, sacramentorum administrationes, et alias solemnitates et institutiones sanctae Ecclesiae, et praelationum dignitates, ut horum omnium occasione exhauriant marsupia laicorum. Sed fideles, quum vident religiosos relinquere mundum et divitias mundi, ecclesiastica beneficia resignare et paupertatem voluntariam profiteri, et tamen haec eadem docere et credere, quae docent clerici, aufertur eis illa haereticorum suspicio, qua pro sola avaritia possent opinari praedicta omnia a clericis adinventa, quum vident illos esse testes eorum doctrinae, qui haec temporalia pro doctrina fidei reliquerunt. Quarta, quod habeant in nobis aliquem stimulum correctionis, ut minus audeant peccare et studiosius officium sibi commissum exerceant et instruantur in aliquibus, quae ignorant et ad poenitentiam provocentur et in bono amplius roborentur... Quinta, quod sumus eorum coadjutores in sublevando onere sibi imposito, ut sit eis hoc portabilius, et judicium durissimum, quod fiet in his qui praesunt, aliquo modo tolerabilius sentiant in futuro, supplendo eorum vices, praedicando, consulendo, confessiones audiendo, ubi aliqui eorum minus sufficiunt pro multitudine populi, vel pro perplexitate casuum minus ab aliquo imperito instrui possunt, vel parochiani minus faciunt quam deberent, ut quando eorum subditi timent eis confiteri ex causa aliqua speciali. Sexta, si quis inter eos timore periculi, in quo sunt, quaerit confugere ad statum tutiorem salutis, vel desiderio vitae melioris, vult ea quae in mundo sunt relinquere et statum perfectionis evangelicae apprehendere, apud viros religiosos potest quod desiderat in-

venire, qui sint Ordinis sui fideles observatores.... Septima, quod si immineret aliquando Ecclesiae necessitas, vel pugna contra haereticos, vel alios oppressores fidelium, viri religiosi deberent se promptius exponere, et quasi primi in acie se opponere inimicis.... Octava, quod sunt apud Deum intercessores per orationis studium et vitae meritum et Dominum sibi et aliis placabilem facientes pro venia peccatorum, pro gratia meritorum, pro amotione quorumcumque malorum, pro gloria coelestium praemiorum facilius obtinenda. Quae nobis praestare dignetur Jesus Christus. Amen. »

Manifestum itaque est S. Bonaventuram omnino stricte intelligere jura parochorum ; quibus proin regulares detrimentum inferre nequeant, nisi justitiam abjiciant omnemque pietatem. Quam diverse autem sentit Rev. Dominus! Ubicumque enim agit de detrimento temporali et spirituali cleri saecularis, eadem fere proponit quae confutarunt S. Bonaventura et S. Thomas.

9. Plurimum valent hactenus dicta ad elucidanda haec S. Bonaventurae verba, quae objecit R. D. Verhoeven : « Temperatissime disposuit divina Sapientia et instituit Sedes apostolica ut per Ordines praenotatos in praedicatione et confessione defectus cleri suppleantur et animae salventur (1); » ex quibus potissime conclusit regulares *tantum* in defectu cleri saecularis ministeriis sacris occupandos esse. Verum haec conclusio toto coelo abhorret a mente S. Bonaventurae, ut scite animadvertit criticus Leodiensis (2) : « Bien certainement, inquit, les paroles du S. Docteur dans l'ensemble de l'opscule, n'ont pas le sens que, prises isolément, elles pourraient présenter. Soit dans l'opuscule qui a pour titre : *Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant,* soit dans cet autre : *Libellus Apologeticus in eos, qui Ordini Fratrum Minorum adversantur,* S. Bonaventure nous parait en contradiction manifeste avec M. Verhoeven ; nous dirons même que sur la plupart des questions traitées par l'un et par l'autre, le désaccord n'est, ce nous semble, pas moins formel que celui que nous venons de signaler avec

(1) Quare FF. MM. praedicent et confessiones audiant, tom. 5 Opp. pag. 724.

(2) Journ. hist. et litt. liv. de Nov. 1846, pag. 341.

S. Alphonse de Liguori par rapport à l'interprétation de privilèges. On en pourrait dire autant de S. Thomas d'A quin (voir son opuscule *Contra impugnantes religionem*) Haec in suo responso intacta reliquit Rev. Dominus; nequ video quid respondisset, quandoquidem anno 1676 regulare hoc ipsum S. Thomae opusculum Lovanii recudendum cura rint, ut praefocarent opiniones similes iis, quas opusculum adversarii nostri (sane praeter auctoris intentum) passim excitavit.

10. Sed utriusque S. Doctoris mentem fusius explicemus S. Bonaventura ad quaesitum cur S. Franciscus novam Re gulam facere voluerit, respondet (1), S. Franciscum aestuass Christum imitari, et vitae contemplativae adjungere aposto licam, ut multos posset lucrari Deo et salvare animas, pr quibus Christus voluit crucifigi et mori : « Et quia non suffe cit ei, sic pergit S. Doctor, ut ista in propria persona tantum ageret, voluit instituere Ordinem, ut multos cooperatore haberet, *non solum in praesenti sed etiam in futuro,* qui e sanctitatis ejus imitatores exsisterent et alios Deo plurimo lucrarentur. » Ostendit dein S. Bonaventura hanc religiosa vitae formam omnium esse perfectissimam, et in haec verb concludit : « Noluit S. Franciscus esse Fratres suos adstricto ad curam animarum ex debito necessitatis, sed ex libera caritatis affectu, et ut meritum exspectarent de fructu saluti eorum et periculum evitarent de perditione eorum, participe in lucro, indemnes in detrimento, ut alios extrahant de nau fragii seu incendii periculo, ipsi tuti consistentes in solido, n periclitentur cum pereuntibus in peccato. » Ex his itaque ha bemus secundum S. Bonaventuram vitam apostolicam se sacrum ministerium *partem essentialem* esse Ordinis Seraphici Quem quum approbavit Innocentius III, simul voluit perpetu durare et per omnes terrae plagas diffundi : quod de reliqui omnibus Ordinibus dicendum quoque est, ut in ipsis Bulla rum clausulis frequenter dicitur : unde sequitur Pontifice qui Ordinem Seraphicum aliosque confirmarunt, sensisse ve clerum saecularem semper et ubique muneri suo defuturum

(1) Determinat. quaest. circa regulam S. Francisci, quaest. 1, tom. 5 Opp, pag. 747. Cfr. Legenda S. Francisci, cap. 3, tom. 5 Opp S. Bonaventurae, pag. 485 et 488

el Ordinem religiosum rite subsistere posse *quin in eo ser-ntur partes ejus essentiales,* vel principium de interdicendo gularibus sacro ministerio, ubi sufficit clerus saecularis, on esse verum : quarum conclusionum prima sane rejicienda it, utpote clero saeculari indecora; et secunda tamquam ab-ırda; nam, dum essentia alicujus Ordinis immutatur, ipsae eligiosorum professiones amplius non subsistunt : unde ıperest ut principium Rev. Domini delcatur. Adde multos a ontificibus suppressos fuisse Ordines, vel propter temporum ljuncta, vel quod a fine suo aberrarent; sed nullam Religionem ıec fata passam esse, quod clerus saecularis jam sufficeret.

11. Quum autem S. Bonaventurae objiceretur quare haec ıstitutio tunc fieret, non autem omni tempore exstitisset, ınumeris locis respondet, et quidem in hoc ipso loco quem . D. Verhoeven opponit, id insigne divinae misericordiae et ovidentiae esse testimonium, quod quo tempore innumera itia pullularent in populo, et in multis regionibus clerus a irtutis tramite deficeret, sacrum hunc Ordinem divina ıpientia induxisset. Ast multum abest ut concedat hujus rdinis conventus in his tantum civitatibus, ubi in clero esiderabatur vitae sanctimonia et rerum sacrarum peritia, onstituendos esse; sed aperte fatetur, ut alibi vidimus (1), erum Franciae et Angliae communiter suo tempore probum ıisse et doctum : et nihilominus in his ipsis regionibus non ecus ac alibi Ordinem suum propagare et stabilire omni ope ontendit. Vide insuper quam absurda secus tradidisset . Bonaventura : ut adversarius hujus S. Doctoris mentem ıtelligit, potuissent tantum FF. Minores condere conventus sacrum ministerium exercere in locis, ubi defecisset clerus ıecularis : demus in civitate quadam clerum vel minus octum, vel minus probum, vel minus numerosum aliquandiu ıisse et tunc temporis exstructum fuisse conventum et dmissos Fratres; non multo autem post clerum fuisse muta-ım et suis officiis parem esse factum : quid jam? vel conven-ıs abolendus est, vel saltem Fratres cessare debent a sacris uniis. Sed, quaeso, monachine erunt et eremitae Fratres li, an viri apostolici? Vivendumne illis erit an moriendum? x una enim parte mendicato eos vivere oportebit, ex altera

(1) Vide supra, pag. 269.

parte eleemosynae eis exspectandae non erunt, quum in salu tem civium non amplius operabuntur. Haeccine fuit mer S. Bonaventurae?

12. Sed tradit S. Doctor, opponet R. D. Professor, Ord nem Seraphicum institutum fuisse ut defectus cleri suppl rentur. Utique id tradit, sed non *exclusive,* non ut intellig R. D. Verhoeven. Supra enim vidimus a S. Doctore tra haec omnia a FF. Minoribus fieri posse quae non pugna cum stricto jure parochorum; et passim non metitur utilit tem sacri ministerii a regularibus exercendi secundum suff cientiam aut defectum cleri saecularis, sed secundum fideliu commoda et necessitatem, vel etiam secundum privileg Pontificum. Cujus asserti inumera facile testimonia collig rentur. Sed ut vela contrahamus, referemus tantum casus quibus secundum S. Doctorem, Fratres Minores, *ut pr prii sacerdotes* (1), confessiones *annuas* excipere possunt (2 « Ut autem planius liqueat, inquit, in quibus casibus, v qua forma Fratres possint audire confessiones, quaeda eorum, quae superius posita sunt, sub compendio repetan tur, quum pro diversis causis aliquotiens expediat subdit plebanorum, etiam aliis confiteri : ut promptius inveniant quos recurrant, missi sunt Fratres specialiter ut in tali nece sitate fidelibus succurrant, ad hoc a Sede apostolica destina

« Primus casus, quum ex Regula nostra approbata et co firmata a Sede apostolica, etiam *injunctum* habeamus praed cationis officium, ne fructus praedicationis inanis sit, possum ex privilegio apostolico, ubi praedicamus, etiam confession requirentium tunc audire, et absolvere, ac poenitentias injun gere auctoritate Domini Papae.

» Secundus, quum ab Episcopis similiter commissum h beamus confessionis officium, non solum de communibu sed etiam de specialibus casibus ad ipsos spectantibus possumus absolvere juxta formam confessionis ipsorum; no tantum laicos, sed etiam clericos indigentes.

» Tertius, quum plebanus licentiat subditum suum, nobis confiteatur vel ratum habet quod factum est.

» Quartus, quum pro superabundanti cautela, vel *melio*

(1) Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant, tom. 5 Opp. pag. 723.

(2) Ibid. pag. 727.

usilio, etiam vult alteri confiteri, vel *ex devotione*, quam suo
, bano.

» Quintus, quum quis vagatur per terras, potest interim
iis confiteri, dum suum non habet sacerdotem.

» Sextus, in articulo necessitatis, dum timet mori, et suum
n habet sacerdotem. »

Atque hos sex casus recenset S. Bonaventura, agens de
elibus qui parochum habent *idoneum*. Disserens vero deinde
fidelibus, quibus ineptus vel suspensus seu excommunica-
s parochus praest, alios multo plures casus refert, quos pro
verentia sacramenti poenitentiae et sacerdotalis ordinis
itto, non iisdem, quibus S. Bonaventura, rationibus ad eos
umerandos adactus. Verum ultimum, his temporibus non
nus ac olim communem, et ad solos poenitentes pertinen-
n, juverit indicasse : « Item, inquit S. Doctor (1), aliqui
bent talia peccata in conscientia, quod potius volunt non
nfiteri, quam plebanis suis ea pandere, qui semper vident
s, et coram quibus timent tota die confundi, sicut saepe
recipimus. His in tanto periculo ex compassione est succurren
im potius, quam in desperationem ponantur; hoc tali modo
te fit, ut confiteantur talibus, quos non timent, ubi consuli-
r ipsorum verecundiae et saluti. *Non est leviter praecipi-
ndus in interitum, pro quo Christus Dominus potius voluit
ortem crucis subire, quam permitteret eum perire. Et rigor
ris positivi, ubi expedit, servandus est, ubi autem salutem
xpedit, remittendus est...* » Atque haec de ipsa confessione
nua.

« Quod si aliquis plebanus sic pergit, loquens de aliis
nfessionibus, prohibet quoquo modo, ne subditi sui confi-
antur talibus, qui ab Episcopo, vel a Domino Papa mediate,
u immediate habent auctoritatem generalem confessionem
udiendi : talis prohibitio non valet,... quia non potest infe-
or sui superioris auctoritatem cassare, ut quod ille concessit.
te prohibeat... et quia, etsi plebanus satis sit idoneus, tamen
ubditi postquam jus suum ei reddiderunt, confitendo *semel
dicet in anno secundum Concilium Lateranense sub Inno-
ntio III, quando in praedictis casibus non versantur*, et alia
ebita persolvendo, si volunt et alios de salutis suae remediis

(1) Op. cit. pag. 728.

consulere, non debet, nec poterit eos prohibere. Et si poenam aliquam propter hoc eis infligeret, tale esset sicut qui puniret omnino innocentem, et damnat recte operantem, quod est error intolerabilis, et juri divino contrarius, et ideo non ferendus, imo graviter puniendus et tenetur laeso de illata satisfacere injuria, et propalavit propriam imperitiam, nesciens quid debeat, et quid possit, ac limites suae potestatis confundens.

« *Nam sicut non potest eos prohibere, quin de temporali utilitate loquantur cum quocumque voluerint : quanto magis de spirituali, et salutis consilium requirere, ubi sperat invenire?* Verbi gratia, ubi decimae debentur sacerdoti tantum si praecipit, quod nulli dentur decimae nisi sibi, intelligendum est hoc de decimis, quae sibi debentur. Sed si aliquis dederit ei debitas decimas (*intellige confessionem annuam*), et de residuo, quod suum est, vult etiam alteri cuicumque dare aliam decimam ratione eleemosynae, numquam potest sacerdos suus eum prohibere ne hoc faciat. »

Atque haec sufficiunt ut appareat numquam in mentem Seraphici Doctoris venisse, regulares a sacro ministerio arcendos esse, quum clerus saecularis sufficit, id est quum adest clerus satis numerosus, pius et doctus ; sed omnia ab eo mensurari ex necessitate, utilitate et devotione fidelium, ex Pontificum privilegiis, ex stricto parochorum jure, non ex vaga quadam convenientia ; quin etiam juris rigorem vult relaxari, quando non in aedificationem, sed in destructionem cederet ; ubi vero nullum hujuscemodi jus urgeat, tunc omnimodam esse libertatem. Quae omnia ut ipsis verbis, quae Rev. Dominus objicit, complectamur, « *per Ordines* SS. Dominici et Francisci *in praedicatione et confessione defectus cleri* negligentis et suspensi *supplentur, et* generatim et ante omnia ANIMAE SALVANTUR. »

13. S. Thomas vero multo luculentius hanc quaestionem solvit ; eumque exeunte saeculo XVII jam adhibitum reperio ab auctore libelli, quo confutatus est presbyter Jansenista Ultrajectinus, a sacro ministerio similiter arcens regulares. Objiciebatur scilicet (*a*) « probatum quidem esse, regulares

(*a*) Ten vyfden seggen sommige, dat alle deese dingen wel probeeren dat de religieusen tot de kerckelycke fonctien bequaemelyck worden ge

recte muneribus ecclesiasticis occupari, quum necessitas id exigit; sed, quum haec necessitas cessavit, et quum sufficiens clerus saecularis adest, eos cellulis suis includendos (1).» Ad quae ex S. Thoma, confutante Gulielmum a S. Amore, qui idem docebat, respondetur (2): « Nec valet quod dicunt, quod hoc posset fieri *nempe docere scientias sacras; sed idem dic de quovis sacro ministerio*); quando necessitas immineret, quae nunc non apparet quum magistrorum saecularium jam copia habeatur; quia utilitas communis non solum debet procurari, ut sit quocumque modo, sed ut sit optimo modo quo fieri potest. *Quanto autem Doctores magis multiplicantur, tanto utilitas communis, quae ex doctrina provenit, magis crescit,* quia uni manifestatur, quod alteri nondum notum est. Propter quod dicitur : *Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum* (3). Quo Zelo Moyses ductus dixit : *Quis tribuat ut omnis populus prophetizet* (4). Glossa : Fidelis praedicator optat, si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Et infra : Prophetare omnes voluit, qui bonum, quod habuit, non invidit. » Hactenus S. Thomas (5). Ex quibus liquet falsum omnino esse *sanctos regularium Ordinum viros* dixisse *mentem Ecclesiae esse ut regulares in negotiis et officiis ecclesiasticis, quaeque animarum curam saecularium respiciunt in subsidium tantum et defectum cleri saecularis generatim ab Episcopis assumantur, et quatenus clerus saecularis ad ea officia adimplenda minus aptus est;* sed contra hanc propositionem eis habitam esse ut propriam virorum, Religionem impugnantium : adeoque ab eis ex professo confutata fuit.

14. Nihilominus affert Rev. Dominus litteras apostolicas *Quae venerabiles Fratres,* quas Benedictus XIV dedit in forma Brevis ad Archiepiscopos et Episcopos nationis Ruthenae in

bruyckt, als den nood dat vereyscht; maer dat sy, den nood over synde, en alsser stof genoeg is van wereldsche priesters, naer hen cloosters moesten gaen : gelyck, seggen sy, als yemands huys brand, dan roept hy alleman te hulp; maer als den brand geblust is, dan gaet yder een wederom na huys.

(1) Wederlegginge van twee sendbrieven van P. J. M. en den religieusen staet verdedight, etc. pag. 153.

(2) Ibid. pag. 154.

(3) Sap. 6.

(4) Num. 11.

(5) Contra impugnantes Religionem, cap. 2, tom. 19 Opp. pag 299, edit. 1787.

regno Poloniae, « qui, ut ait Rev. Dominus (1), in negotiis et ministeriis ecclesiasticis viros regulares potius quam saeculares eligebant; idque ideo praestabant quod, ut Pontifex supponit, clerus saecularis sacrarum disciplinarum scientiis non satis esset imbutus. Dolet Summus Pontifex, Episcopos in ista necessitate versari, et opportuna remedia in gravi hoc negotio ab Episcopis adhibenda praescribens, ait : « Eapropter vos, » venerabiles Fratres, rogamus et in Domino hortamur, ut » primum omnium maximam cleri saecularis, in cujus subsi- » dium clerus regularis vocatus fuit, curam alacriter susci- » piatis, susceptamque strenue urgere satagatis (2). » Haec Rev. D. Verhoeven.

Ast difficulter in animum nobis inducere possumus haec non absque aliqua animi hallucinatione fuisse conscripta. Non enim in iis litteris agitur de ministerio sacro, sed *de ministris et officialibus, quorum opera in recta dioecesium suarum procuratione et negotiis uti valeant* Episcopi, qui, ipsi e monasteriis pro more Ecclesiae Graecae assumpti, *viros regulares potius, quam saeculares ad ministeria hujusmodi sustinenda eligebant* (3). Monet igitur Summus Pontifex Episcopos istos, ut alumnis nationis Ruthenae, e Wilnensi seminario, exacto studiorum curriculo, egressis *aliquam ecclesiastici ordinis et officii procurationem demandent* (4). Cavet porro Pontifex ne per hanc *commendationem ad officia et munera in curiis episcopalibus alumni Wilnenses existiment se ad illa officia et munera dumtaxat eligi debere; sed imprimis,* ait, *tenentur, imo, quatenus opus fuerit, coguntur ad sustinenda et administranda parochorum onera et animarum salutem procurandam* (5). Atque ex his satis patet e recitatis a Rev. Domino verbis nequaquam deduci posse saepedictam ejus conclusionem; quum Benedictus XIV agat de officiis honorificis, in curia episcopali a *paucissimis* exercendis, exclusa cura animarum; contra R. D. Professor de hac ipsa cura, seu potius de ministerio sacro.

Dein scopus Benedicti XIV totus diversus est: studet quippe finem imponere ignorantiae cleri saecularis Rutheni, cujus

(1) Pag. 122.
(2) Bullarium Bened. XIV, tom. 4, const. 20, vol. 10, pag. 256. edit. Mechl.
(3) Ibid. pag. 257.
(4) Ibid. loc. cit.
(5) Ibid. pag. 258.

originem maxime tribuit consuetudini, qua tantum ad munera parochialia deputabatur, numquam vero ad paulo sublimius officium ; unde, quum juventus maxime ducatur spe gloriae et utilitatis, potissimus studiorum fomes eis deerat. Vult itaque ut haec consuetudo, quatenus nata est animum clero saeculari praeripere, aboleatur : sed eam *laudat,* quatenus ex eo nata est, *quod regulares magis apti erant et idonei* (1). Tertio demum nemo dixerit synonyma esse haec Benedicti XIV verba : *In cleri saecularis subsidium clerus regularis vocatus fuit,* et haec R. D. Verhoeven : *Regulares in subsidium* TANTUM ET DEFECTUM *cleri saecularis generatim ab Episcopis assumantur :* haec quidem reperiuntur in indice Bullarii Benedicti XIV, sed non arbitror manifestas ampliationes et alterationes textus, quae saepenumero in indicibus occurrunt, venire inter leges ecclesiasticas, de quibus scripsit Rev. Dominus (2) : « Non ego, sed lex in meo opusculo loquitur. » Aliter tamen sentit personatus parochus, qui mense Aprili anni 1847 defendit *Librum Singularem* R. D. Professoris : animi gratia et ad perpetuam rei memoriam absque ullo commentario hic ejus describo verba : « Dans le peu de philosophie, inquit (3), que j'ai retenu, je me souviens d'un ancien adage, qui dit que *quiconque prouve trop ne prouve rien,* c'est, ce me semble-t-il, *le panneau dans lequel est tombé l'antagoniste* de M. Verhoeven, et pour lui montrer *jusqu'à quel point il a négligé de* S'ÉCLAIRER d'une manière CONVENABLE en proclamant l'inadmissibilité de la doctrine du professeur de Louvain, je me permettrai de recommander à ses MÉDITATIONS le texte suivant que je trouve dans L'INDEX du Bullaire de Benoît XIV : « Regulares in subsidium defectumque cleri » saecularis tantum ab Episcopis assumendi et quatenus cle» rici saeculares ad obeunda munia minus apti reperiuntur. » Cette phrase et la doctrine de M. Verhoeven, étant identiquement la même chose, je me demande si l'on ne ferait pas bien d'y penser à deux fois avant d'attaquer, comme on le fait, le *Liber singularis?* Que les hommes compétents décident. Je tenais surtout à *avoir le cœur net* sur la proposition spéciale

(1) Ibid. pag. 237.
(2) Journal histor. et litt. Janvier, 1847. pag. 449.
(3) Revue catholique de Louvain; Avril, 1847, pag. 91.

du *Liber singularis* que je viens de défendre A MA MANIÈRE. » Hactenus *un simple curé du diocèse de Malines* (1), quam tamen meram larvam esse arbitramur.

15. Porro, si conjicere liceat quid Rev. Dominum in hanc sententiam induxerit, existimamus id ortum esse ex confusione quadam rerum omnino distinctarum. Benedictus XIV scilicet multum promovit et extendit ad Graecos (2) aliosque novam disciplinam, qua monachi ad beneficia parochialia, *non annexa seu dependentia a proprio monasterio,* tunc tantum promoverentur, quum necessitas aut utilitas alicujus dioecesis id exigeret. De ea multis in locis suorum operum disserit (3); e quibus unum seligere juvat (4) : « Sane, inquit, quemadmodum negari nequit, ex veterum canonum lege, monachos et regulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse; de quo diserte pronuntiat Innocentius III in sua decretali : *Quod Dei timorem, Tit. de statu monachorum* per haec verba : *Et per antiquos canones etiam monachi possunt ad ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari, ex quo debent praedicationis officium, quod privilegium est, exercere.* Ita certum nunc est, ex recentiori canonica disciplina interdictum esse regularibus parochialem curam assumere sine dispensatione apostolica; quae dispensatio a Romano Pontifice non aliter concedi solet, quam si pro ea instet Episcopus; ab Episcopo autem sollicitanda non est, nisi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat. » Sed cura animārum parochialis, quae cogit regularem extra coenobium suum degere, omnino diversa est a sacro ministerio quod regulares, potissimum Mendicantes, exercent : adeoque Pontifices, qui a parochiis, *non subjective unitis mensae abbatiali,* amoverunt regulares, id unice fecerunt ad melius sartam tectam disciplinam regularem servandam (5), et

(1) Ibid. pag. 84.

(2) Constit. 53, *Super familiam,* Bullar. tom. 4, vol. 11, pag. 390, edit. Mechl.

(3) Desynodo dioecesana, lib. 12, cap. 4, num. 7 Opp. tom. 12, pag. 68, edit. 1766. Bulla *Quod inscrutabili,* tom. 1, num. 135. edit. Mechlin. vol. 3, pag. 181 et seqq. Motivi proposti dalla santità di Benedetto Papa XIV per risolvere l'antica controversia, etc. ap. Rigantium, Comment. in Regulas Cancellariae apost. tom. 3. pag. 288 et seqq. et alibi.

(4) Bulla *Quum nuper charissimus,* tom. 3, num. 51, edit. Mechl. vol. 9, pag. 63 et seq.

(5) Benedictus XIV, Motivi proposti, etc. § 2, num. 45 et seqq. ap. Rigantium. tom. 3, pag. 293.

propter regulam beneficiariam : *Regularia regularibus, saecularia saecularibus* (1); iidemque multis gratiis et privilegiis auxerunt regulares, ut facilius et fructuosius ministerio sacro, qualiter id exercere solebant et etiamnum solent Mendicantes et Clerici regulares, fungerentur.

16. Praeterea animadvertatur oportet monachos absque dispensatione Pontificis, etiam ex hodiernae disciplinae legibus, promoveri posse ad parochialia beneficia, subjective non vero accessorie unita monasteriis, sub hac tamen conditione ut ad nutum superioris sui amovibiles sint (2); deinde, quum Benedictus XIV ad Canonicos Lateranenses etiam extendisset (3) legem, jam pridem de monachis latam, ab ea tamen exceptos fuisse (4) canonicos Praemonstratenses, ita institutos et informatos, ut domi monasticam vitam, foris parochialem exerceant, et domi se praeparent ad curam utilissime agendam; unde factum est ut longe optimi essent parochi : quod saeculo XVII exeunte extra controversiam fuisse constat (5). Ex quibus denuo colligo antiquam disciplinam, qua universim monachi, vel recentiorem, qua canonici Praemonstratenses, ad quasvis paroecias, monachi ad paroecias, pleno jure suo monasterio unitas, nulla habita ratione sufficientiae cleri saecularis, promoventur, dicendam esse cum Ecclesiae mente pugnare, qualiter a Rev. Domino adstruitur.

17. Hinc etiam intelliget pseudoparochus Mechliniensis, qui « fatetur sibi ante lectum opusculum R. D. Verhoeven quaestiones canonicas satis peregrinas fuisse (6), » quam vim habeant ejus animadversiones ad eludendam auctoritatem Concilii Nemausensis, cui visum est, « ut his qui sua relinquunt pro Deo (*caeteris paribus*), dignius liceat baptizare, communionem dare, poenitentiam imponere, necnon peccata solvere. » Sed operae pretium est hanc Nemausensis canonis, non secus

(1) Rigantius in Regulam 43, tom. 3, pag. 257 et seqq.

(2) Benedictus XIV Motivi proposti, § 3, num. 60, ap. Rigantium, tom. 3, pag. 296 et passim auctores.

(3) Bullarium Benedicti XIV, Bulla *Quod inscrutabili*, tom. 1, num. 135, vol. 3, pag. 181, edit. Mechlin.

(4) Ibid. Const. *Oneroso sacri*, tom. 3, num. 33, vol. 8, pag. 276.

(5) Cfr. Christianus Lupus, Exhibit. Sacr. Can. stabilita, pag. 784, edit. 1690, et Korte wederleggingen van twee sendbrieven, etc., pag. 109.

(6) Revue Catholique de Louvain, Avril, 1847, pag. 84.

ac plurium aliorum, quos alibi recitavimus (1), commentationem posteris servare (2) : « En présence de ce nouveau moyen d'attaque, il m'est venu à l'esprit quelques réflexions que je donnerai *non pas comme infaillibles,* mais *du moins comme dignes d'être sérieusement pesées.*

» De deux choses l'une : ou bien le concile de Nîmes parle ici dans un sens exclusivement relatif à l'état de l'église en France au XIe siècle, ou bien il parle absolument et en général, de manière à ce qu'on doive appliquer ses expressions à tous les temps et à tous les pays. Or, il me semble que dans la première supposition la doctrine de M. Verhoeven n'a rien à démêler avec le concile de Nîmes, et quant à la seconde supposition, il est à croire que l'auteur des remarques lui-même n'oserait pas entreprendre de la soutenir.

» Je prouve la double assertion que j'émets : d'abord chacun sait quel était l'état des esprits et des mœurs au XIe siècle; alors l'ignorance et le désordre régnaient dans la plupart des conditions sociales, le clergé séculier n'était pas exempt des misères de l'époque; les monastères français au contraire produisaient des hommes admirables de vertu et de science, tels que les Anselme, les Lanfranc et une foule d'autres; rien d'étonnant donc à ce qu'on ait donné alors la préférence au clergé régulier sur le clergé séculier quand il s'agissait du salut des âmes; ce dernier était évidemment au-dessous de sa mission, et le *defectus cleri saecularis* de M. Verhoeven existait à l'évidence.

« Que si maintenant le correspondant du *Journal historique* aime mieux admettre la seconde supposition, qui consiste à regarder ce 3e canon du concile de Nîmes comme renfermant une décision absolue et de tout point universelle, je lui demanderais en premier lieu, *s'il ne s'en suivrait pas de là que les évêques, dans l'intérêt du salut des âmes, seraient obligés de ne charger des fonctions pastorales les prêtres séculiers que quand le clergé monastique ferait défaut.* Je le prierais en second lieu de me dire comment il serait possible de concilier le concile de Nîmes, ainsi compris, avec la pratique de l'épiscopat Belge, par exemple, que l'on n'accusera pas, je suppose, de connaître moins bien que l'auteur des Remarques les lois générales de

(1) Vide supra, pag. 402 et seqq. (2) Revue, etc. pag. 88 et seq.

glise. » Atque ego tertio loco orabo pseudoparochum Mechiensem, ut inspicere dignetur Regulam Cancellariae : *Regularia regularibus, saecularia saecularibus,* ad praecavendas ntroversias introductam; necnon constitutiones Pontificum, ii, ne vita communis et disciplina regularis enervaretur, verunt ne generatim religiosi ad parochias *non subjective suo onasterio unitas* nominarentur; unde facile colliget quare gulares, Praemonstratensibus exceptis, ab Episcopis non nstituantur in Belgio parochi : atque haec fieri quin ullum aejudicium fiat principio, a Pontificibus, Conciliis et sanctis ris landato, nempe regulares, vi suae professionis, caeteris ribus, rectius fungi sacerdotali ministerio quam presbyteros eculares. Et quoniam Belgii meminit pseudoparochus ille, ebit sane nobis Romae meminisse : ubi nunc media pars rochiarum, servatis constitutionibus Pontificum, administratur a regularibus, quum Mendicantibus tum aliis. Et silia obtinent in aliis quoque regionibus, quas non vastarunt timorum temporum perturbationes.

Sed nemo non videt minus agi in hac controversia de revendis regularibus a parochiis, quam a sacro ministerio liro : id sane videbat criticus Leodiensis quum similiter ursit templum Romanum; vide autem quam lepide statuat pseudoarochus noster id ad rem non facere : « Mais voici venir, in ait (1), un autre genre de contradiction au principe de M. Verpeyen. « Voyez la capitale du monde chrétien, s'écrie-t-on, malgré le grand nombre de prêtres séculiers, les Souverains Pontifes ont-ils jamais manqué d'y admettre, de protéger les ordres religieux, de les associer aux fonctions du saint ministère? Certes on ne dira pas qu'ils ignoraient l'esprit de l'église. Voyez tant de saints, de savants prélats, qui ont fait des efforts constants, d'immenses sacrifices pour établir, pour fonder les maisons régulières dans leurs diocèses. Il suffit de nommer les S. Charles Borromée, les S. François de Sales et une infinité d'autres. Ont-ils agi contre l'esprit de l'église, l'ont-ils méconnu? Et puisque la coutume est la meilleure interprète des lois, cette pratique générale ne démontre-t-elle pas l'inadmissibilité du principe en question? »

(1) Ibid. pag. 88 et seqq.

» *On comprendra sans peine que, devant un pareil morceau j'ai, pauvre hère que je suis, commencé par trembler beaucoup pour M. Verhoeven. Pourtant j'ai gagné sur moi de me familiariser peu à peu avec le coup de massue,* et voici le discours que je me suis adressé à moi-même :

» *Mais est-il bien constant qu'à Rome on n'ait jamais manqué, toutes les fois que des religieux l'ont réclamé, de les associer aux fonctions du saint ministère? Par la raison même qu'elle est la capitale du monde chrétien, Rome n'a-t-elle pas des motifs spéciaux pour admettre un plus grand nombre de réguliers à la pratique de la chaire et du confessionnal? Les Borromée, le François de Sales, n'ont-ils pas eu aussi leurs raisons particulières pour agir comme ils l'ont fait?*

» Sur aucun de ces doutes l'auteur des Remarques ne m'a fourni la moindre lumière, et pourtant c'est là le point essentiel; car M. Verhoeven n'a dit nulle part, je pense, que l'esprit de l'église était de repousser des fonctions pastorales les réguliers; mais il a dit que l'esprit de l'église était de ne les admettre que quand elle avait des motifs pour le faire. (*In defectum tantum cleri saecularis.*)

» Pour que ses raisonnements eussent quelque valeur, il serait donc à désirer que l'auteur des Remarques remaniât sa dissertation, *et comprit d'une manière plus précise le principe qu'il prétend combattre. Ce n'est qu'alors qu'il pourra, avec certain droit, invoquer la coutume comme le meilleur interprète des lois.* » Et non vidit bonus vir haec mera verba esse et voces, et apud omnes risum motura ejus dicta, praesertim : *Par la raison même qu'elle est la capitale du monde chrétien, Rome n'a-t-elle pas des motifs spéciaux pour admettre un plus grand nombre de réguliers à la pratique de la chaire et du confessionnal* dum tamen Pontificum officium esset exemplo monstrare « Ecclesiae mentem esse ut regulares in subsidium tantum et defectu cleri saecularis generatim ab Episcopis assumantur. » Quum similia commentaretur Jurieu, respondere solebat Bossuetius « satius esse nil dicere quam talia obtrudere : » neque aliud responsum ad pseudoparochi explicationem habemus.

CAPUT VIGESIMUM.

DE CONTROVERSIA UTRUM R. D. PROFESSORIS PRINCIPIUM CONVENIAT CUM DOCTRINA PISTORIENSIS SYNODI, AN CUM HUJUS CENSURA, INFLICTA A PIO PP. VI. DE IMPORTUNITATE ILLIUS PRINCIPII.

1. *Origo hujus controversiae.*
2. *Non fuit mens Synodi regulares a sacro ministerio excludere, ubi adesset defectus cleri saecularis, ut constat ex multis monumentis.*
3. *Unde non facile intelligitur quomodo* in praxi *differat sententia R. D. Professoris a doctrina Pistoriensium.*
4. *Proponit R. D. Verhoeven quaedam satis similia principio cuidam Pistoriensi.*
5. *Contendit tamen se consentire Pio VI, Pistorienses damnanti. Lectori proponuntur argumenta, ex quibus judicium ferre possit. Quam mirabili modo pseudoparochus defenderit R. D. Verhoeven.*
6. *Regulares sunt cooperatores et auxiliarii cleri saecularis.*
7. *Sed sunt cooperatores et auxiliarii perennes.*
8. *Maxime missi sunt in subsidium totius Ecclesiae militantis.*
9. *Quomodo regulares etiam missi sint in subsidium cleri saecularis.*
10. *Missionem et jurisdictionem suam habent a Pontifice, non ab Episcopis. Confundere solet R. D. Professor* approbationem *cum* jurisdictione.
11. *Quae corollaria sequantur ex hac missione pontificia. Laudes, quas meretur R. D. Verhoeven propter retractationem quamdam, licet non completam.*
12. *Regularibus tantum est jus ad sacrum ministerium quantum clero saeculari.*
13. *Principium R. D. Professoris solummodo ad jurgia susci-*

tanda valere potest, estque contumeliosum in superiorum temporum clerum.

14. *Hic tamen nequaquam contemni meretur.*
15. *Sacrum ministerium regularium in Belgio utilissimum est.*
16. *Excusatur R. D. Verhoeven.*

1. In controversia, cui locum dedit principium, quod in praesentiarum examinamus, saepius sermo factus est de Pistoriensi Synodo et Bulla *Auctorem fidei*. Contendit Rev. Dominus doctrinam suam conformem esse doctrinae Pie VI, criticus autem Leodiensis statuit unam videri pugnare cum altera. Nos quidem, qui ex aliis capitibus satis jam convulsimus R. D. Verhoeven principium, libenter ab hac quaestione duriori abstinuissemus, nisi eam praetermittendo videremur agnoscere crisim Leodiensem, licet haec nostra non sit, minus esse fundatam.

2. Decreverat autem Pistoriensis Synodus (1) : « Statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis; » et proin regulares arcendos esse a sacro ministerio, obeundo in gratiam saecularium; sed opere manuum, studio et cantu esse occupandos (2). Verum quum fundamentum hujus propositionis in hoc tantum situm sit, quod *vita monastica* sit synonyma *vitae solitariae* (3), supponendi non sunt Pistorienses eo usque stoliditatis processisse, ut negariut adagium : *Necessitas non habet legem;* seu Regulam Juris (4) : *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum;* et proin non censendi videntur religiosos amovisse a sacris muniis, ubi deficeret clerus saecularis.

Neque haec sunt merae conjecturae; sed ita reapse intellectum fuisse a Pistoriensibus colligitur ex ipso Memoriali pro reformatione regularium unde deprompta est propositio LXXX. Numero enim VI vindicantes suo modo religiosos haec habent (5) : « Mais s'ils (*les libertins*) étaient équitables et recon-

(1) Prospos. LXXX.
(2) Propos. LXXXIV.
(3) Anfossi, Difesa della bolla *Auctorem fidei*, tom. 3, pag. 271.
(4) De regulis juris, cap. 4, *Quod non est licitum*. (Lib. 5, tit. 41.)
(5) Actes et décrets du concile diocésain de Pistoie de l'an 1786, traduits de l'Italien. Pistoie, 1788, tom. 1, pag. 625.

noissans, ils devroient avouer sincèrement que, dans de meilleurs temps, les ordres monastiques ont été florissans par leur science et par leur sainteté, et qu'*ils ont donné de grands hommes* à la république littéraire aussi bien qu'*à l'église ;* » et nferius in regula I censent retinendam Regulam S. Benedicti (1) « à cause de sa sagesse, *et par reconnoissance pour les grands biens qu'elle a produits :* » dedit enim *magnos viros Ecclesiae,* nempe viros apostolicos. Praeterea in eadem sessione VI, in qua lectum fuit Memoriale istud, in decreto I de oratione, numero XXXII tulerunt hanc legem (2) : « Quant aux réguliers, le saint concile, en attendant qu'il en soit autrement ordonné, approuve les sages règlemens établis par notre très zélé pasteur, dans ses lettres à son vicaire général, du 16 mai (3) et du 8 avril 1785 (4), où il ordonne aux réguliers de tenir leurs églises fermées les Dimanches et autres fêtes de précepte, de même que la semaine sainte; et de se rendre aux offices divins et aux autres exercices de religion qui se font dans leurs paroisses respectives, *pour y rendre service aux fidèles, comme de vrais et dignes coadjuteurs des pasteurs;* » videlicet audiendo confessiones et alia munia obeundo (5). Similiter Riccius, in *Annotationibus pacificis cujusdam parochi* incusatus a Marchetti quod regulares *profugos* ad ecclesiastica ministeria admisisset, pro more avertit quaestionem, rationem dans non quare regulares *profugos,* sed quare *regulares* adhibuisset; en ejus verba (6) : « *L'état et l'église ont reçu les institutions des réguliers, afin qu'ils coopérassent avec l'évêque et les curés dans le gouvernement spirituel des peuples et au salut des âmes.* Pour cette raison ils furent, selon la discipline moderne, admis au sacerdoce, *pour être toujours prêts à accourir aux* BESOINS *des diocèses.* « Je ne » connois pas de meilleur privilége, disoit sagement un prélat » dans notre dernière assemblée (7), que d'être les coadju-

(1) Ibid. pag. 632.
(2) Ibid. pag. 550 et seq.
(3) Ibid. append. tom. 2, pag. 386 et seq.
(4) Ibid. append. tom. 2, pag. 388 et seqq.
(5) Ibid append. tom. 2, pag. 387.
(6) Lettre pastorale de Mgr. de Pistoie et de Prato, à l'occasion d'un livre intitulé : Observations pacifiques d'un curé; ap. Marchetti, Observations, etc., tom. 2, pag. 190 et seq. Paris. 1789.
(7) Intelligit conventum Florentinum mensis Aprilis, 1787, in quo pauci aliquot Episcopi cecideruntplerisque fidem tuentibus.

» teurs des curés. » Ce caractère essentiel, cette obligation intrinsèque du sacerdoce, qui, par institution divine, assujettit les prêtres au service spirituel des âmes dépendamment de leur évêque, sera donc moins efficace que quelques prétendus priviléges et exemptions, après même qu'on les a ôtés et rendus inefficaces par la disposition du souverain! » Haec Riccius die 18 Maji 1788, id est medio tempore inter celebrationem sui conciliabuli ejusque publicationem, et diu ante suam retractationem. Post Synodi publicationem Leopoldus Dux Tusciae, qui probarat Memoriale de reformatione regularium (1), in decreto IV Aprilis 1789 statuit (2) : « L'évêque aura soin que les religieux se prêtent à secourir les curés, et *à leur rendre service dans le soin spirituel des fidèles, spécialement les jours de fête, au confessionnal et en assistant les malades.* » Demum, ut alia multa mittam, in decreto XXI julii anni 1783 de nova circumscriptione paroeciarum Pistoriensium haec leguntur (3) : « Les cures, aussi bien que les chapellenies, seront données au concours, dans la forme prescrite par les ordonnances; *et quand la nécessité et le bien de l'église l'exigeront, on pourra y admettre des réguliers,* après néanmoins en avoir donné la connoissance requise à S. A. R. » Ex his et ex multis aliis facile colligitur Pistorienses sensisse modum, quo regulares quasi munus ordinarium et quotidianum sacrum ministerium obibant, componi non posse cum vita monastica; sed modus, quo extraordinarie accerserentur a parochis aut Episcopis propter dioecesis aut paroeciae necessitatem, probabatur a Pistoriensi et Pratensi Episcopo, a Leopoldo praecipuo novitatum incentore et a patribus Pistoriensibus. Quae multis ex tribus voluminibus Actorum Congregationis Episcoporum, Florentiae anno 1787 habitae, augere possemus.

3. Unde fit, ut, quod ad praescriptionem attinet excludendi sacro ministerio regulares, discrimen nullum videamus inter R. D. Verhoeven et Pistorienses (*a*). Re quidem vera in

(*a*) Quum probe perspecta nobis sit R. D. Verhoeven aversio a novitatibus Pistoriensibus aliisque id genus, non dubitamus quin sola cognatio ejus dictorum cum reformatorum placitis plurimum valitura sit apud

(1) Actes et décrets, tom. 1, pag. 677.

(2) Ibid. app. tom. 2, pag. 424.

(3) Ibid. app. tom. 2, pag. 171.

vindiciis suis gallicis scripsit R. D. Professor (1) : « Que resulte-t-il en effet des passages incriminés de mon opuscule,

eum, ut expungat e suo libello sequentia (2) : « Si vero Episcopo videretur e re sacra esse et in Christi fidelium spirituale commodum fore, ut aliqui regulares ad praedicta munera in aliqua parochia admitterentur et tamen erectio ecclesiae regularium cederet in grave damnum parochialis ecclesiae, eo in casu nobis quidem videtur remedium in promptu fore utrique rei consulendi, statuendo nimirum, ut regulares in ecclesia parochiali sacra ista munera peragerent; tunc enim consultum foret fidelium commodo, et cautum esset, saltem verisimiliter, ne praejudicium grave pateretur ecclesia parochialis. » Et haec alia (3) : « Si cuidam Ordinario constaret multos parochianos in sua parochiali ecclesia praecepto communionis paschalis non satisfacere, idque ex eo venire quod quidam regulares in suis ecclesiis saecularium confessiones excipiant, sane posset tunc Ordinarius regulares illos jurisdictione saecularium confessiones excipiendi privare per totum paschale vel per longius etiam tempus. *Nec vero is ita agendo, potestatis suae limites excederet,* UT VIDEBIMUS, ubi sermo erit de administratione sacramenti poenitentiae. » Et haec demum alia (4) : « Quum Ordinarius non debeat regularibus simpliciter et sine limitatione approbationem et jurisdictionem concedere, sed eas limitationes possit adjicere quas in Domino judicaverit expedire (*haec profecto sunt falsa* (5),) hinc fit ut, si in approbatione ab Episcopo data quaedam adjecta esset limitatio, e. g. ut non nisi praemonito parocho confessiones audire possent, ea esset ab ipsis servanda... Atqui hanc aut similem clausulam opportune quidem aliquando Ordinarii facultatibus adjicerent, quas regularibus, praesertim in majoribus oppidis residentibus, concedunt ad audiendas saecularium etiam infirmorum confessiones. » Haec quidem omnia, contra quascumque exemptiones, consuetudines et ecclesiasticas leges, pro majori bono dioecesis, aedificatione fidelium et gloria Dei, ut loquebantur Pistorienses, sub variis praetextibus praecipi possent; sed quam juste, quam prudenter, quam legitime, alia profecto quaestio est. Similiter expungere velit Rev. Dominus sequentia (6) : « Si hujusmodi clerus (sufficiens, pius, theologicis disciplinis bene instructus et animarum saluti procurandae sedulo intentus) ibi jam exsistat, quisque intelligit spirituale bonum fidelium in tali oppido vel pago non multum promovendum esse ex eo, quod ad sacra ista munera obeunda ibi praeterea nova ecclesia regularium aedificaretur; imo vero tunc potius, praeter temporale damnum ecclesiae parochiali inferendum, in spirituale Christi fidelium detrimentum hujusmodi erectio vergere posset. » Haec enim nimium accedunt ad rationes, quibus fulcierunt Pistorienses systema suum de reformandis regularibus, dicentes (7) : « Notre diocèse a déjà éprouvé les avantages manifestes d'un pareil réglement par la défense faite

(1) Journal hist. et litt. Janvier, 1847, pag. 451.
(2) Pag. 75.
(3) Pag. 108.
(4) Pag. 133.
(5) Vide supra, pag. 356 et 418 et seq.
(6) Pag. 74.
(7) Actes et décrets, etc. tom. 1, pag. 633.

sinon qu'il y a compatibilité parfaite entre les fonctions du ministère pastoral et les devoirs de la vie regulière? » Unde concludit se precise contrarium docere ac Pistorienses. Damus profecto contradictoria esse haec verba illis Pistoriensium dictis : « Statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus; » sed dicat, si placet, Rev. Dominus an *comptatibilitas* ista tam *perfecta* sit, ut regulares possint ordinarie et semper sacro fungi ministerio, etiam quum sufficit clerus saecularis, et non tantum quum parochiae aut dioecesis necessitas id exigit. Si affirmet, omnis inter eum et regulares finita erit controversia; si neget, verbis quidem et forsan logica differet a Pistoriensibus, sed sequelis seu usu perfecte cum eis concordabit.

4. Animadvertendum insuper venit aliud principium, propter quod Pistorienses admisere tantum regulares ad sacrum ministerium, quum paroeciae aut dioecesis necessitas id exigeret. Est nempe propositio LXXXII, quae habet : « *Multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem;* item, in eo quod praemittit, regularium fundatores, *qui post monastica instituta prodierunt*, Ordines superaddendo Ordinibus, Reformationes Reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare (1); » ad quam perturbationem et confusionem vitandam decrevit « unum dumtaxat Ordinem in Ecclesia retinendum esse ac seligendam prae caeteris Regulam S. Benedicti (2) : » et « inter occupationis vitae monasticae partem suam labori manuum inviolate servandam, relicto tamen congruo tempore psalmodiae impendendo, aut etiam

à tous les religieux, par notre très-zele et eclaire prelat, d'ouvrir leurs eglises les jours de fête, et par l'obligation qu'il leur a imposee d'assister à leurs paroisses respectives. Nous commençons à voir en cela un essai de l'ancienne discipline, lorsqu'on regardait comme une faute de s'absenter de l'eglise paroissiale. Mais c'est precisement ce qui nous fait voir l'inutilite actuelle de tous ces differents ordres, qui restent par ce moyen oisifs et sans emploi *(res eorum mens, quae nullis vinculis impediuntur, ita ut vix propter sufficientiam cleri saecularis quidquam agere possent!)* tandis que les individus pourraient être diversement employes et devenir plus utiles à l'etat, à l'eglise et à eux-mêmes. » Haec gallice, quoniam Italica editio nobis deest.

(1) Propos. LXXXII.

(2) Propos. LXXXIV, art. 1.

(si cui libuerit) litterarum studio (1). » Sed propositio LXXXII a Pio VI in hunc modum fuit damnata : « Intellecta de Ordinibus et Institutis a Sancta Sede probatis, *quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat;* falsa, calumniosa, in sanctos fundatores *eorumque fideles alumnos*, tum et in ipsos Summos Pontifices injuriosa; » conclusiones autem de uno Ordine monastico cum universo reformationis systemate reprobatae sunt. Jam vero perturbatio et confusio, quam Synodus criminatur, vel oritur inter ipsos Ordines, vel inter hos Ordines et clerum saecularem. Si prius dicendum sit, fatemur hoc principium in R. D. Professoris opusculo non reperiri; sed si posterius, negari non posse credimus, Rev. Dominum id commune habere cum Pistoriensibus; quin etiam, quum non pejus sonet ut res evidentissima est, asserere : *distinctam piorum munerum varietatem, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem inter hos Ordines parere debere,* quam si dicatur : *inter Ordines ministerio sacro addictos et clerum saecularem,* patet utramque propositionem iisdem vitiis laborare.

Jure autem contendimus principium, cui superstruxit Rev. Dominus suum monitum, simile omnino esse posteriori sensui propositionis LXXXII Pistoriensis. Quum enim adstruit id monitum *confici ex universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia,* manifestum est hoc monitum observandum esse, nisi quis velit *universam ecclesiasticae disciplinae oeconomiam perturbari et confundi;* quod in suis vindiciis gallicis adhuc clarius, si fieri possit, evolvit (2) : « Veut-on connaître sur ce point ma pensée toute entière? La voici. Les réguliers ne doivent être en général appelés à l'exercice du saint ministère que lorsque le clergé séculier ne peut suffire à remplir convenablement la mission particulière dont il est spécialement investi. Il est bon que le curé fasse son office lui-même, et que personne sous prétexte d'alléger son fardeau ne se pose en curé à côté de lui... Je dis (3) que tout empiétement produit le désordre, tout désordre la confusion, toute confusion l'anarchie, et toute anarchie la lutte. » Ex quibus sole clarius

(1) Ibid. art. IV.
(2) Journal hist. et litt. Janvier. 1847, pag. 451.
(3) Ibid. pag. 453.

est, plerosque regulares secundum hanc Rev. Domini explicationem non posse amplius partem essentialem sui instituti adimplere, quam primum clerus saecularis sufficit; nisi dici velint, sub praetextu alleviandi oneris, parochi locum usurpare; quae usurpatio, non secus ac omnis alia, parit perturbationem, confusionem, anarchiam et intestinum bellum.

5. Nihilominus contendit Rev. Dominus doctrinam suam consonam esse censuris, quas Pistoriensi conciliabulo inflexit Pius VI; ast sufficit ut lector dicta R. D. Professoris et censuras Pii VI inter se conferat, ut evanescat haec consonantia. Ex censuris enim colligitur regulam Pistoriensium damnari *in se* et *in consequentiis suis*. Hae autem consequentiae sunt, regulares generatim occupari non posse sacro ministerio; sed eos paratos stare debere, ut, annuente Episcopo aut parocho, advolent, quum dioecesis seu parochiae necessitas id exiget. Hae autem consequentiae declarantur *perniciosae, in sanctissimos Ecclesiae Patres et Praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt,* adeoque qui ut S. Eusebius Vercellensis (1) et innumeri post eum sancti Praesules (2) clerum suum ad vitam religiosam traduxerunt, vel etiam qui ut S. Augustinus, licet paucissimos haberet presbyteros (3), publice tamen coram concione professus est se non adscripturum clero suo alios quam viros religiosam vitam amplexos (4), *injuriosae; pio, vetusto* (id est qui jam pridem incepit et hactenus viget, nulla habita ratione sufficientiae cleri saecularis), *probato ecclesiae* MORI, tempore synodi usitato, *Summorumque Pontificum sanctionibus,* quae permittunt, ut ex ipso R. D. Professore vidimus (5), ut regulares obeant etiam ea ministeria quae facile obire posset clerus saecularis, aut quum hic generatim sufficit, *contrariae : quasi monachi, quos morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat, non rite nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae clericorum officiis aggregentur.*

(1) Vide supra, pag. 100.

(2) Cfr. Lelarge, de Ordine canonicorum regularium; in quo opere recenset Episcopos qui vitam regularem in clerum suum, maxime in clerum cathedralem, introduxerunt.

(3) In Africa presbyterorum penuria tanta erat, ut plures Episcopi duos aut tres tantum in sua dioecesi haberent. Fuse hanc quaestionem examinavit Christianus Lupus, Opp. omn. tom. 12, pag. 12 et seqq.

(4) Sermo 355, tom. 5 Opp. col. 1379 et seqq. edit. Maurin.

(5) Vide supra, pag. 417 et seqq.

Sed vide ut larvatus ille parochus haec eludere conetur : « Le correspondant du *Journal historique*, inquit (1), commence par s'efforcer de mettre le principe admis par le professeur de Louvain, en désaccord avec les paroles de Pie VI, motivant la condamnation de la proposition LXXX du synode de Pistoie.

« Pour comprendre *l'inanité profonde* de cette difficulté prétendue, il m'a suffi de jeter un coup-d'œil sur la proposition condamnée elle-même, et sur les termes qui la flétrissent. » Dein recitat propositionem et censuras, et concludit :

« D'après ces termes de quoi s'agit-t-il ici? D'une seule chose : de la proscription d'une erreur qui affirme que *jamais*, que dans *aucun cas*, les réguliers ne peuvent être investis du soin des âmes; et cela est si vrai que Pie VI lui-même commence par donner le motif fondamental de sa censure en disant : « Regula prima, quae statuit *universe* et *indiscriminatim*, etc., est falsa, perniciosa, etc. » Admisere Pistorienses regularium operam, ubi parochiae et dioecesis necessitas eam exigeret, et verba Pii VI *universe* et *indiscriminatim*, ut contextus et scopus manifeste indicat, non referuntur ad *certos casus*, sed ad Ordines regulares, quorum alii ita instituti fuere ut nullum monachis esset cum saecularibus pro sacro ministerio commercium extra casum gravis necessitatis, alii ut facile possent eo occupari, alii demum ut sacrum ministerium pars essentialis esset Ordinis; atqui *universim* et *indiscriminatim* Ordines omnes a sacro ministerio arcet Synodus, nisi necessitas secus exigat. Unde ruunt quae dein commentatur pseudo-parochus, inquiens : « Or le *Liber singularis* ne dit rien qui s'approche, fût-ce à mille lieues, d'une pareille assertion; bien loin de proclamer l'incompatibilité essentielle, *ex natura sua*, de la vie monastique avec l'exercice du saint ministère, il dit positivement le contraire; seulement il pense que le clergé séculier est le premier appelé aux fonctions pastorales et que *les évêques ne sont obligés d'y appeler le clergé régulier qu'à défaut du clergé séculier*.

» Il me semble donc de toute évidence que, s'il se rencontre des lecteurs qui voient dans les paroles de Pie VI l'ombre d'une condamnation tombant sur les principes de M. Verhoeven, ce sera la faute de ces lecteurs et rien de plus.

(1) Revue Catholique, Avril, 1847, pag. 86.

» L'auteur des *Remarques,* il est vrai, pour bâtir son échafaudage accusateur, ne veut pas tenir compte des circonstances que nous venons de détailler; il va même plus loin, il prétend mettre totalement à l'écart la proposition condamnée elle-même, et plusieurs fois il affirme que les paroles du Souverain-Pontife doivent être prises d'une manière absolue. *On avouera que c'est là du bizarre s'il en fut jamais; car il n'est pas jusqu'au plus simple clerc de procureur, jusqu'au basochien le plus imberbe, qui ne sache qu'il est absurde de vouloir comprendre ou expliquer les motifs d'un arrêt sans accorder la moindre attention au délit qui l'a provoqué* (*a*). » Hactenus *simplex parochus Mechliniensis,* qui videtur in paroecia sua habere multos imberbes paroecianos.

Deinde Regula II, qua maxime impetebantur Mendicantes et clerici regulares (*qui post monastica Instituta prodierunt* (1)), quasi naturaliter per eorum multiplicationem et diversitatem inferretur perturbatio et confusio, damnatur a Pio VI non tantum ut falsa et calumniosa et injuriosa in sanctos fundatores, sed etiam ut injuriosa *in fideles eorum alumnos,* seu in eos qui secundum suum institutum tempore Pii VI, quum sufficiebat passim clerus saecularis, variis piis muneribus vacabant, quin etiam injuriosa in ipsos Summos Pontifices, qui in perpetuum approbarant eorum Ordines eosque conservabant. Quae eo majoris ponderis sunt, quod haec non ut mere theoretica sed ut pratica damnantur, quandoquidem omnes conatus eo tendebant ut amoverentur a sacro ministerio Mendicantes et Clerici regulares (2).

6. Sed quaeret jam lector an negemus Mendicantes et Clericos regulares missos esse in subsidium cleri saecularis (3), ad alleviandum onus clericorum saecularium (4), eos subvenire praelatis in ministerio praedicandi et confessiones audiendi (5), adjutores esse et cooperatores Episcoporum (6),

(*a*) Atque propter hanc causam duximus rationem habendam esse litterarum pastoralium Riccii aliorumque documentorum.

(1) Vide supra, pag. 452.

(2) Cfr. prior epistola apologetica Scipionis Riccii anni 1787, pag. 73 et seqq. ap. Marchetti Observations pacifiques, tom. 1, app. pag. I et seqq.

(3) Benedictu XIV, vides supra, pag. 440.

(4) S. Bonaventura, vide supra, pag. 432.

(5) S. Thomas, Summa, 2, 2, q. 188, art. 4, ad 2.

(6) Clem. De sepulturis, cap. 2, *Dudum.* (Lib. 3, tit. 7.)

manum subsidiariam divino consilio submissam ad bellanda bella Domini (1), eos non Pastoribus aemulos venire sed adutores et administros (2), et demum auxiliatores esse cleri aecularis (3). Absit id a nobis negari; sunt cooperatores, sunt missi in subsidium, sunt auxiliatores; sed non tales, ut adhibendi tantum sint, quum id Episcopis propter defectum cleri aecularis consultum visum fuerit; verum cooperatores, subsiliarii, auxiliatores perennes. Quod adeo verum est ut Febronius id aperte fateatur, quum docet *regulares non* FACTOS ESSE *per Concilium Tridentinum ejuscemodi subsidiarios, qui adhibendi tantum sint quum necessitas id exigit, sed eos tales subsidiarios jam* FIERI *debere.* En ejus verba quae probe consideranda sunt : « Ex Actis et Historia Concilii Tridenini constat plures ex Patribus institisse, ut authoritate Concilii haec privilegia omnino revocarentur, regularibus ad primaevum suum statum reductis, vigore cujus *nonnisi ut auxiliares et subsidiarii Praelatorum ac pastorum ordinariorum in hierarchicis functionibus, atque ab horum beneplacito dependentes considerandi veniunt.* Ast *restiterunt non solum illorum ordinum generales eorumque patroni, sed vel maxime curiales.* Nec mirum, etc. » Neque negat Febronius eos non posse esse perennes et quotidianos cooperatores, quum id necessitas exigit, sed plane id concedit his verbis : « Fortasse dices concedendae facultatis hujusmodi magnam tum (*saeculo* XIII) fuisse necessitatem et talem quidem quae se etiam ad futura tempora extenderet. Si hoc est, non renuo; necessitati enim summae parendum est; et ea reapse vigente, Summo Pontifici haud dubie competit potestas sacerdotes debitis facultatibus instructos mittendi quo demumcumque locorum tanta necessitas urget; » et inferius etiam paulo plus concedit; ubi, postquam tradidisset « ministerium regularium in hierarchicis functionibus nullius verae et proprie dictae necessitatis esse,...

(1) Humbertus de Precipiano, Epist. pastor. 12 oct. 1692, cap. 20, in Synodico Belgico, tom. 2 pag. 416; et Stephanus Fallot de Beaumont, Litt. pastorales 28 Nov. 1803, Recueil de quelques brefs et de toutes les instruct. pastorales, etc. tom. 1, pag. 293, Bruges, 1807.

(2) Imago primi saeculi Societ. Jesu, lib. 6, cap. 1, pag. 739.

(3) Simpson, epist. ad P. Thomam, praefect. miss. Lavalensium, ap. Crétineau-Joly, Hist. de la Compagnie de Jesus, tom. 6, chap. 3, pag. 161, Bruxelles, 1846.

idem periculosum fieri mox atque a sollicitudine pastorali primi et secundi ordinis independens esse praetenditur... maxime autem damnosum evenire, quando ad spiritum independentiae accedit spiritus singularitatis, forte ex peregrino jure aut theologia assumptae, » continuo subjicit : « *Attamen haec non impediunt quominus primi secundive ordinis pastores unum alterumve religiosum, pro re nata, circumstantiarum exigentia et suo arbitrio, in adjumentum suae sollicitudinis adhibeant.* » Ex ipsis itaque Febronii verbis manifestum est eum novitatem inducere voluisse, quum statuit *contra* Concilium Tridentinum regulares extra necessitatis casum debere fieri tales *auxiliares et subsidiarios praelatorum ac pastorum ordinariorum*, qui tantum *horum arbitrio, pro re nata, et circumstantiarum exigentia in adjumentum* Episcoporum et parochorum *sollicitudinis adhiberentur.* » Idem docebat, ut vidimus, Scipio Riccius tradens presbyteros regulares semper debere stare *paratos* ad subveniendum dioeceseon *necessitatibus*, et praecipuum eorum esse privilegium *coadjutores esse parochorum*, id est, quemadmodum ipse intelligit, ut *pro re nata, circumstantiarum exigentia et* parochorum *arbitrio in adjumentum* eorum *sollicitudinis adhiberentur.* Ita sentiebant illi Ecclesiae hostes.

7. Verum, si hoc modo regulares cooperatores essent cleri saecularis, si ita missi in subsidium et auxilium Episcoporum et parochorum; dicendum potius esset eos non esse cooperatores, nec missos in subsidium et auxilium cleri saecularis, quandoquidem *per accidens* tantum cooperarentur, subsidium ferrent et auxiliarentur clericis saecularibus. Etenim pro systemate R. D. Professoris, nisi *per accidens* haec praestarent, sequeretur ordinariam et praesumptam conditionem cleri saecularis ejuscemodi esse ut suis officiis obeundis impar habeatur. Quae nemo absque contumelia dixerit. Quamobrem olim, siqui Episcopi minus aequi regularium ministerium amolirentur, non nitebantur principio regulares suos tantummodo esse adjutores, subsidiarios et auxiliatores, ut hinc deducerent sibi eorum operam in defectu tantum cleri saecularis adhibendam esse : sed negabant hoc ipsum principium eosque ut adjutores suos rejiciebant. Habemus id ex Fagnano (1), qui docens quantum

(1) Commentar. in 2 part. lib. 1, decretal. de Majorit. et obed. cap. *Quod super his*, num. 29, tom. 2, pag. 500, Coloniae, 1681.

dedeceat privilegia violari ab Episcopis, quibus regulares observiunt et coadjutores exsistunt in praedicatione verbi in sacramentorum administratione, et in caeteris quae ad salutem pertinent animarum, » refert ex Hostiensi dolendum esse « *quod Episcopi* (aliquot) *non agnoscant regulares esse coadjutores suos.* » Quocirca contendunt regulares se esse copias auxiliares, missas a summo principe, quas inferiores amandare nequeant.

8. Ast non tantum in cleri saecularis auxilium, verum etiam in subsidium totius Ecclesiae vocantur regulares. Nota est visio Innocentii III, quam refert S. Bonaventura (1) et calculo suo probat Benedictus XIV (2), et in qua Pontifex vidit Lateranensem ecclesiam, convulsis fundamentis, ruinae proximam, S. Francisci suppositis humeris fulcitam; quamobrem, ut Lucius Ferraris (3) ex Kazenberger (4) tradit, in coronatione Papae tertia collecta canitur de S. Francisco, ut sicut *reparavit* Ecclesiam, eamdem *sustentet.* Per S. Franciscum autem Ordinem Minorum intelligi patet vel ex hoc solo, quod haec visio induxerit Innocentium III ad Seraphicum Ordinem approbandum. Insuper audivimus saepius S. Bonaventuram dicentem regulares non tantum in subsidium cleri sed maxime in auxilium et salutem populorum missos. Similiter S. Thomas in opusculo contra impugnantes Religionem exhibet regulares cooperatores Summorum Pontificum, Episcoporum et presbyterorum parochialium, ante omnia tamen auxiliatores fidelis populi; Praemonstratensium Ordinem *in ecclesiae firmamentum* institutum affirmat Bonifacius VIII (5); Cisterciensium congregationem *magnam Ecclesiae columnam* appellat S. Antonius (6); secundum Alexandrum V Religio Eremitarum S. Augustini in agro Dominico opportune plantata est ad Dei laudem, illustrationem Ecclesiae, extirpationem haeresum et schismatum, religionis propagationem et ad Christi fidelium salvandas animas (7); utque similia de aliis religiosis Ordini-

(1) Legenda S. Francisci, cap. 3, num. 5 Opp. S. Bonaventurae, pag. 588.

(2) Oratio in comitiis generalibus O. F. Minorum anno 1750, pag. 8.

(3) Biblioth. canon. v° Religiones regulares, art. 1, num. 32, tom. 6, pag. 605, edit. 1783.

(4) Supplem. Theolog. Sporer. in praerogat. Ord. Seraphici.

(5) Wederlegginge van twee sendbrieven, pag. 107.

(6) Ibid. pag. 105.

(7) Ibid. pag. 102.

bus brevitatis causa mittam, de Societate Jesu in oratione S. Ignatii canitur : « Deus, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, *novo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti,* concede, etc. » Unde, si regulares nuncupandi forent cleri saecularis mere subsidiarii, sequeretur clerum saecularem militantem Ecclesiam esse : quod nemo sanae mentis dixerit. Hinc deducimus peculiaria commoda et voluntatem cleri saecularis minus considerari ab Ecclesia quum regulares in suum adsciscit subsidium; sed necessitatem utilitatemque Ecclesiae universae, maxime populi fidelis.

9. Quum vero in Ecclesiae subsidium mittimur, ut per sacramentorum administrationem verbique Dei praedicationem saluti animarum promovendae allaboremus, facile patet hoc ipso nos in subsidium seu levamen cleri saecularis, iisdem muneribus occupati, venire. Illi quidem honoratiorem locum cedimus, quantum res ferunt libenter ei morem gerimus (*a*) : jura parochialia prorsus ei relinquimus, templa quibus deservit non invadimus; sed ejus ministerio nostrum adjungimus, ut Christi fideles abundantius, liberius et magis varium sacerdotale obsequium sibi paratum habeant; hinc sublevamus illius pastorale onus, ipsis angelicis humeris formidandum; cum ec bellamus bella Domini adversus communem hostem, parati in fronte aciei stare et prima adversariorum excipere tela; ec

(*a*) Quandoquidem pseudoparochus Mechliniensis (1) epistola P. Simpson ita abusus sit ut eam citarit ad ostendendum hunc Patrem idem sensisse ac Febronium, juverit lectorum oculis subjicere integrum textum Crétineau-Joly (2) : « Le 27 juillet 1819, Simpson (*provincial des Jésuites de France*) conseille au P. Thomas, chef des missionnaires de Laval, une extrême déférence envers le clergé du Mans : Rappelons-nous, lui mande-t-il, que nous ne sommes que les auxiliaires des prêtres séculiers, que nous professons comme religieux un état humble et pauvre, que nous devons regarder les autres comme nous étant supérieurs, et que Saint Ignace a donné pour titre distinctif à notre Société celui de Petite Société de Jesus. » E haec commendatio religiosae humilitatis conveniret cum doctrina quam Febronius Concilio Tridentino adversari profitetur! Alliud est esse auxiliares, aliud subsidiarios in defectu aut pro arbitrio cleri saecularis Expresse statuit S. Ignatius socios suos stare ad arbitrium solius Summi Pontificis.

(1) Revue Catholique de Louvain, Avril, 1847, pag. 89.

(2) Hist. de la Compagnie de Jésus, tom. 6, chap. 3, pag. 161, edit. Bruxell.

facto vitam Apostolorum conamur renovare et conservare, et secundum praecellentissimum modum perfectionem exercere religiosam. Neque haec quisquam aegre ferre potest, quum in exercitu Domini nemo inveniendus sit, qui sua quaerat non quae Jesu Christi; qui malit victoriam amitti aut periclitari, quam ut cum aliena adjuncta opera reportetur; qui quae ipse non agit, in suam contumeliam agi reputet; qui minus cogitet animarum salutem, quam nescio quem vanum sui ministerii splendorem; seu qui ex historia et ex his, quae quotidie fiunt, non colligat, quo plures sint boni sacramentorum Deique verbi administri, eo magis accrescere populi religionem et fidem, et vulgo ex multiplicatis operariis non minui singulorum operam, verum etiam augeri. Hoc modo in subsidium seu auxilium cleri saecularis venimus; nequaquam quasi per accidens, et in cleri saecularis defectum : quemadmodum satis superque ostendimus. Quamdiu autem, renitentibus parochis seu Episcopis, in parochialibus templis neque concionamur, neque sacramenta administramus, aut certa parochorum cura, ut collationem extremae unctionis et viatici, benedictionem nuptialem et alia id genus nobis non vindicamus, non magis sub praetextu alleviandi oneris locum parochorum invadimus, quam quum presbyteri unius parochiae incolas alterius absolvunt a peccatis, sacra communione reficiunt, ad suas admittunt conciones. Semper enim ad doctrinam S. Bonaventurae redeundum est, et probe mente tenendum non omnia quae fiant contra alicujus voluntatem, cum ejus injuria fieri.

10. Animadvertendum etiam est regulares saltem Mendicantes, non ab Episcopis mitti sed a Sancta Sede. Re quidem vera ad Dei verbum publice annuntiandum in suis ecclesiis regulares petant oportet ab Episcopo benedictionem, eamque obtineant necesse est ut in alienis ecclesiis concionentur; neque confessiones valide excipere possunt absque approbatione Episcopi : attamen certum est, positis his conditionibus, jurisdictionem pontificiam per superiores regulares eis conferri in quoscumque fideles dioecesis, in qua approbati fuerint; quod adeo verum est ut plures graves Doctores arbitrentur Franciscanos et nonnullos alios propter peculiaria statuta inhabiles esse ad jurisdictionem episcopalem admittendam, et proin invalidas fore absolutiones, quas cum quibusvis Ordinariorum diplomatibus impertirentur, nisi simul per licentiam superiorum

regularium pontificia eis collata esset jurisdictio (1). Apud alios autem regulares, ubi similia decreta non vigent, obtinet regula *Beneficium non praejudicare beneficio;* iique vel alterutra vel utraque jurisdictione investiri possunt. Haec forsan alibi multo fusius explicabimus, ubi agendum nobis erit de approbatione episcopali; quam, non advertens satis, cum jurisdictione confundere solet R. D. Verhoeven (2), licet utriusque distinctio ad prima theologiae moralis elementa pertineat. Sed parum curanda haec mentis avocatio.

11. Quum itaque regulares pontificia jurisdictione seu missione ornentur, eaque expedita sit ad usum, quam primum adimplerint conditiones statutas a Concilio Tridentino; manifestum est nequaquam « juvare, ut loquitur R. D. Professor (3), observationem Episcopum esse judicem an clerus saecularis suae dioeceseos idoneus sit et sufficiens ad poenitentiae sacramentum administrandum (aliave munia sacra obeunda) : » neque recte ab eodem regulares moneri « eos jure conqueri non posse, si ad confessiones saecularium excipiendas ab Ordinario non deputentur : » nam id ageret Episcopus contra consuetudines, exemptiones seu privilegia, reservationes et ecclesiasticas leges, et proin offenderet ad propositionem VII Synodi Pistoriensis, alibi a nobis relatam (4). Certum enim est ac omnibus manifestum plurimas esse regularium constitutiones, quae illos adstringunt ad salutem animarum per ministerium sacrum procurandum, quae proinde, quoniam a *superiori hierarchica potestate inductae et probatae sunt ac vim legis obtinent, sine* ejus *venia et interventu* tolli nequeunt. Quae si ita sint, non perspicimus quomodo Episcopus judex esse possit de opportunitate adhibendi regulares sacro ministerio. Huc etiam facit, quod regularium Institutorum cum clericalis ordinis muneribus consociatio in censura propositionis LXXX, ut saepe jam vidimus, generatim vocatur *pius, vetustus, probatus Ecclesiae mos,* seu consuetudo, contra quam consequenter nihil proprio judicio et arbitratu statuere et decernere potest Episcopus, non solum sub praetextu sufficientis cleri saecularis, sed ne sub praetextu quidem *boni ordinis dioecesis* suae, *majoris gloriae Dei et majoris aedificationis fidelium.*

(1) Cfr. Cherubinus Mayr. Trismeg. pontif. lib. 5, tit. 38, § 2, tom. 3, pag. 399 et seqq.
(2) Pag. 126, 128 et passim.
(3) Pag. 123.
(4) Vide supra, pag. 420.

Haec jam perspecta esse R. D. Professori, et proinde partim am ab eo retractatam et ejuratam esse doctrinam, quam agredimur, ex animo ei gratulamur : nil minus de ejus religione praestolati. Quum enim in Libro singulari scripsisset (1) : « Sed t illud hic observare juvat, EPISCOPUM ESSE JUDICEM, etc. ; » in indiciis gallicis mentionem fecit Sumni Pontificis : « C'est *à évêque,* inquit (2), ET AU SOUVERAIN PONTIFE d'apprécier s'il ne convient pas enfin de lui adjoindre des religieux saints de vie t purs de mœurs. » Quum autem planum sit verba : « *C'est à évêque et au souverain pontife d'apprécier,* » intelligi a Rev. Domino *conjunctive* non autem *disjunctive,* et proin Ordinarium nil posse contra regularium sacrum ministerium absque interventu Summi Pontificis, delenda est conclusio « Clerum regularem jure conqueri non posse, si ad confessiones saecularium excipiendas ab Ordinario non deputetur. » Etenim, reformata doctrina nixi, conqueri possent regulares judicium Pontificis, quod jam ut necessarium admittitur, posthaberi; irritam fieri missionem, sibi datam a Pontifice; partem essentialem sui Instituti absque interventu auctoritatis legitimae cassam fieri; se a vita apostolica ad statum eremiticum traduci; verbo nullam rationem haberi constitutionum apostolicarum : totidem sane graves conquerendi causae.

12. Ex eodem de pontificia missione principio sequitur insuper regularibus non minus esse jus ad sacrum ministerium quam parochis, vicariis aliisque, missione episcopali munitis. Non enim oritur istud jus ex nativitate, baptismo aut solo presbyteratu, ut definivit Concilium Tridentinum (3), quae caeterum regulares cum saecularibus clericis communia habent); sex ex canonica ordinatione et missione (4); unde, nisi quis dicere voluerit missionem Pontificis minoris valere quam missionem Episcopi, aut regulares per professionem suam minus idoneos esse factos ad sacrum ministerium quam clericos saeculares, superest ut utrisque idem saltem adscribatur jus, quum utrique canonica missione deputati seu delegati fuerint. Si quis secus contenderit, proferat titulos, exhibeat Ecclesiae leges, ostendat pontificia diplomata. In Belgio locus etiam non est exceptioni clerum saecularem

(1) Pag. 123.
(2) Journ. hist. et littér. Janvier, 847, pag. 451.
(3) Sess. 23, can. 7.
(4) Ibid. loc. cit.

antiquitate praecedere clero regulari ; nam omnibus notum est totum fere Belgium a regularibus ad fidem esse conversum et immensum paroeciarum numerum a monachis olim erectum et occupatum fuisse (1). Caeterum nihil hac exceptione inanius est, quum non antiquitas, sed vocatio legitimum faciat sacrum ministerium.

13. Sed quorsum haec omnia? An ita exuberat in Belgio clerus saecularis, ut ibidem regulares supervacanei sint? ut ab Episcopis, etiamsi verum foret R. D. Verhoeven principium, a sacro ministerio modo amovendi videantur? Nequaquam, multum plurimumque abest, ut colliget lector ex iis quae de exstruendis monasteriis inferius commentabimur. Ast principiis obstandum est, neque permittendum ut exitiosae regularibus opiniones in patria radices agant. Enimvero valde laxum est principium a Rev. Domino propositum; et siqui aliquando praesules eo niti vellent qualiter in Libro Singulari enuntiatur, facile ad eremiticam vitam redigerent quotquot sunt regulares, ad sacrum obeundum ministerium institutos. Cujus rei exemplum praesto est : postquam anno 1622 Rovenius, missionis Hollandicae apostolicus Administrator, Jansenium, Lovanii adhuc degentem, convenisset et ab eo didicisset artes amovendi a missione Hollandica Patres Societatis Jesu aliosque regulares, inter alia quae in hunc finem rescripsit ad nuntium Apostolicum Bruxellensem, reperitur istud assertum : se regularibus non indigere; sufficere sibi clerum saecularem. Porro quot crederes ei tunc affuisse *validos* e saeculari clero operarios? Ad summum quinquaginta aut sexaginta. Adde, quam primum clerus saecularis contendit se satis numerosum esse, sacrum ministerium regularium secundum principium Libri Singularis in contumeliam cedere saecularium clericorum; siquidem id testimonium foret hos « ad officia adimplenda minus aptos esse (2) » seu non satis esse « pios, theologicis disciplinis bene instructos et animarum saluti procurandae sedulo intentos (3). » Proh! principium, talibus consequentiis grave, tot jurgiorum scaturigo, injuriosum clero superiorum temporum, mentem ecclesiae exprimeret!

14. Neque est quod praesentem clerum Belgii clero ante-

(1) Raepsaet, Analyse des droits, etc., num. 329 et passim.

(2) Pag. 122.

(3) Pag. 74.

iorum temporum praeferamus; nam ut maximi faciamus oaevos, nil cogit praedecessorum minuere virtutes; de quibus eibnizius scribebat ad Bossuetium (1) : « Encore présentement, s'il s'agissait de marquer dans votre communion *ecclesias doctiores et diligentiores*, il faudrait nommer sans oute celles de France et des Pays-Bas. » De moribus vero leri Lovaniensi scribebat eodem fere tempore Parival in listoria Lovaniensi sequentia (2) : « Tous les ecclesiastiues en general s'acquittent de leur devoir, et l'on n'entend arler d'aucun scandale, *quoyque le nombre soit tres grand.*)ue si le contraire arrive (car l'église ne juge jamais des echez inconnus) et que cela vienne a la connoissance de eveque, celuy la est chatié inexorablement; tant la discipline st bien maintenue. Autant en peut-on dire des nonnains, beuines et filles devotes, qui se contiennent dans les termes de eurs instituts, sans s'egarer de ceux de leur devoir. » Superacaneum foret plura ejuscemodi colligere testimonia.

O quantum a vero aberrant, qui nunc tandem hoc saeculo umen in Belgio ortum arbitrantur! qui id fere omne, quod psimet a pueritia didicerunt, decessoribus ignotum fuisse rbitrantur! qui quam primum aliquid ex novello opusculo auriunt, id nunc demum e tenebris erutum aestimant! qui on advertunt eodem pacto secum actum iri a futuris sciolis, uo ipsimet dijudicant, arguunt et deprimunt antecessores! Quocirca inquirenda sunt opera patrum, investigandae eorum otes, examinanda industria, peritia et labor; ne secus eis illa denegemus, quae, dum certissima sunt, omni laude sunt honestanda; dum vero temere praetercuntur, unam nostram incusant segnitiem et ignorantiam.

Equidem libenter lectorum oculis subjicerem integram descriptionem, quam Scribanius, vir maximi ingenii et prudentiae, circa annum 1626 de Belgarum divitiis, industria, commercio et peritia contexuit; ast satis sit illas ex eo referre laudes, quae propius ad mentis exercitium pertinent : « Belgium, inquit (3), pictores habet et arte praestantissimos et

(1) Lettre du 14 Mai, 1700, num. 36. Projet de réunion, etc. OEuvres complètes de Bossuet, tom. 38, pag. 344, Paris, 1827.

(2) Pag. 191, citat. a Piot Hist. de Louvain, pag. 319.

(3) Civilium apud Belgas bellorum initia, progressus, finis optatus, Antverpiae, 1627.

numero plurimos, ut unica Antverpia, urbs non adeo ampla, plures pingendi artifices alat, quam universa simul Germania, Gallia, Italia, Hispania. Quae vero hic fiunt opificia mecanica, opera et instrumenta, omnia terrarum exterarum opera elegantia et arte superant. Incolas videbis linguarum peregrinarum, etiam diversarum, ita peritos, ut in alienone quam materno idiomate versatiores sint addubites; et non raro, etiam mulieres, quinque diversis linguis loquantur; paucos quoque reperias, qui non saltem binas ternasve calleant. In studia et litteras natura propendent; et laborem eorum, quam aliae nonnullae gentes, ferunt facilius : quodque longe pulcherrimum, nulli non arti scientiaeve sese applicant, jurisprudentiae, theologiae, philosophiae, mathesi, litteris humanioribus. Linguarum graecae, hebraicae et aliarum externarum, quibus doctrina traditur, cognitione, et imprimis latinae, ita excellunt, ut hanc quis iis nativam existimet : latine autem dum scribunt, eam spirant elegantiam, ut stupori sint omnibus, adeoque nulla aut ars est, aut scientia, quam ignorent. » Atque haec edebat Scribanius, non ut exteris fucum faceret; sed in Belgio pro Belgis, ut eis rationem redderet quare Rex Hispaniae tantum auri pondus Belgio recuperando et tuendo insumpsisset. Porro, si is tantusque esset populus, quem quantumque fuisse clerum, populo praecuntem, arbitrabimur, credemus? Valeant itaque intemperatae istae laudes, quibus juvenibus persuadeatur eos jam ad omnia sufficere, nil in eis desiderari, tanto eos antecellere veteribus quanto splendorem solis lunae pallori : ad id unum scilicet haec valent ut juvenes illudant senioribus, ut multa temere agantur et ut superbia locum scientiae occupet. Sed de his hactenus.

15. Quod vero attinet ad pietatem populi, fidem aliasque virtutes, per miseriam temporum et partim per coenobiorum suppressionem factum esse ut multum distemus a majoribus, quis lugens non fateatur? Et, ut multa alia taceantur, quis ex concionatorum verbis non intelligat scabie confessionum sacrilegarum Belgium infectum esse? Ad quod medendum malum nullum forsan praesentius remedium est, quam major copia et varietas confessariorum. Recte sane in hanc rem statuerunt Episcopi nostri ut parochi saltem occasione Adorationis perpetuae populo suo procurarent extraordinarios confessores; recte illustrissimus Episcopus Brugensis et, ni fallor,

lii etiam Praesules in mandatis dederunt decanis, ut inter isitandas paroecias sedulo indagarent « an parochi eorumue vicarii *mutuos* poenitentes infirmos visitarent, quod onnumquam unicum sit medium sacrilegas confessiones rearandi (1) : » sed quis neget multa ejuscemodi praepeditum i sacrilegia, si plures in Belgio essent regulares, adeo ut ristinae stationes, quarum emolumenta nemo prudens neabit, restaurari possent? Et quidem nunc non raro viginti ineris milliaria instituunt peccatores, ut apud presbyterum egularem sarcinam suam deponant; et in universum expeientia certissima constat generatim duplex genus hominum, alde inter se diversum, regularium adire confessionales edes, pientissimos scilicet perfectionisque Christianae avidos, t maximos peccatores : quis autem hoc illis perfectionis ubsidium, quis his hanc salutis tabulam eripiat, neque faciorem fieri velit? Praeterea, licet ubique fere in Belgio uotannis crescat sacramentorum usurpatio, certum tamen st plurimum ad id conferre regulares, tam in locis, ubi egunt, tum in illis ad quae excurrunt, pia missionum exeritia tradituri. Demum plures Belgii Praesules saepius auditi uere dicentes, sibi persuasum esse salutem majorum civitaum exspectandam esse a conjunctione sacri ministerii reguarium cum parochiali opera cleri saecularis.

Ne vero haec minus secundum rei veritatem quam pro ecessitate argumenti nostri adstruxisse videamur, opportuum arbitramur hoc loco lectorum oculis subjicere quae de leri nostri numero duodecim tantum abhinc annis conscriosit presbyter dioecesis Brugensis, vir oculatissimus et scientia rudentiaque nemini impar : « Il nous reste à voir, inquit (2), il a réparé toutes ses pertes... D'après les renseignements, ue nous nous sommes procurés, il se trouve, quant au ombre des prêtres et aux besoins des fidèles, une assez rande différence entre nos différens diocèses. On ne se plaint uère de disette dans les Flandres et dans le Brabant. Peu de aroisses y sont dans le besoin, faute de prêtres et d'instruction. Quelques ecclésiastiques de plus, en certains endroits,

(1) Statut. dioec. Brugensis, part. , tit. 2, § 3.

(2) Situation de l'église en Belgique. Clergé Belge, Journal histor. et littér. Liége, tom. 1, pag. 105 et seqq.

pourraient s'employer utilement sans doute; et si les ressources des communes le permettaient, telle paroisse aurait un second ecclésiastique qui s'en passe aujourd'hui. Il est encore à observer (et cette remarque est bien propre à nous contrister) que, si dans beaucoup de lieux le nombre actuel de prêtres suffit aux besoins les plus pressans du peuple, ce n'est pas que ce nombre soit grand, ni même qu'il soit proportionné à la population; mais c'est que, malheureusement, une partie de cette population a cessé de remplir ses devoirs religieux et se passe du ministère du prêtre. Cette remarque s'applique surtout aux endroits peuplés d'ouvriers de fabriques, aux grandes villes, aux foyers de la corruption. Une paroisse de douze, treize, quatorze mille âmes, est confiée aux soins d'un curé et d'une couple de vicaires; la besogne se fait, les secours spirituels arrivent où ils sont demandés; mais un tiers de cette population vit dans un abrutissement extrême, ne s'approche plus des sacremens, même au temps pascal (1). A l'aide de cette remarque, on s'explique comment un nombre de prêtres peu considérable suffit aujourd'hui aux besoins d'une grande population; sans cette remarque, l'explication serait difficile; car, quel que soit le zèle d'un ecclésiastique, ses travaux sont bornés, et il ne saurait se multiplier. Cette remarque se fortifie d'ailleurs et se confirme par une autre remarque. Transportez-vous dans une paroisse vraiment bonne, dans une paroisse où la dévotion et la piété ne sont pas encore refroidies par l'esprit du monde, par cet esprit de corruption qui s'est glissé partout ailleurs, dans une paroisse où les sacremens sont fréquentés, où les affaires du monde, les sollicitudes du siècles et l'indifférence n'empêchent pas les fidèles de se rendre au banquet du père de famille; dans une telle paroisse, quand vous n'y compteriez que cinq ou six mille âmes, un curé, avec trois ou quatre vicaires, trouvera à s'occuper chaque jour du matin au soir, et suffira à peine à la besogne; et grâce à Dieu, de telles paroisses nous sont connues aussi. Il y en a même où l'on ne compte pas plus de 2,500 ou 3,000 âmes, et où un curé avec trois

(1) Ceci n'est pas une simple supposition de notre part; de telles paroisses nous sont connues, même dans les diocèses dont nous venons de parler. *Annotatum scriptoris articuli.*

icaires, trouve heureusement à s'occuper sans relâche. C'est ue dans ces paroisses, la fréquente communion, vraie source t vraie nourriture de la piété, est autrement connue que de om ; c'est que là le confessionnal seul est une grande occupa- on. De là on peut conclure que, même dans nos diocèses où on ne se plaint pas de disette de prêtres, il serait pourtant à ésirer qu'il y en eût davantage. Un seul exemple, en attendant que nous puissions présenter d'autres détails, en convaincra nos lecteurs. Prenons le diocèse de Bruges ; aucune aroisse, nous assure-t-on, n'y est dans le besoin, faute de rêtres ou d'instruction. Cependant on ne compte dans tout le ocèse que 500 prêtres, et de ces 500 il n'y en a que 443 emoyés au saint ministère. Or, la population du diocèse était, u 1er janvier 1833, de 609,045 habitans. Ce qui donne à eine un prêtre en fonctions pour 1,374 âmes. Avant 1797, le ocèse de Bruges avait, dans le ministère, 6 ou 700 prêtres. Notandum autem est ab hoc tempore plurimum in Belgio actum fuisse civium numerum et dioecesi Brugensi adjectam isse majorem partem veteris dioecesis Iprensis, et magnam rnacensis).

Que sera-ce si nous venons dans les diocèses où l'on se plaint ! est ici surtout que nous trouvons des sujets d'affliction. algré le zèle vraiment apostolique de nos évêques, combien endroits où les secours spirituels manquent entièrement ou partie ! Nous nous abstenons aujourd'hui des détails, ainsi ue nous venons de le dire, parce que nous n'avons pu reueillir jusqu'à présent tous les renseignemens dont nous ons besoin. Mais nous ne saurions nous empêcher, en atndant de manifester notre douleur sur ce que nous savons. y a des communes, hélas ! où non-seulement il y a manque secours spirituels, mais où le peuple ne semble plus les deander, ne plus les regretter, où il s'est peu à peu habitué à n passer. Il y a des paroisses de 7 ou 8,000 âmes, abanonnées aux soins d'un curé accablé d'années et d'infirmités, ui a pour tout aide un jeune vicaire ou qui n'en a pas. Il y a grandes villes où nous comptons une population d'au moins ,000 âmes, plongées dans la plus déplorable ignorance, alnt peut-être à l'église le dimanche par un reste d'habitude, ais ne connaissant pas les éléments de la religion, ignorant squ'aux premières vérités, sachant à peine ce que c'est que

Dieu. La seule consolation qui reste dans de si grands maux c'est que cette population n'a pas perdu tout désir de s'instruire c'est que la religion, comme par une espèce de miracle, entretient au milieu d'elle une certaine bonne volonté, qu'on peut regarder en quelque sorte comme un champ, stérile à la vérité pour le moment, parce qu'il a cessé d'être cultivé, mais qui promet une abondante récolte au laboureur qui aura soin de le remuer et de l'ensemencer de nouveau. Oh! quand le père de famille enverra-t-il dans sa vigne les ouvriers qui y manquent! Quand aura-t-il pitié des pauvres brebis étendues par terre ou errant sans pasteur! Ne cessons de demander cette grâce au Père céleste! que l'Eglise fidèle lève jour et nuit ses mains suppliantes vers le Seigneur, afin que la moisson ne périsse pas, faute de bras pour en faire la récolte.

Ce manque de secours spirituels vient de différentes causes. D'abord, le nombre des prêtres est réellement trop petit, eu égard à la population, surtout dans les provinces wallonnes. D'un autre côté, il y a des communes populeuses sans ressources et qui n'ont pas les moyens d'entretenir un vicaire; il a des endroits, presqu'inhabités auparavant, devenus peu à peu des villages considérables, manquant d'églises et de prêtres et trop éloignées des églises paroissiales dont ils dépendent, pour que les pauvres ouvriers qui les habitent, puissent en toute saison, aller entendre la messe le dimanche. Qu'on ne croie donc pas que dans la Belgique catholique il ne reste presque plus de maux à guérir, presque plus de pertes à réparer. Combien d'endroits, dans nos provinces, qui appellent la voix des missionnaires comme ils l'appelaient jadis avant l'introduction du Christianisme! Heureusement, leurs cris ont été entendus; en attendant que nos pieux et zélés évêques aient trouvé le moyen de recruter et de renforcer leur sainte milice et d'augmenter convenablement le nombre de leurs paroisses, de fervents religieux accourent et vont porter la parole de Dieu à la portion la plus délaissée du troupeau de Jésus-Christ. Nouveaux apôtres, ils parcourent les villes, les bourgs et les hameaux prêchant l'évangile au milieu des champs comme dans les temples, suivis et pressés par les pauvres habitants des chaumières, convertissant les cœurs à Dieu par milliers, rappelant par leurs œuvres, par les merveilles qu'ils opèrent, les plus belles époques du christianisme, prouvant, en un mot, que l

arole de Dieu est toujours également puissante, également fficace. Ce secours extraordinaire que la miséricorde divine ous a menagé dans les circonstances difficiles où se trouve la eligion, est une nouvelle preuve de la protection spéciale que Tout-Puissant a daigné accorder à son église dans ce ays. »

Quae si quis expendere velit statera sanctuarii, exclusa mni zelotypia, sua seponens ut ea quae Jesu-Christi sunt ntum consideret, nonne cum Pio VII, Societatem Jesu resti- uente, de omnibus regularibus dicet : « Gravissimi criminis n conspectu Dei reos nos esse crederemus, si in tantis reipu- icae necessitatibus ea salutaria auxilia adhibere negligeremus, uae singulari providentia Deus nobis suppeditat, et si nos, Petri navicula assiduis turbinibus agitata et concussa collo- ti, expertos et validos, qui sese nobis offerunt, remiges ad angendos pelagi naufragium nobis et exitium quovis mo- ento minitantis fluctus respueremus. »

16. His demum finem imponentes, non possumus non pro- stari nequaquam mentem nostram fuisse fidem R. D. Ver- beven suspectam facere, quum Pistoriensia decreta retuli- us. Haec quidem protestatio in Belgio inutilis est, ubi satis notescit sincera ejus erga Ecclesiam devotio ; sed necessaria se posset apud exteros, quibus minus notus est R. D. Pro- ssor. Persuasum enim habemus ei inter scribendum prae ulis non fuisse Bullam *Auctorem fidei*, et multo minus Acta Decreta Synodi Pistoriensis, adeoque confidimus nil magis ud eum valiturum ad seponendum principium de ministerio gularium, quam haec ipsa monumenta. Sane errasse Rev. ominum contendimus, sed nequaquam malevole, nequa- uam odiose : quod errorum genus, a doctissimis sanctissi- isque viris non alienum, nemo non facile excusat ; una per- acia, quam nullatenus reformidamus, culpabilis est. Atque ec ut candide scripta, ita candide intelligi cupimus et effla- tamus.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

DE LICENTIA ORDINARII AD ERECTIONEM MONASTERII REQUISITA.

1. *Antiqui canones de monasteriorum erectione.*
2. *Citat R. D. Verhoeven fictitium canonem Carthaginensem*
3. *Antiqui monachi sedulo canones observarunt.*
4. *Optimi quique Episcopi monasteriorum fundationi favi runt.*
5. *Episcopos ad fovenda monasteria excitabant sacri cano nes.*
6. *Omittit R. D. Verhoeven plerosque regulares a sae culo* XIII *eximi coepisse a petenda Ordinarii licentia pr monasteriorum erectione.*
7. *Hodierna Ecclesiae disciplina circa eamdem erectionem.*
8. *R. D. Verhoeven ecclesiam non habet ut partem integrale monasterii.*
9. *Ecclesiam esse partem integralem monasterii S. Rota sa pius declaravit.*
10. *Idem deducitur ex verbis Concilii Tridentini aliisqu rationibus.*
11. *Idem ex pluribus Juris canonici capitibus perspicuum es*
12. *Aedificatio ecclesiae in monasterio confunditur a R. D. Ve hoeven cum aedificatione oratorii vel capellae in loco no exempto.*
13. *Barbosae doctrina de aedificandis ecclesiis in locis exen ptis et non exemptis, a R. D. Verhoeven non bene inte lecta.*
14. *Notio loci exempti.*
15. *Notio oratorii et capellae.*
16. *Ex praemissis notionibus refutatur R. D. Verhoeven.*

1. Caput secundum libelli sui R. D. Verhoeven inscribi *De aedificatione seu erectione monasteriorum et ecclesiaru*

gularium; primum vero hujus capitis paragraphum : *De necessitate consensus Ordinarii localis ad aedificationem monasteriorum et ecclesiarum regularium.* Potuisset ille quidem tum hujus paragraphi argumentum brevissime absolvere; quidem vel ex solo S. Concilii Tridentini decreto, quo sancitur ne monasteria sine Episcopi dioecesani licentia erigantur (1), dubium omne circa hanc rem evidenter tollitur. Verumtamen plura hic congerere maluit, quae viam sternerent sequentes paragraphos.

Haec igitur examinemus. « Quod ex antiqua, ait (2), Ecclesiae disciplina, sive Conciliorum oecumenicorum, sive particularium Synodorum statuta respexeris, de erigendis monasteriis et ecclesiis monachorum aut regularium sancitum perimus, illud itidem usque ad recentiora tempora viguit, hodierna aetate adhuc viget. Quid enim? Oecumenica Synlus Chalcedonensis, anno 451 celebrata, jam tum constiit, can. 4, nemini fas esse monasteria aut ecclesias aedificare, si ex consensu Episcopi dioecesani : « Placuit, neminem usquam aedificare nec construere monasterium aut oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi. » Synodus arthaginensis, can. 4, statuit ne quis monasterium aedificet, iusquam Episcopus crucem fixerit. Synodus Agathensis, ibita 506, cavit can. 27 : « Monasterium novum, nisi Episcopo aut permittente aut probante, nullus incipere aut fundare praesumat. » Synodus Epaonensis, celebrata anno 17, can. 10, edixit : « Cellas novas aut congregatiunculas monachorum absque Episcopi notitia prohibemus institui. » Hanc autem disciplinam decem prioribus Ecclesiae eculis fuisse generalem, merito quidem conficitur ex iis quae aecedenti capite diximus de pristina jurisdictione Episcorum in monachos et regulares. »

2. De canone 4 Concilii Chalcedonensis satis alio loco cuti sumus (1), nec quidquam dicendum habemus de canonibus Agathensi et Epaonensi. Sed quod ad alium canonem R. D. Professore allegatum pertinet, utinam, sicut pro Chaldonensi, Agathensi et Epaonensi reperiendis nos ad Harinum remittit, ita etiam in inferiori paginae margine indi-

(1) Sess. 25, cap. 3 de regularis.

(2) Pag. 42 et 43.

(3) Supra, pag. 106, 107 et 108.

casset ubinam locorum, sive in Harduiniana sive in alia quacumque Conciliorum Canonumve Collectione, hujusmodi canon 4 Carthaginensis reperiri queat! Utinam saltem adscripsisset ex quoto Carthaginensi Concilio eum desumpserit! Numerantur enim a Carolo Berardo 28 Concilia Carthaginensia celebrata intra annos 217 et 419 (1), iisque plura alia addenda sunt, ut universim circiter 40 Concilia habeas. Jam vero, etsi in Amplissima Conciliorum Collectione Venetiis anno 1759 excudi coepta sedulo quaesivimus, neque *quartum* neque *ullum alium* Synodi cujuspiam Carthaginensis canonem offendimus qui tale quid sancierit quale a R. D. Professore perhibetur. Verum sancivit Justinianus Imperator (2) « Omni tempore et in omni terra, si quis aedificare venerabile monasterium voluerit, non prius licentiam esse hoc agendi quam Deo amabilem locorum Episcopum advocet : at ille manus extendat ad coelum, et per orationem locum consecret Deo, figens in eo salutis nostrae signum (dicimus autem adorandam et honorandam vere crucem) ; sicque inchoet aedificium, bonum utique quoddam hoc et decens fundamentum ponens. » Unde quis forte suspicabitur R. D. Verhoeven, dum libellum suum exararet, coram se habuisse aliquod Codicis Justinianaei exemplar, idque cum Codice Canonum Ecclesiae Africanae confudisse. Fieri quoque potuit ut oculos intenderit in canonem *Nemo ecclesiam,* Gratiani Decreto insertum (3) tamquam ex Concilio Aurelianensi (non Carthaginensi), potius tamen ex Justiniani Novellis et Ordine Romano repetendum, uti Berardus ostendit (4) : verumtamen hunc Canonem R. D. Professori praeluxisse minus probabile est, si attenderimus ibi agi de *ecclesia* aedificanda, dum ipse *ecclesiae* inter et *monasterii* aedificationem non exiguum ponit discrimen. Sed de hac re agemus suo loco.

3. Porro, ut notat Martenius (5), praxim horum Ecclesiae decretorum videre est in Actis Sanctorum passim : exempli causa, in vita S. Humberti Confessoris, qui saeculo septimo *impetrata a Cameracensis Sedis Episcopo licentia,* Maricolense

(1) Gratiani canones genuini, part. 1; cap. 15, pag. 172 et seqq.

(2) Novell. 5, cap. 1. Cfr. Novell. 67, cap. 1. Novell. 131, cap. 7.

(3) Can. 9, dist. 1, de Consecr.

(4) Op. cit. part. 1, cap. 9, pag. 345.

(5) Comment. in Regul. S. Bened. pag. 869.

cenobium condidit (1); et in Vita S. Aicadri, qui eodem saeculo ad condendum coenobium in Episcopatu Pictaviensi *permissionem Ansoaldi Episcopi* petiit : quippe « ad plene erat eruditus; canones etiam non ignorabat : legerat enim ut ne quis in alicujus episcopio ecclesiam construeret, altare erigeret, sine licentia sui Episcopi (2). » Itidem B. Rabanus saeculo nono « per cellas quoque fratrum sibi commissorum et per alia multa loca ad se pertinentia, in quibus prius non erant, ecclesias *cum permissione Episcopi sui* construxit (3). » Antea vero anno 822 monachi constructuri Corbeiam Saxonicam coeperunt mensurare prius quidem templum, inde habitationes fratrum;... sed primum *petierunt Episcopum,* ut veniret, et sanctificaret locum, vexillumque S. Crucis in loco altaris poneret, nomenque ut Corbeia vocaretur, aptaret (4). » Ac S. Stephanus Obazinensis saeculo duodecimo legitur duos e suis discipulis misisse ad Eustorgium Lemovicensem Episcopum : qui « benedicens eis crucem, quam ei detulerant, consecravit; eisque cum aqua a se benedicta tradidit, *dans potestatem Missam celebrandi et monasterium construendi* (5). » Haec sanctorum monachorum exempla, speciminis ergo a Martenio commendata, quibus illi suam erga ecclesiasticas leges obedientiam testatam fecere, nullus est hodie in Belgio regularis qui non pro suo officio imitari velit.

4. Vicissim liceat nobis ex plurimis pauca recitare nomina Episcoporum sanctissimorum, quibus impensissimum fuit fovendorum monasteriorum studium. Tales fuere prae primis S. Basilius et Augustinus, ille in Cappadocia (6), hic in Africa (7), vitae monasticae ardentes propagatores. Talis S. Victricius Rotomagensis Episcopus, qui apud indomitas Morinorum gentes monasteria simul cum fide Christiana instituit (8). Talis S. Audoenus, tot coenobiorum per varias Franciae pro-

(1) Mabillon, Acta SS. Ord. S. Bened. saec. 2, pag. 801.
(2) Ibid. pag. 956.
(3) Ibid. saec. 4, part. 2, pag. 3 et 4.
(4) Ibid. saec. 4, part. 1, pag. 530.
(5) Vita S. Stephani Obazin. apud Baluzium, Miscell. tom. 1, pag. 152, edit. Mansi; Acta SS. Martii, tom. 1, pag. 802.
(6) Acta SS. Junii, tom. 2, pag. 868 et 869.
(7) Vita S. Augustini, adjecta editioni Maurinae Operum, lib. 3, cap. 5, pag. 106 et seqq.
(8) Acta SS. Belgii, pag. 395, 396, 408 et 409.

vincias et maxime in propria dioecesi Rotomagensi institutor ac restaurator, ut multitudine et religione Aegypti monasteria pene aequare viderentur (1). Talis S. Eligius, Noviomensis et Tornacensis Episcopus, multique in regimen episcopale sublimati illius discipuli, quorum opera multa monasteria intra Gallias constructa fuisse idem S. Audoenus refert (2). Praeceteris vero praeclarum Ecclesiarum Pastoribus agendi documentum praebet S. Gregorius Magnus, qui, ut Thomassinus bene ait (3), « Gallicanos Episcopos, ut dignitate, ita construendorum novorum in dies coenobiorum pia sedulitate superabat. » Laudandus itidem tempore posterior S. Otto Bambergensis Episcopus, plurium monasteriorum saeculo duodecimo fundator qui « interrogatus aliquando... cur tot opes in ejusmodi opera profunderet, cum *monasteriis mundus plenus esset,* sic respondisse traditur : « Mundus, ait, iste totus exilium est; et quam » diu vivimus in hoc saeculo, peregrinamur a Domino : unde » stabulis egemus atque diversoriis; » qualia esse dicebat monasteria, peregrinis opportuna. Ad haec : « Novissima hora » est, inquiebat, et mundus totus in maligno positus est : unde » propter eos qui ab illo fugere et salvari cupiunt, coenobia » multiplicare licet. » Denique id se facere dicebat ut in omnibus *honorificaretur Deus et proximus adjuvaretur.* » Ita de eo Mabillonius (4). Quod si quis nobis propiora et patria exempla desideret, audiat v. g. P. Bernardum de Jonghe ita laudantem primos fundatores conventuum Ordinis Praedicatorum in Belgio (5) : « Vix credibile est quanto zelo Ecclesiae et Belgii Principes pro dilatatione Ordinis Praedicatorum in Belgio collaboraverint. Hos inter eminent Walterus de Marvisio Tornacensium, Hugo de Petra-Ponte et Joannes de Appia Leodiensium, Godefridus de Fontanis Cameracensium, Asc Atrebatensium Antistites. » Consulat quoque Imaginem primi saeculi Societatis Jesu; ubi ei occurrent Livinus Torrentius Ant verpiensis Episcopus (6), Petrus Curtius et Remigius Druitius

(1) Acta SS. Augusti, tom. 4, pag. 806 et 815.

(2) Acta SS. Belgii, tom. 3, pag. 232.

(3) Op. cit. part. 1, lib. 3, cap. 16, num. 5, pag. 676.

(4) Annal. Ord. S. Bened. lib. 71, num. 91, tom. 5, pag. 508, edit Luc. Cfr. Acta SS. Julii, tom. 1 pag. 384 et seqq.

(5) Belg. Dominic. Tract. prae lim. § 2, pag. 2, edit. Bruxell. 1719

(6) Imag. prim. saec. S. J. pag 744.

Brugenses (1), Gerardus Groesbequius Leodiensis (2), Martinus Rithovius Iprensis (3), Gisbertus Masius Buscoducensis (4), collegiorum ejusdem Societatis fundationem opibus et opera studiosissime promoventes. Verbo, nam cuncta nobis evolvere non vacat neque opus est, inquirat in omnia documenta chorographiae sacrae Belgii nostri, nec ullum profecto inveniet e quo non pateat eumdem dilatandorum Ordinum regularium zelum optimis quibusque Episcopis insedisse.

5. Jam vero et illud non est omittendum, praeterquam quod ex patrimonio suo aut aliunde conquisitis opibus monasteria excitare cuique Episcopo licebat, ne quidem fuisse nefas ut partem facultatum Ecclesiae suae ejusmodi fundationibus vel monachorum sustentationi insumerent, quemadmodum pro pluribus abbatiis erigendis fecisse inter caeteros memoratur S. Domnolus Cenomanensis (5). Ita Concilium Toletanum tertium anno 589, posteaquam canone 3 decrevisset (6) : « Haec Sancta Synodus nulli Episcoporum licentiam tribuit res alienare ecclesiae, quoniam et antiquioribus canonibus prohibetur, » mox exceptionem adjecit : « Si quid vero quod utilitatem non gravet ecclesiae, pro suffragio monachorum vel ecclesiis ad suam parochiam pertinentibus dederunt, firmum mancat. » Quin et ulterius canone 4 concessit ut unam suae parochiae, id est, dioeceseos, ecclesiam Episcopus in monasterium convertere posset, hacce lege (7) : « Si Episcopus unam de parochitanis ecclesiis suis monasterium dicare voluerit, ut in ea monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de consensu concilii sui habeat licentiam faciendi; qui etiam si de rebus Ecclesiae pro eorum substantia aliquid quod detrimentum Ecclesiae non exhibet, eidem loco donaverit, sit stabile. Rei enim bonae statuendae sanctum Concilium dat assensum. » Postmodum praescindendis dubitationibus, ac verisimiliter ad modum ponendum Episcoporum exuberanti erga monasteria liberalitati, anno 655 a Concilio Toletano nono sequens editus fuit canon (8) : « Bonae rei dare consultum, et praesentis habetur vitae subsidium, et aeternae remunerationis exspectari

(1) Ibid. pag. 748 et 749.
(2) Ibid. pag. 749.
(3) Ibid. pag. 754.
(4) Ibid. pag. 758 et 759.
(5) Acta SS. Maji, tom. 3, pag. 607, 611 et 612.
(6) Pueyo, Collect. max. Concil. Hispan. pag. 471.
(7) Ibid. pag. 472.
(8) Ibid. pag. 479.

cernitur praemium. Quisquis itaque Episcoporum in parochia sua monasterium construere forte valuerit, et hoc ex rebus Ecclesiae cui praesidet, ditare decreverit, non amplius ibidem quam et quinquagesimam partem dare debebit; ut, hac temperamenti aequitate servata, et cui tribuit, competens subsidium conferat, et cui tollit, damna gravia non infligat. Ecclesia vero quae monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis munificare voluerit sepulturis, non amplius quam centesimam partem census Ecclesiae cui praesidet, ibidem conferre licebit; ea tamen cautela servata, ut tantummodo quae placuerit, ex his duabus remunerandam assumat. » Atque ambo hi canones deinceps toti Ecclesiae Latinae communes fuere (1) : in quorum posteriore, cujus usus ab Innocentio III explicatur (2), advertat R. D. Verhoeven non spernendam ecclesiae regulari prae saeculari tribui praerogativam, ut in illam duplo amplior quam in hanc permittatur Episcopo munificentia; id quod vel ipsum Thomassinum non praeteriit, imo ab eo laudatur et commendatur (3) : nec dubium quin is sit genuinus Ecclesiae sensus.

6. A decimo porro Ecclesiae saeculo R. D. Verhoeven subito transilit ad decimum sextum, quo celebratum fuit Tridentinum Concilium; ita ut divinandum lectoribus relinquat utrum mediis quinque saeculis eaedem leges de consensu ab Ordinariis ad coenobia fundanda praestando perpetim viguerint necne. Inscriptae certe eae erant Gratiani Decreto (4), cujus tum magnus erat usus. Ac saeculo duodecimo ineunte adhucdum fuisse observatas liquet e diplomate fundationis Abbatiae Parchensis juxta Lovanium, dato ad annum 1129 nomine Godefridi Barbati Lotharingiae Ducis; in quo legitur (5) : « Hoc autem factum est *assensu Domini Alexandri Leodiensis Episcopi*, qui eumdem locum per Decanum suum aquae benedictae aspersione visitavit, et praedicto Abbati et Fratribus suis basilicam in honore Sanctae Dei Genitricis ibidem aedificandi *licentiam dedit.* » Similiter saeculi insequentis anno 28 Ferrandus et Joanna Comites Flandriae testantur se

(1) C. 73 et 74, caus. 12. quaest. 2.
(2) C. *Apostolicae Sedis*, de Donationibus (Lib. 3, tit. 24).
(3) Loc. cit. num. 2, pag. 676.
(4) C. 10, 12 et 13, caus. 18. quaest. 2.
(5) Summ. chronol. insign. eccl. Parch., cap. 2. pag. 17 et 18. Lovan. 1662.

lomum pauperum Gandae sitam assignasse Fratribus Ordinis Praedicatorum in perpetuam mansionem *per manus Venerabilis Patris Walteri Tornacensis Episcopi* (1). Quinque vero annis post scribebat Joannes Episcopus Leodiensis (2) : « Notum volumus fieri omnibus, tam futuris quam praesentibus, quod nos de praedictorum Fratrum Praedicatorum in nostram dioecesim adventu *plurimum in Domino Jesu congratulantes, dedimus ipsis licentiam* construendi ecclesiam, claustrum et officinas, habendi insuper coemeterium ac liberam sepulturam in oppido Lovaniensi. » Anno autem 1243 Guido Cameracensis Antistes non tantum permisit, sed et per litteras a Capitulo provinciali Teutoniae flagitavit, una cum Duce Brabantiae Henrico civibusque Antverpiensibus, ut eorumdem FF. Praedicatorum conventus Antverpiae erigeretur (3). Eatenus ergo passim consensum Ordinariorum a regularibus coenobia fundaturis accipi consuevisse cernimus. Verum anno 1265 Clemens IV Bullam edidit *Virtute conspicuos* in favorem FF. Minorum, in qua praeter plura alia iis concessa privilegia illud quoque legitur (4) : « Universis autem Ecclesiarum Praelatis et aliis inhibemus ne... prohibere ne ad civitates vel villas, ubi religiose ac honeste morari possitis, a populis vocati audeatis accedere, ibique pro vestris usibus construere aedificia, ecclesias seu oratoria, aut in accedentes fratres seu construentes hujusmodi vel receptatores ipsorum excommunicationis sententias ferre praesumant. » Idem in simili Bulla *Virtute conspicuos* FF. Praedicatoribus data anno 1374 decrevit Gregorius XI verbis plane iisdem (5); et jam ante S. Petrus Coelestinus anno 1294 suae Coelestinorum Congregationi simile privilegium largitus fuerat (6). Exinde Sixtus IV bina Bulla *Regimini,* quam Mare Magnum appellant, privilegia Ordinibus SS. Dominici et Francisci per suos decessores concessa, quae pridem etiam communicaverat FF. Minimis (7), confirmavit atque ampliavit (8); iisdemque etiam gaudere voluit alios Mendicantes, nempe Augustinianos ac Carmelitas, ut

(1) De Jonghe, Belg. Dominic. pag. 27.
(2) Ibid. pag. 127
(3) Ibid. pag. 201.
(4) Magn. Bull. Rom. tom. 1, pag. 139, edit. Luxemb.
(5) Ibid. pag. 267 et 268.
(6) Ibid. pag. 171.
(7) Ibid. pag. 391.
(8) Ibid. pag. 392 et seqq.

testatur Emmanuel Rodericus (1). Quapropter iis omnibus regularibus, haud scio an aliis etiam, fas erat absque Episcoporum permissione coenobia erigere; neque hanc facultatem iis ademit Leo X per Bullam *Dum intra mentis*, in Concilio Lateranensi publicatam, sed solummodo praescripsit adhibendum moderamen in hunc modum (2) : « Nec ab alieno Episcopo consecrationem ecclesiae vel altaris aut coemeterii benedictionem petere seu in ecclesiis per eos pro tempore aedificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi Ordinarius, bis aut ter cum debitis reverentia et instantia requisitus, sine legitima causa id recusaverit. » Inter haec tamen attendi debet ad Decretalem Bonifacii VIII, qua cavetur ne Mendicantes acquirant nova loca ad habitandum vel antiqua alienent vel mutent « absque speciali licentia Sedis Apostolicae, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem (3); » cujusmodi licentiam anno 1457 Elisabeth Lusitana, Philippi Boni Burgundiae Ducis conjux, a Calixto III petiit et impetravit, ut Bruxellensem Praedicatorum conventum fundaret (4) : quamquam, secundum Emmanuelem Rodericum, Sixtus IV postea ab hac lege exemit Carmelitas (5), et Julius II eamdem exemptionem concessit FF. Minoribus; « circa quam concessionem notat collector privilegiorum Mendicantium, quod ea concedit quod praedicti Fratres possint aedificare loca seu conventus ubique, seu aedificata recipere, absque aliqua licentia, etiam Ordinario aut aliquo Praelato ecclesiastico contradicente, et quod ita fuit practicatum contra Archiepiscopum Hispalensem. » Ita praedictus P. Emmanuel (6). Quae si ita sunt, non accurate R. D. Verhoeven dixit (7) : « Quod ex antiqua Ecclesiae disciplina... de erigendis monasteriis... sancitum reperimus, illud itidem *usque ad recentiora tempora* viguit, et hodierna aetate *adhuc* viget. » Dicendum nempe erat : « Saeculo decimo tertio paulatim *immutari coepit,* sed hodierna aetate *iterum* viget. »

(1) Quaest. regular. et canonic. tom. 1, quaest. 55, art. 1, pag. 303.

(2) Magn. Bull. Rom. tom. 1, pag. 582.

(3) C. *Cum ex eo,* de excess. Praelat. in Sexto (lib. 5, tit. 6).

(4) De Jonghe, Op. cit. pag. 325, 326 et 327.

(5) Rodericus, Op. cit. tom. 1, quaest. 23, art. 7, pag. 146.

(6) Ibid. tom. 2, quaest. 49, art. 3, pag. 130.

(7) Pag. 42.

7. Rectius est quod mox subjicit (1) : « Hodiernam vero ecclesiae disciplinam hac in re ab antiqua non differre, palam t tum ex Tridentina Synodo, ubi ait : « Nec de caetero simi- lia loca (monasteria) erigantur sine Episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta; » tum ex nstitutionibus Summorum Pontificum, Clementis VIII, *uoniam ad institutam,* Gregorii XV, *Cum alias,* et Ur- ni VIII, *Romanus Pontifex.* » Hisce autem verbis priorem nstitutionis Urbani VIII partem satis longam subjicit (2), quia, ait, caeteris recentior est et ad antiquas regulas redeun- im aperte declarat. » Mallemus nos quidem ut alias duas ntificias constitutiones etiam lectorum suorum oculis aper- is subjecisset; sed haec ejus scopo non tam bene quadra- nt, ut postea videbimus, ubi pleraque ex iis afferemus. cribit deinde (3) : « Magna quidem exstitit controversia an in ectione monasterii praeter consensum Episcopi dioecesani quirenda etiam esset auctoritas Romani Pontificis? Sed non t cur in hac quaestione immoremur, quum Benedictus XIV rtiores nos reddat receptam in tribunalibus Romanis sen- ntiam esse auctoritatem istam requiri. » Post quae verba scribit integram ratiocinationem qua Benedictus XIV conten- t non solum in Italia insulisque adjacentibus ex Innocentii X nstitutione *Instaurandae,* verum etiam extra Italiam ex cap. *eligionum,* §. *Confirmatos, de Religiosis domibus in Sexto,* et p. *Cum ex eo, de Excessibus Praelatorum in Sexto,* praeter entiam Ordinarii localis ad erigendum domus regularium super auctoritate Sedis Apostolicae opus esse, eo quod ic auctoritati nihil a Tridentina Synodo detractum fuerit. Quare, ait idem Benedictus (4), communis hodie et in tribu- libus recepta est opinio non licere regularibus, tam intra am extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive colle- a fundare sola Episcopi localis auctoritate, sed apostolicae dis licentiam praeterea necessariam esse. » Quamvis fidem hibeamus docto Pontifici attestanti eam opinionem suo mpore in tribunalibus viguisse, dubium tamen nobis subit alii fundamento quam ratiocinio ab eo proposito opinio

(1) Pag. 43.
(2) Pag. 43, 44 et 45
(3) Pag. 45 et 46.
(4) De Synod. dioec. lib. 9, cap. 1, num. 9, tom. 11 Oper. pag. 183. edit. Bassan.

haec innixa fuerit. Constat enim S. Rotam aliquando censuisse non amplius requiri licentiam Sedis apostolicae ad monasterii erectionem, sed Ordinarii licentiam ad id sufficere (1); testatur- que Fagnanus S. Congregationem Concilii, cui ipse per plures annos fuit a secretis, in eadem fuisse sententia, quandoquidem *multas monasteriorum erectiones probavit ab Ordinariis factas absque licentia Sedis apostolicae,* atque adeo Fagnano certissi- mum erat antiquis Constitutionibus quae apostolicae Sedis licentiam requirebant, fuisse omnino a Concilio Tridentino derogatum : unde indubius asserebat vir juris peritissimus, ad fundandum extra Italiam insulasque adjacentes monasterium solam Ordinarii licentiam sufficere (2). Idem docebat Reiffen- stuel, saeculo XVIII ineunte scribens : « et certe, inquiebat (3) id ipsum fieri et passim practicari videmus in Germania. » Nec aliter circa idem tempus opinabantur Wiestner (4) Engel (5), Schmier (6), Leurenius (7); atque ad medium circiter saeculum XVIII non dubitabat P. Cherubinus Mayr (8) Schmalzgruebero vitio vertere quod propter solam Bullam Innocentianam auctoribus Summi Pontificis licentiam uni- versaliter requirentibus adhaeserit (9). Ex enumeratis hisce scriptoribus unus Schmier restrictione quadam utitur, dicendo *nisi forsan aliud stylo Curiae Romanae receptum sit;* caeteri loquuntur asseveranter. Eadem asseveratione Fagnanianam sententiam ex Passerini auctoritate proponebat P. Antonius Bremond anno 1740 sub ipsius Benedicti XIV oculis (10). Sed haec per transennam dicta sunto, praesertim ut videat R. D. Verhoeven num satis solidum sit ratiocinium Bene

(1) Decis. recent. part. 2, decis. 745, pag. 573, et part. 5, tom. 1, decis. 115, pag. 178, edit. Venet.

(2) In lib. 3 Decretal. de Institut. c. *Non amplius*, num. 55 et seqq., pag. 177 et 178, edit. Colon. 1705.

(3) Jur. canon. univ. lib. 3, tit. 48, num. 38 et 39, tom. 3, pag. 726 et 727, edit. Antv. 1755.

(4) Instit. canon. lib. 5, tit. 31, num. 27, pag. 303.

(5) Colleg. univ. Jur. can. part. 2, lib. 3, tit. 36, num. 3, pag. 884 et 885, edit. Salisb. 1759.

(6) Jur. can. tom. 2, lib. 3, tract. 1, part. 2, cap. 2, sect. 1, § 3, pag. 320.

(7) For. eccl. lib. 3, quaest. 997 num. 2, pag. 693.

(8) Trismeg. Jur. Pontif. lib. 3 tit. 36, num. 23, pag. 618.

(9) Jur. eccl. univ. tom. 3. tit. 36, num. 28, 29 et 30, pag. 392 edit. Neapol. 1738.

(10) Bullar. Ord. Praed. tom. 8 Tract. de consens. Bull. tit. 1 quaest. 2, num. 8. pag. 38, ex Pas serino, in Sext. Decretal. tom. 5 pag. 364 et seqq.

licti XIV ab eo descriptum, et num ipsius opinio jure potuerit lici communis.

Ait porro (1) : « Idem S. Sedes etiamnum requirere videtur ; nam inter facultates Visitatori et Delegato apostolico Ordinum regularium in ditione Belgica non ita pridem concessas reperitur facultas : « Licentiam impertiendi religiosis jam in communitate constitutis novitios ad habitum recipiendi, et expleto tyrocinio ad solemnem professionem admittendi,... *dummodo tamen monasterium aut conventus sit jam a S. Sede approbatus.* » Unde palam est praedictam S. Sedis uctoritatem pro monasteriis in Belgica ditione erigendis salem generatim requiri. » Idoneus hic sane testis est R. D. Verhoeven ; quippe qui, cum ipse Visitatoris vicarius seu Covisitator sit aut fuerit, procul dubio facultates illas bene novisse debet. Quocirca, cum a regularibus illis Ordinibus in Belgio novitios recipi et post tirocinium ad professionem admitti videamus, illud quoque palam esse videtur eorum monasteria ut conventus jam esse a S. Sede approbatos. Desiderari nihilominus posset ut R. D. Professor paulo explicatius ostendisset hanc S. Sedis approbationem idem esse ac licentiam erigendi monasterii.

« His tamen non obstantibus, pergit (2), fieri posset ut aliqui Ordines regulares ex peculiari privilegio a petenda Sedis apostolica licentia adhuc essent liberi. At hac libertate qui uti vellent, eam probare deberent. » Ad quae respondemus 1° fieri quoque posse ut aliqui Ordines ab illa licentia petenda essent liberi, non *ex peculiari privilegio,* sed ex alio quodam capite, v. g. ex jure restitutionis illis competentis propter violentam expulsionem ; quod jus etsi R. D. Professor iis deneget (3), non tamen ideo statim credendum est nulla pro eo asserendo suppetere argumenta. Respondemus 2° eos regulares qui fortitan libertate illa de qua R. Dominus loquitur, gauderent, atque alicubi uti vellent, probationes quae necessariae forent, allaturos esse, non homini cuicumque, sed illis scilicet quibus legitima sit ad eas exigendas auctoritas. Quod si forte putet hic applicandum esse quod antea dixit (4), nimirum, « regulares, quum privilegiis uti velint quae sunt contra Episcopi dioece-

(1) Pag. 46 et 47.
(2) Pag. 47.
(3) Pag. 84 et seqq.
(4) Pag. 39.

sani jurisdictionem, obligatione teneri eadem ipsi exhibendi, etiam antequam exhibitionem ipse petiverit, » respondemus 3° ne huic quidem principio (1) applicando in re proposita esse locum; quandoquidem non agitur de privilegio contra Episcopi dioecesani jurisdictionem, sed de exemptione a petenda licentia Episcopi Oecumenici : qua exemptione nullum praedictae jurisdictioni afferretur detrimentum, cum solummodo inde sequeretur sufficere solam Episcopi licentiam, quae alias, ut supponitur, sola non sufficeret.

8. Quod autem ad licentiae episcopalis necessitatem pertinet, hanc R. D. Professor, quamvis abunde eam jam adstruxerit, tamen iterum iterumque religiosis et religiosorum more viventibus inculcat, invocando denuo auctoritatem constitutionis Urbani VIII (2). « Praeterea, inquit, in eadem etiam constitutione Urbanus VIII indicat, pro quibusnam regularium aedificiis Ordinarii licentia sit necessaria; memorat enim *monasteria, domos, collegia, conventus et alia loca regularia, quovis nomine nuncupata.* Disceptatum quidem fuit an supra allatae constitutiones etiam extendendae essent ad regularium *hospitia;* verum nulla videtur adesse ratio ob quam affirmaremus ea sine Ordinarii licentia aedificari posse. Quod idem quoque docet Benedictus XIV his verbis : « Si res esset de simplici hospitio, quod pro regularium iter habentium commodo » aedificari vellet, Episcopi localis licentia ad id sufficeret, » etiam non accedente apostolicae Sedis auctoritate. » Hactenus R. D. Verhoeven, nescio cur omittens quae Benedictus XIV in suae doctrinae confirmationem subjungit (3) : « Quae omnia mature discussa et definita fuerunt occasione cujusdam causae *Eystetten. Fundationis Hospitii,* in qua tres decisiones Auditorii Rotae emanarunt, una die 10 Maji 1726, altera die 26 Aprilis 1728 coram bo. mem. Gamaches, ac tertia demum coram bo. mem. Ratto, postea Episcopo Cordubensi, quae in illius Decisionum collectione jam typis edita legitur *tom.* 3, *num.* 258. » Jam vero ex animo profitemur nos Urbani VIII constitutionem cum reverentia suscipere, sed non item suscipimus quas ei R. D. Verhoeven subtexuit interpretationes, in

(1) Vide supra, pag. 379 et 380.
(2) Pag. 47 et 48.
(3) De Synod. dioeces. loc. cit. Cfr. Ferraris, Biblioth. voce *Hospitia Regularium*, in addit. ex aliena manu.

unc modum loquens (1) : « Quamvis in praedicta constitu-
one non fiat expressa mentio ecclesiarum regularium, hae
men satis clare ejusdem verbis continentur, quum de *qui-
uscumque regularium locis* agat. Estque communis canoni-
tarum sententia, hac constitutione ecclesiarum regularium
eque ac monasteriorum constructionem intelligi. Insuper
re communi jam cautum erat ne regulares praeter assen-
um Episcopi dioecesani ecclesias fundarent; verba enim
nnocentii IV haec sunt : « Auctoritate Sedis apostolicae de
Fratrum nostrorum consilio statuimus, quod oratoria vel ca-
pellas in locis non exemptis *sine Dioecesanorum locorum ipso-
rum licentia* EXEMPTI construere non praesumant. » Porro
piscoporum consensum, ut regulares ecclesiam quamdam
onstruere possint, necessarium esse, etiam communis Docto-
um sententia est. Egregie id quoque confirmatur ex resolu-
one S. Congregationis Interpretum Concilii Tridentini, data
a causa ELVEN. die 9 Februarii anno 1754... Haec omnia
erspicue quidem probant, Episcopi dioecesani consensum
equiri tam ad aedificandam ecclesiam quam ad legitime con-
truendum monasterium. »

9. Non concipimus qui fieri possit ut R. D. Professor *ec-
lesiam* monasterii habeat tamquam locum regularem a *mo-
asterio* distinctum eadem ratione qua v. g. *hospitium* a *mona-
terio* distinguitur, ita ut *ecclesia,* ipsius opinione, non sit
ars integralis monasterii, perinde ac refectorium, dormito-
ium, etc.; atque hinc arbitretur facultate erigendi *monaste-
ium* vel *conventum* non contineri simul facultatem erigendi
cclesiam. Dedocere illum poterunt decisiones S. Rotae, in
uibus dicitur : « Monasteria non dantur sine ecclesiis (2). »
Ecclesia ipsius monasterii... est ejusdem pars integralis, ita
t appellatione monasterii etiam ecclesia comprehendatur,
los. in c. 1 *in verb. exempto, ubi communiter DD. de privil.
in* 6... Clarum est quod monasteria non dantur sine eccle-
iis (3). » « In hoc loco habent Patres ecclesiam in qua pu-
lice celebrant, campanas pulsant, Sacramenta ministrant,
leemosynas quaestuant, vivunt sub regula et obedientia
rioris, quae signa prae se ferunt formam conventus, et non

(1) Pag. 48, 49 et 50.
(2) Decis. recent. part. 5, tom. 1. decis. 5, pag. 9.
(3) Ibid. decis. 53, pag. 90.

solius hospitii, *Rota decis.* 115 *n.* 4, *v. non obstat, et dec.* 193, *n.* 5, *vers. non obstat pariter, p.* 5 *recent.* (1), ubi in specie pro signo *conventus* ponderatur quod aderat *ecclesia* (2). » Et has Rotae declarationes intelliget clarius, ubi leget etiam illa quae Lucius Ferraris de hospitiis regularium tradit (3) : videlicet *hospitia* regularium vere non esse ubi adest *ecclesia,* sed iis tantum competere *oratorium privatum,* cujus ingressus in viam publicam immediate non respondeat; dum contra locus ubi januis apertis celebratur Missa, administrantur Sacramenta, sepeliuntur cadavera et pulsantur campanae, ex his ipsis signis demonstratur verus *conventus* vel *monasterium cum sua ecclesia :* unde nec regularibus licet proprio libitu convertere hospitium in conventum neu oratorium privatum in ecclesiam; quia « alias fraudarentur constitutiones apostolicae erigendo monasteria sub nomine hospitiorum ad evitandam illarum poenam. » Sic quoque nomen *monasterium* Barbosa intelligit, dum ait (4) : « Monasterium nihil aliud est nisi ecclesia, cellulae, areae, horti et similia usui regularium necessaria. »

10. Quid multa? Sacrosanctae Synodo Tridentinae, in ipso decreto quod postea R. D. Verhoeven allegat (5), non est aliud *in ecclesia Ordinis religiosi praedicare* quam *praedicare in monasterio,* idque *ad populum.* En Concilii verba (6) : « Regulares vero cujuscumque Ordinis, nisi... approbati fuerint,... in *ecclesiis* suorum Ordinum praedicare non possint... Si vero, quod absit, praedicator errores aut scandala disseminaverit *in populum,* etiamsi in *monasterio* sui vel alterius Ordinis praedicet, Episcopus ei praedicationem interdicat. » Intelligebat hoc vel ipse Brachius Martellus Episcopus Fesulanus, qui, dum in decretum illud ac maxime in regulares coram Tridentinis Patribus debacchabatur, *ecclesiae* nomen novo modo ibi pro *monasteriis* usurpari aiebat; atque hinc causabatur a Concilio ansam dari regularibus ut non solum in *ecclesiis conventualibus,* verum etiam in *parochialibus* suorum Ordinum

(1) Ibid. pag. 177 et 272.
(2) Ibid. part. 12, decis. 124, pag. 172.
(3) Ferraris, Biblioth. voce *Conventus,* art. 1, num. 9 et 10; voce *Hospitia regularium,* num. 6, 7 et 8.
(4) Jur. eccl. univ. lib. 2, cap. 3, num. 75, pag. 26. edit. Lugdun. 1718.
(5) Pag. 139.
(6) Sess. 5, cap. 2 de Reformat.

ecclesiis absque Episcoporum licentia concionarentur : quare volebat pro voce *ecclesiis* in decreto poni *monasteriis*, ut sic excluderentur *parochiales* ecclesiae regularium, non vero *conventuales*, ipsa *monasteriorum* appellatione comprehensae (1).

Itaque, dum Urbanus VIII in sua constitutione memorat *monasteria, domos, collegia, conventus et alia loca regularia, quovis nomine nuncupata,* reapse ejus verbis ecclesiae regularium continentur, verum ut partes integrantes monasteriorum, domorum, collegiorum, conventuum, non autem ut loca ab hisce distincta, cujusmodi sunt v. g. *hospitia, residentiae,* parvi conventus qui *grangiae* dicuntur (2), etc. Atque hoc sensu accipienda est, non eo quo R. D. Verhoeven accepit (3), « communis canonistarum sententia, hac constitutione ecclesiarum regularium aeque ac monasteriorum constructionem intelligi. »

Quid, quod etiam postea R. D. Professor ex Gattico asserit (4) regulares *oratorium privatum* habere in monasterio *vi privilegii?* Nonne videre debebat asserti hujus, dum id scribebat, consequentiam? Regulares, ut ait, *oratorium privatum* in monasterio habent *vi privilegii* : ergo, secluso privilegio, illud non haberent. Atqui oportet tamen ut jure habeant ubi divina peragant officia et sacram Liturgiam celebrent : ergo, cum oratorium privatum ipsis non adsit nisi ex privilegio, consequens est eos ex jure communi habere *oratorium publicum* vel *ecclesiam*. Ac reapse Gatticus ostendit jus illud jam dudum exsistere jamque a saeculo fere decimo apud omnes generatim regulares obtinuisse. « Hinc, inquit (5), cum primum sacer Ordo Praedicatorum fuisset institutus, publicas habere ecclesias atque in illis verbum Dei fidelibus annuntiare ab Honorio Gregorii IX praedecessore concessum fuit.... Etiam Minoritae tunc feliciter et ad magnam utilitatem instituti publicas habuerunt ecclesias... Sicut Gregorius IX anno 1228, 9 Aprilis, apud Bremontium tom. I, Bull. pag. 26, ecclesias Praedicatorum, ita Innocentius IV apud Waddingum ad annum 1252

(1) Le Plat, Monum. ad histor. Concil. Trid. tom. 3, pag. 406 et 407.

(2) De duplici *grangiarum* genere cfr. Fagnanus in lib. 3 Decretal. de Censibus, c. *Auctoritate*, Disceptat. de Grangiis, num. 2 et 18, pag. 556 et 560. edit. Colon.

(3) Pag. 48.

(4) Pag. 74.

(5) De orator. domest. cap. 8, num. 21 et 22, pag. 65.

num. 25 ecclesias Minorum *conventuales* esse voluit ad instar aliarum ecclesiarum *collegiatarum,* quae dubio procul aeque nunc sunt publicae quam illa aetate fuerint. Eamdem rationem deinceps obtinuerunt ecclesiae caeterorum Ordinum regularium, quae saeculo XIII publicae erant, paucis exceptis. »

11. Imo provocare in hac re sufficiat ad sacros canones, ubi toties promiscue de monasterio ejusque templo fit sermo, toties, ubi agitur de monasterii erectione, ecclesia tamquam praecipua pars erigendi aedificii exhibetur, ut passim Juris canonici periti, quae de ecclesiis regularium sanciebantur, ad monasteria, quae vero de monasteriis, ad ecclesias transtulerint. Age vero, quisquis hanc doctrinam non admittit, libenter audiremus qua nova methodo exponat canonem Toletanum illum quem supra adduximus (1), quo permittitur Episcopo *unam de parochitanis ecclesiis suis monasterium dicare :* quibus verbis non putemus Toletanos Patres intendisse ut Episcopus intra ipsam aedem sacram cellulas monachorum, refectorium, dormitorium caeterasque officinas construeret. Item canonem quo decernitur (2) : « Quamdiu *monasteria* per regulares remanere poterunt ordinata, non sunt ad saeculares clericos transferenda; sed si regulares defuerint, propter eorum defectum in eis saeculares clerici poterunt ordinari. » Ergone detrudendi erant clerici illi, qui et canonici ibidem appellantur, in habitaculum ecclesia destitutum? Item alium canonem, qui sic habet (3) : « Episcopi est *ecclesiarum* suae dioecesis unio et subjectio earumdem. Cum itaque Prior Gradensis *monasterium* suum, quod est in tua dioecesi et de tuo debet ordinari assensu, *monasterio* de Accato, tuo assensu minime requisito, subjecerit vel unierit; quod fecit te inconsulto, tibi liceat auctoritate nostra, sicut justum fuerit, infirmare. » Quid, nisi tenueris monasterium simul complecti ecclesiam, sibi vellet ejusmodi argumentatio : Episcopi est *ecclesias* inter se unire vel subjicere; ergo *monasterium* non potuit uniri vel subjici *monasterio* absque assensu Episcopi? Item Gregorii IX decretalem (4) qua carpuntur Ecclesiarum Praelati, qui viris regularibus infesti « nec sustinentes eos habere campanam, » et

(1) Supra, pag. 477.

(2) C. *Inter quatuor*, de religiosis domibus (lib. 3, tit. 36).

(3) C. *Sicut unire,* de excess. Praelat. (lib. 5, tit. 31).

(4) C. *Nimis iniqua,* de excess. Praelat. (ibid.).

« quidquid etiam eis, dum celebrant *Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum,* pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes, quod eisdem tam in *ornamentis altaris* quam in *libris ecclesiasticis* absolute confertur, vindicant perperam juri suo. » Qui haec intelligas, si negaveris illo *domorum ambitu* etiam contentas *ecclesias* fuisse, supraque eas *campanas* fuisse suspensas, quibus fideles ad Missarum solemnia convocarentur? Quo etiam pertinet Joannis XXII ordinatio (1) « quod religiosi. . Ordinum Mendicantium in nullo *conventu* suo seu *loco* plures campanas habeant sine Sedis apostolicae licentia speciali, sed una tantummodo pro *loco* quolibet sint contenti; » quam ordinationem Fagnanus ostendit non posse nisi ad *oratoria publica* vel *ecclesias* spectare, quae sunt, ut ille loquitur, *in ipsis monasteriis* religiosorum (2) : nam ipse Joannes XXII ibidem declarat : « Verum campanulas quae in refectoriis, sacristiis, capitulis et aliis forsan officinis religiosorum ipsorum consueverunt haberi, sub ista nostra ordinatione nolumus comprehendi. » Ingens igitur nos tenet curiositas qua ratione praecitati canones, quos speciminis gratia adduximus, dum multo plures in eumdem sensum adduci possent, cum idea R. D. Verhoeven de monasteriis, conventibus aliisque locis regularibus religiosorum componi queant.

12. Sed ipse nobis objicit decretalem Innocenti IV, imo Alexandri IV, qua vetatur ne *exempti* sine Episcoporum dioecesanorum licentia *oratoria* vel *capellas* construant in locis *non exemptis* (3) ; simulque nos remittit ad antiquiorem Innocentii III decretalem, qua confirmatur sententia a judicibus lata adversus monasterium exemptum S. Crucis (quod ibidem etiam *ecclesia* S. Crucis nuncupatur), cujus canonici praeter Episcopi Conimbricensis assensum propria auctoritate in locis non exemptis ecclesias fundarant (4); ac denique allegat resolutionem S. Congregationis Concilii, qua declaratur non licuisse Abbati Ulyssiponensis monasterii S. Benedicti de Salute ecclesiam ruralem aedificare, inscio Episcopo Elvensi, in villa

(1) Extra. *Quia cunctos,* de officio custodis (lib. 1,tit. 5).

(2) In lib. 5 Decretal. de Privil. c. *Patentibus,* pag. 241-243.

(3) C. *Auctoritate,* de Privileg. in Sexto (lib. 5, tit. 7).

(4) C. *Cum olim,* de Privileg. (lib. 5, tit. 33).

de Alandroal Elvensis dioecesecos (1); atque his omnibus citationibus interserit (2) : « Porro Episcoporum consensum, ut regulares ecclesiam quamdam construere possint, necessarium esse, etiam communis Doctorum sententia est. » Ad quae in infima pagina notat : « Cfr. Barbosa, *De officio et potestate Episcopi,* part. II, allegat. 26, num. 3, edit. Lugdun. 1698. » Brevibus ita primum respondemus : 1° Communis Doctorum sententia est requiri Episcopi consensum ut regulares monasterium aedificent in ipsius dioecesi; hic autem consensus ex ipsa rei natura involvit licentiam aedificandi ecclesiam conventualem, sine qua non datur monasterium. 2° Est quoque communis Doctorum sententia regulares exemptos, si non jam in loco exempto (puta in monasterio suo), sed in loco *non exempto* (qualis erat villa de Alandroal, de qua supra) oratoria vel capellas erigere voluerint, non posse absque Episcopi licentia id facere. Jam vero de posteriori hoc aedium sacrarum genere loquuntur decretales Innocentii III et Alexandri IV ac resolutio S. Congregationis Concilii paulo ante memoratae; dum contra R. D. Professor de priori genere sive de ecclesiis conventualibus disputat.

13. His in antecessum dictis, nunc singula a R. D. Professore allata discutiamus, ordiendo a doctrina Barbosae. Probat Barbosa sine Episcopi consensu aedificari non posse ecclesiam, nisi locus in quo ecclesia aedificanda est, exemptus sit a jurisdictione Episcopi. « In eo namque, ait (3), nullus potest absque Sedis apostolicae auctoritate ecclesiam aedificare, cap. *De locorum, cum seqq. de Consec. distinc.* 1, cap. *Auctoritate, de Privileg. in* 6; sed in locis non exemptis sufficit Episcopi auctoritas, etiamsi persona aedificans sit exempta, cap. *Auctoritate.* » Hic jam advertamus verba haec Barbosae cum Verhoevianis non convenire. Etenim, si *ecclesia conventualis* a monasterio, domo, collegio, conventu numerice distingui debeat, proindeque haberi tamquam unus e locis illis regularibus quocumque nomine nuncupatis, quorum nullum omnino ex Urbani VIII constitutione fas sit regularibus aedificare, nisi *utriusque* copulative et apostolicae Sedis et Ordinarii localis

(1) Thesaur. resolut. S. Congreg. Concil., tom. 23, pag. 18.

(2) Pag. 49.

(3) De offic. et potest. Episc. part. 2, alleg. 26. num. 1, pag. 310, edit. Lugd. 1698.

centia obtenta ; si hoc, inquam, ita sit (ita autem esse existimat . D. Professor), consequitur regulares, licet *utriusque* licen-am jam obtinuissent ad erigendum monasterium vel conven-um, nondum tamen posse ecclesiam conventualem condere, isi impetrata et altera *utriusque* licentia, a priore distincta. t tamen Barbosa in verbis modo allatis dicit : « In locis non xemptis *sufficit Episcopi auctoritas*, etiamsi persona aedificans it exempta. » Paulo vero post ait (1) : « Verum praedictus piscopi consensus *non sufficit* in erigendis regularium mo-asteriis :... nam... statutum est ne Praelati Religionum reci-ere valeant conventum aliquem seu *locum* absque Sedis Apo-tolicae speciali indulgentia ; » et in hujus rei probationem dducit eamdem Urbani VIII constitutionem in qua ecclesias onventuales R. D. Verhoeven putat recenseri tamquam *loca* egularia a caeteris ibi recensitis distincta. Ergo vel Barbosa dhibendo verba *sufficit* et *non sufficit* reum se fecit apertae ontradictionis, vel R. D. Verhoeven non rite intellexit Bar-osam. Scilicet canonista Lusitanus priore loco nihil aliud git nisi ut exponat legem in decretalibus per haec verba tra-itam (2) : « Oratoria vel capellas *in locis non exemptis* sine ioecesanorum locorum ipsorum licentia exempti construere on praesumant... Inhibemus insuper ne *in locis etiam exem-tis* hoc ipsi exempti facere audeant, nisi super his licentiam el privilegium habeant Sedis apostolicae speciale ; » poste-iori vero loco declarat quaenam a regularibus in monasterio-um aliorumve locorum regularium erectione observanda nt. Lovaniensis vero canonista res hasce diversas inter se ommiscet, et locum Barbosae seligit inter duo loca a nobis llegata medium, in quo Barbosa docet decretalem illam quae e *exemptis* in genere loquitur, restringi non debere ad exem-tos *saeculares*, sed extendendam etiam esse ad exemptos *reli-iosos*, si in loco non exempto voluerint aedificare ecclesiam ; sdemque religiosis nunc etiam ex Tridentino decreto licentia piscopi opus esse ad monasterium erigendum, quam licen-am Vicarius generalis sine speciali Episcopi mandato conce-ere nequeat : quibus demum idem Barbosa subjungit (3) : Si tamen exemptus aedificet in loco exempto sine licentia,

(1) Loc. cit. num. 4, pag. 311.
(2) Cap. cit. *Auctoritate.*
(3) Barbosa, loc. cit. num. 3, pag. 311.

totum acquiritur Episcopo cum fructibus, Franc. *in cap. Auctoritate, num.* 2 *de privileg. lib* 6, Fum. *verb. Exemptio num.* 10, Anton. de Pratis, *de Jurisdict. Episcopi, cap.* 1 *num* 3 *et* 4, quos refert et sequitur Cochier (*lege* Chokier), *de Jurisdict. Ordin. in exemptos, part.* 2, q. 45, *num.* 30 (*lege* 36). Quod autem hic dicit : *sine licentia,* intelligendum est : *sine licentia Sedis apostolicae,* uti clarius patet ex alio opere Barbosae, ubi eadem ex Erasmo a Chokier repetit, ita loquens (1) « Superioris ergo auctoritas quae in construendis ecclesiis requiritur, est dioecesani Episcopi,... nisi sit locus exemptus : in locis namque exemptis a jurisdictione Episcopi nullus potest absque apostolicae Sedis auctoritate ecclesiam aedificare... alias totum acquiritur Episcopo cum fructibus, Erasm. a Chokier, *de Jurisd. Ordin. in exemptos, p.* 2, q. 45. *n.* 36... Sed in locis non exemptis requiritur Episcopi auctoritas, etiamsi persona aedificans sit exempta. » Quamquam merito dubites an Barbosa deceptus fuerit sphalmate aliquo typographico, dum haec totidem ex Chokiero verba descripsit : « Si exemptus aedificet *in loco exempto* sine licentia, totum acquiritur Episcopo cum fructibus. » Nam licet sic reipsa legatur in Chokierano textu numero 36 quaestionis 45 partis 2 (2), tamen in summario ejusdem quaestionis eodem numero posuit Chokier (3) : « Exemptus si aedificet *in loco non exempto,* cedit Episcopo; » item in Indice rerum (4) : « Aedificium per exemptum *in loco non exempto* factum cedit jurisdictioni Episcopi, lib. 2, q. 45, n. 36; ac demum ipse praedicto illo numero 36 remittit ad partis primae quaestionem 36, quae ita inscribitur (5) : « Exemptus aedificans *in loco non exempto* ecclesiam, num acquiratur illi exemptio? » Unde particula *non,* utpote quae fortuito omissa fuerit, restituenda videtur textui Chokieri a Barbosa allegato, et hac restitutione subrui tur singularis illa Barbosae et aliquot aliorum canonistarum eum sequentium opinio, quam Pasqualigus (qui ex eodem error hanc etiam Chokiero imputat) breviter refellit in hunc modum (6) : « Quod autem addunt Riccius et Cochier citati

(1) Jur. eccl. univ. lib. 2, cap. 2, num. 15, pag. 6 et 7.

(2) De jurisd. Ordin. in exemptos, tom. 1, pag. 214 secundae dit.

(3) Ibid. pag. 206.

(4) Voce *Aedificium.*

(5) Ibid. pag. 83.

(6) Controvers. inter Episc. e regular. Laureti de Franchis, atque

ranc. *in cap. Auctoritate num.* 2 *de privileg. in* 6, quod si gulares erigunt monasteria in loco exempto sine licentia, tum acquiritur Episcopo, non subsistit : quia nec id habetur dicto cap. *Auctoritate,* nec de jure procedit; quia, cum cus exemptus non pertineat ad ipsum, nec etiam pertinent iae sunt in loco. » Ac postremas quidem hasce observatio-s occasione ex Barbosianis verbis oblata fecimus, ut men-im aliquod satis momentosum indigitaremus : caetera vero iae antea de Barbosa diximus, satis ostendunt, ut nobis qui-m videtur, magnum intercedere discrimen inter hujus au-oris doctrinam et illam R. D. Verhoeven.

14. Manifestius id deprehendetur, si attenderimus quid voces *emptio* et *locus exemptus* sibi velint. Quaerit Schmalzgrueber, m obviis quibusque de jure canonico scriptoribus, quid et quo-plex sit *exemptio;* respondetque in haec verba (1): « Est libe-tio a jurisdictione Ordinarii, sive est privilegium quo *persona* l *locus* ab Episcopi vel alterius superioris, ordinariam juris-ictionem habentis, potestate subtrahitur, et immediate subji-ur Papae... Triplex communiter dividitur: personalis, localis mixta. *Personalis* est quae adhaeret personae eamque sequi-r, quocumque veniat... *Localis,* qua locus, v. g. ecclesia, ca-lla, monasterium, territorium, subtrahitur jurisdictioni Ordi-rii; ita ut, licet in dioecesi sit, non tamen sit de illius dioecesi, l loco extra eam sito aequiparetur... *Mixta,* qua personae et a eorumque res ab Ordinarii potestate eximuntur; ita ut e neque in locum neque in personas illius jurisdictionem am exercere vel tribunal ibidem pro jurisdictione in alios ercenda erigere sine licentia proprii Praelati possit... Hinc plex genus exemptorum est : nam aliqui dicuntur *nullius ecesis,* qui habent speciale territorium ac populum exem-am, ubi jurisdictionem quasi episcopalem exercent ac *Ordi-rii* nomine veniunt, quamvis ipsi Episcopi non sint, sed atum Praelati vel Praepositi aut similes. Alii vero dicuntur e *in dioecesi, non tamen de dioecesi,* qui quidem quoad suas rsonas vel particularem aliquem locum, v. g. monasterium, empti sunt, certum autem populum aut territorium exem-

notat. Zachariae Pasqualigi, part. num. 496, pag. 156.

(1) Jur. eccl. univ. tom. 5, tit. 33, num. 246-249. pag. 264, edit. Neapol. 1738.

ptum non habent, sed intra fines certae dioecesis sive episcop
tus exsistunt... Item alia est exemptio *tam in capite quam*
membris, quando scilicet non tantum locus principalis, siv
monasterium aut collegium exemptum est, sed etiam omn
capellae, beneficia et parochiae annexae. Alia *in capite tantu*
quando tantum ipse locus principalis exemptus est, non aute
annexae parochiae vel beneficia. » Praeter haec notat Fagn
nus *loca exempta* hoc differe a *locis nullius* dioecesis quod il
dicuntur esse *in dioecesi*, haec vero nec *in dioecesi* neque
dioecesi. « Constituitur enim, inquit (1), locus nullius non p
simplicem exemptionem a jurisdictione Dioecesani, sed p
dismembrationem territorii cum omnimoda jurisdictione in
rioris Praelati in clerum et populum, excluso Episcopo
Itaque status nullius dioecesis liberat non modo a subjection
sed etiam a situatione et denominatione; exemptio vero
subjectione tantum. » Ostendit quoque locum nullius es
posse vel intra vel extra fines alicujus dioeceseos, prout di
membratio fiat ab interiori dioeceseos parte vel a parte e
tima (2). Porro in Belgio nostro *loca nullius dioecesis* hod
non exsistunt, neque etiam *loca exempta saecularium;* su
vero nonnulli homines *exempti* ac *loca exempta,* nempe Or
num religiosorum : licet aliquot sint casus in jure novo
novissimo expressi, quibus Episcoporum potestas, sive p
ordinaria jurisdictione, sive saepius ex apostolicae Sedis del
gatione, etiam ad personas et loca regularium extenditur,
alibi ostendimus (3). Ejusmodi loca sunt monasteria, domu
collegia, conventus aliaque, ubi religiosi regulariter et conve
tualiter vivunt, et quibus, uti antea diximus, competit publicu
oratorium vel ecclesia ceu pars eorum integralis. Verum n
item exempta sunt quae extra claustra sua religiosi tene
possidentve loca, puta ecclesias parochiales, domus, villas, pra
dia, grangias, etc. In his igitur locis non exemptis si regular
absque consensu Ordinarii publica oratoria vel capellas co
struerent, impingerent utique in decretalem Alexandri
Auctoritate; sicut etiam SS. Canones transgrederentur, si
dioecesi aliqua coenobium seu locum regularem quemcumq

(1) In lib. 1 Decretal. de Offic. Ordinar. c. *Grave*, num. 10, pag. 399.

(2) In lib. 3 Decretal. de Par chis. c. *Nullus*, num. 21, pag. 3

(3) Supra, pag. 320 et 321.

gerint sine licentia Episcopi. Sed quid haec ad quaestionem stram? Quaeritur enim utrum regularibus, facultate conuendi coenobii rite obtenta, integrum coenobium conficere eat an mancum tantum : mancum quippe erit, si aede sacra reat. R. D. Verhoeven opinatur coenobium relinquendum e mancum, nisi praeter illius construendi licentiam altera oque licentia adsit, qua permittatur aedis sacrae ad caeteras enobii partes additio. Ergone ipse negat coenobia regularia e loca exempta? Ergone idem est ecclesiam *in coenobio* dificare atque capellas et oratoria *in loco non exempto* conuere? Ergone ex eo quod Abbati cuidam Ulyssiponensi non uit erigere ecclesiam in *villa* dioeceseos Elvensis absque nsensu Ordinarii illius dioeceseos, consequitur eumdem bbatem in SS. Canones peccaturum fuisse, si, non rogato rdinario Ulyssiponensi, in *abbatia* sua simile aedificium xisset? Ea sane non est communis doctorum sententia.

15. Praeterea cavendum est ne quis in errorem incidat ca ipsa nomina *oratoria* et *capellas*, de quibus specialis fit capite *Auctoritate* mentio. Ea sic definit Joannes Devoti, in nibus toto Belgio seminariis notus (1) : « Capellae et oraia sunt sacella, quae in agris sedent aut in civitatibus aut magnatum domibus, quaeque Sacris extraordinariis addicta nt. Duplex oratorii genus, publicum et privatum. Publicum quod publicam habet januam, et quod cuivis e populo tet; privatum, quod in privatis domibus, et quod domini bitrio constituitur. » Atque haec totidem verbis legere est ud R. D. Wilmet, qui Institutiones Devoti ad usum semiriorum in compendium redegit (2). Quid vero libro tertio cretalium titulo 37 per *capellas* intelligatur, docet Zallinger ce verbis (3) : « Per *capellas monachorum et aliorum religiosorum*, de quibus inscribitur tit. 37 h. l., intelliguntur lesiae curatae et parochiales, extra monasterium positae, em tamen unitae. De his (nisi Praelati regulares habeant asi dioecesin) deciditur : I. Episcopo in ea competit jurisdictio, ita ut eam visitare et expositum religiosum etiam emptum examinare, approbare, visitare et corrigere (quoad

(1) Instit. canonic. lib. 2, tit. 7, . 3, § 32, pag. 632, edit. Gand. 6.

(2) Num. 613, pag. 236 et 237.

(3) Instit. jur. eccl. lib. 3, § 430, pag. 346 et 347, edit. Aug. Vind. 1793.

parochialia) possit. Conc. Trid. c. 11 de Regular. II. Si tal ecclesiae non regulares, sed saeculares ad praesentationen regularium praesunt, ii non ab ipsis, sed ab Episcopo remo ventur, si causa canonica id poscat. c. un. de capellis monach in 6. » De his ecclesiis extra monasterium positis, eiden tamen *unitis,* id est (ut in Summario capitis dicitur), *subjectis* sermo est in capite *Pastoralis,* quod brevi post a R. D. Pro fessore in alia quaestione adducitur (1) : quo nempe statuitu religiosos quibus a Papa concessum est ut possint tales eccle sias, decedentibus Personis earum (id est, saecularibus earur praefectis), in proprios usus convertere (id est, aliquem e sui eis praeficere), non auctoritate propria, sed a Dioecesano loc possessionem illarum ecclesiarum recipere debere, nisi in pri vilegio aliud exprimatur (2).

16. Quoniam autem hoc loco non de hisce ecclesiis, sed d *ecclesiis conventualibus* nobis disputatio est, idcirco, ut sum matim dicamus, neque caput *Pastoralis,* neque caput *Cu olim,* neque caput *Auctoritate,* neque doctrina Barbosae, nequ demum declaratio S. Congregationis Concilii *in causa Elven.* quidquam R. D. Professorem in proposito argumento juvan queunt. Verum illud adversus eum evicimus, regulares legitime obtenta erigendi *coenobii* facultate, prohiberi no posse ab Ordinariis, sed a S. Sede apostolica tantum, quom nus coenobium omnibus suis partibus integrum, adeoqu aede sacra instructum, aedificent. Dein, cum indubia hodi res sit, quidquid olim censuerint scriptores varii, in transla tione conventus ad alium situm ejusdem loci non servanda esse constitutiones apostolicas loquentes de fundatione nov conventus, uti probat Ferraris ex quatuor responsis ann 1625, 1642, 1687 et 1697 a S. Congregatione Episcoporun et Regularium emanatis (3), confirmaturque in additionibu ad ejusdem Bibliothecam ex similibus responsis datis ann 1741 et 1754 (4); cumque etiam pro ampliatione conventu non requiratur solemnitas quae requiritur in erectione, u decidit Rota 27 Junii 1678 (5), citans Barbosam (6), Emma

(1) Pag. 51 et 52.

(2) C. *Pastoralis,* de excess. Praelat. (lib. 5, tit. 33).

(3) Biblioth. voce *Conventus,* art. 1, num. 11 et 12.

(4) Ibid. num. 51 et 52.

(5) Decis. recent. part. 19, tom. decis. 272, pag. 317.

(6) Jur. eccl. univ. lib. 2, cap 12, num. 78.

luelem Rodericum (1), Tamburinum (2), Lezanam (3) et espedes (4), quibus addi possunt Lauretus de Franchis et asqualigus auctoresque alii ab hoc citati (5) ; praeterea si ea onventus ampliatio, ubi jam fuit legitime erectus, ne quidem er privilegium cannarum impediri possit, prout, teste Lucio erraris (6), eadem Rota saltem quinquies declaravit *cum ommuni Doctorum :* frustra R. D. Verhoeven constitutiones lementis VIII, Gregorii XV et Urbani VIII in subsidium ocaret ut religiosis, jam legitime in coenobio regulari consti- ıtis, prohiberet quominus sua claustra in vicinum solum ex mptione vel donatione extenderent, etiamsi erigere in eo ellent templum satis amplum. Quaerendae proinde illi forent iae ad hoc impediendum viae. Et quantum nos quidem otuimus assequi, non ita perspicue videmus quid circa con- lentuum translationem atque ampliationem Episcopus pro- ria auctoritate possit : haec enim quantum ad regulares xemptos certis definita est limitibus. Unde in rebus quae osce limites excedunt et in quibus leges ecclesiasticae regu- res sua exemptione frui sinunt, si cui Episcopo iidem vide- ntur immoderatius se gerere, Sedis Apostolicae auctoritati ıvocandae, non ordinariae potestati exerendae, locus foret.

(1) Quaest. regular. et canonic. m. 2, quaest. 49, art. 9.

(2) De jure Abbat. tom. 3, disp. , quaest. 1, num. 9.

(3) Oper. moral. tom. 2, voce *Monasterium.*

(4) De exempt. regular. cap. 1, dub. 10, num. 3.

(5) Controvers. inter Episc. et Regular. parte 1, num. 411 et 412, pag. 137 et 138.

(6) Biblioth. voce *Ecclesia.* art. 3, num. 25.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

DE SERVANDIS AB ORDINARIO IN PERMITTENDA MONASTERII ERECTIONE.

1. *Quaedam Pasqualigi verba non sat accurate describit R. D. Verhoeven.*
2. *Constitutio Clementis VIII de monasteriorum erectione.*

3. *De eadem re decreta posteriorum Pontificum.*
4. *Scopus Summorum Pontificum erat cavere ne nova monasteria nocerent antiquis.*
5. *Plurima monasteria erecta fuere saeculis* XVI *et* XVII.
6. *Ex constitutionibus pontificiis non sequitur parochos pro erectione monasterii ab Ordinario vocandos et audiendos esse.*
7. *Rationes a R. D. Verhoeven allegatae non asserunt id jus parochis.*
8. *Ex novem auctoribus a R. D. Verhoeven citatis tres illi haud favent.*
9. *Quatuor tantum illi reapse favent.*
10. *Reliqui duo ancipites haerent.*
11. *R. D. Verhoeven suam doctrinam immerito vocat communem canonistarum doctrinam.*
12. *Parochus vocari et audiri debet pro dismembratione parochiae suae.*
13. *In aedificatione ecclesiae saecularis non parochialis praeservanda sunt jura parochialia tantum.*
14. *Eadem jura praeservanda sunt in erectione monasterii.*
15. *Quae sint hodie jura parochialia.*
16. *R. D. Verhoeven non bene parochis patrocinatur.*

1. Gressum facimus ad alterum R. D. Professoris paragraphum : *De forma et solemnitatibus juris ab Ordinario servandis in concedenda licentia monasterium ecclesiamve regularium aedificandi* (1). Primum ille hic statuit, quod veritati consonum est, Sedem apostolicam posse, at non consuevisse dispensare in solemnitatibus quae ad erigendum coenobium de jure requiruntur; ac praecipue in hac re non facile religiosos per Summum Pontificem eximi a consensu Ordinarii postulando (2). Deinde, paucis interjectis, sequentia fere Pasqualigi, quem citat (3), verba sibi assumit : « An si Summus Pontifex concedat ecclesiam aut conventum regularibus, requiratur adhuc licentia et consensus Episcopi. Affirmative resolvendum est. Ita etiam Vener. *lib.* 11 *Examin. Episc. cap.* 14, *num* 11, Cespedes *de Exempt. Regular. cap.* 1,

(1) Pag. 50.
(2) Pag. 51 et 52.
(3) Pag. 52, not. (1).

monaster. aedifican. dub. 8, *num.* 1, Donat. *par.* 2 *prax.* *regul. pract.* 1 *de monaster. aedifican. quaest.* 25, Roquez *tom.* 3 *quaest. regular. quaest.* 8, *art.* 1. Et casus est isus *in cap. Pastoralis de privileg.*, ubi decernitur quod ulares obtinentes ecclesias pro suo usu, non possunt onsulto Episcopo in ipsarum possessionem introire. Quia licet concessio censetur facta salvo jure Episcopi; et ideo ut sit necessarius ejus consensus, requiritur quod in consione specialiter exprimatur quod non requisito ipsius nsensu possint possessionem apprehendere : nam tunc mmus Pontifex auctoritate propria supplet consensum iscopi. Ex quo deducitur quod, stante concessione Summi ntificis, posset Episcopus suspendere exsecutionem et rescre eidem Pontifici, si judicaret non expedire tales religiosos nitti ad locum concessum, praesertim si futuri essent teris detrimento; quia non est verisimile quod Summus ntifex intendat concedere quod non est expediens concedi, n semper respiciat aequitatem, et quod est contra commun utilitatem Religionum praexsistentium in illo loco. Imo eretur etiam rescribere; quia tenetur obviare inconvenienus quae ex tali exsecutione oriri possunt, cum sit sub ipsius positione. » Haec itaque Pasqualigi verba (1) R. D. Verven fere transcripsit, quamquam haud sine quibusdam tationibus; quarum praecipua in eo sita est quod ubi squaligus dicit posse, imo etiam teneri Episcopum *suspen-e* exsecutionem indulti et rescribere Summo Pontifici, D. Verhoeven statuit posse et debere Episcopum *prohibere* ndem exsecutionem; sed num teneatur Episcopus Romam *cribere,* id inter consilia tantum, non vero inter praecepta etur reponere. En qui loquatur (2) : « Si tamen regulares ultum speciale a S. Sede impetravissent ad aedificandum in efinito loco monasterium, et Ordinarius existimaret e re sa- esse istius exsecutionem *prohibere,* hoc in casu *opinaremur,* ulas ecclesiasticae disciplinae omnino *suadere,* ut Ordina- s Romanum Pontificem de ea re certiorem reddat, eique iones, ob quas exsecutionem *prohibuit,* exponat. » Nonne his quanto nimium Episcopo, qui certe obedientiam Romano

(1) Controvers. inter Episc. et 158.
ular. part. 1, num. 507, pag. (2) Pag. 52.

Pontifici debet, a scriptore permittitur? Recte tamen is sub
dit (1) : « Quod si S. Sedes non satis firmas haberet ratione
ab Ordinario prolatas, ac iis non obstantibus exsecutione
urgeret, sententiae Summi Pontificis obtemperare tunc de
beret Ordinarius, et monasterii aedificationem non diutiu
impedire. » Nimirum hoc temperamento laxiorem illam qua
praemiserat opinationem ex parte saltem videtur correxisse.

2. Et hactenus quidem dicta ad casum pertinent quo Sed
apostolica regulares coenobium erecturos vel Ordinarium lo
calem a servandis solemnitatibus dispensaret. Ubi autem dis
pensatio non adest, solemnitates servandae sunt, tum a regul
ribus, tum ab Ordinario, ut legitime ac valide coenobii erect
fiat. Circa has sequentia statuit Clemens VIII (2), cujus verb
nusquam a R. D. Verhoeven ingenue relata, a lectoribus no
stris attente considerari cupimus : « Quoniam ad instituta
regularium locorum et personarum reformationem prome
vendam et conservandam maxime pertinet ut in quibuscumqu
domibus et monasteriis is tantum numerus religiosorum q
commode ibidem ali possit, contineatur, ac eo pariter spect
ut in quibuscumque civitatibus et locis novae domus et mon
steria, praesertim Mendicantium, non erigantur, nisi in eisde
civitatibus et locis, aliorum domorum et monasteriorum
eis exsistentium habita ratione, commode sustentari posse d
gnoscantur. Hac igitur nos consideratione ducti, et praemiss
pro nostro pastorali munere opportune providere volente
motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione, d
que apostolicae potestatis plenitudine, ex voto etiam Vener
bilium Fratrum S. R. E. Cardinalium super consultationib
et negotiis Episcoporum et Regularium praepositorum, haru
serie declaramus locorum Ordinarios non posse licentiam
novos conventus cujuscumque Mendicantium Ordinis in civ
tatibus et locis eorum ordinariae jurisdictioni subjectis impe
tiri, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et loc
exsistentium conventuum Prioribus seu Procuratoribus et ali
interesse habentibus, et causa servatis servandis cognita, co
stiterit in eisdem civitatibus et locis novos hujusmodi erigend
conventus sine aliorum detrimento commode sustentari poss

(1) Pag. 52 et 53.

(2) Magn. Bullar. Rom. tom.
pag. 162 et 163.

vero ab eorum in hujusmodi causis sententiis ad Nos et ostolicam Sedem provocari et appellari contigerit, ipsos Or-narios tamdiu erectionem novorum conventuum suspendere bere, quousque a Nobis et apostolica Sede in eadem causa onuntiatum exstiterit. Irritum nihilominus et inane decer-ntes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate enter vel ignoranter contigerit attentari. » Haec statuta no 1603.

3. Anno vero 1622 facta fuit a Gregorio XV Clementinae nstitutionis confirmatio et ampliatio per decretum *Cum as;* in quo, relata summatim Clementis VIII jussione, sic rro legitur (1) : « Verum per piae mem. Paulum Papam V cepto plerosque ex Ordinariis praedictis favore vel nimia poscentium importunitate ad novos conventus seu domos aeter et contra tenorem praedicti decreti erigendos plerum-e adduci, quo fit ut, non habita debita eleemosynarum seu dditui cujuscumque monasterii, conventus seu domus ra-one, monachi seu fratres aut religiosi ibi degentes manute-ri nequeant, et ad tam exiguum numerum reducantur ut ltus divinus in eorum ecclesiis destituatur, ibique regularis sciplina, ut convenit, conservari non valeat : Sacr. Congr. ustrissimorum DD. Cardinalium negotiis Regularium prae-sitorum, ad quos idem Paulus Papa V negotium hujusmodi jecerat, tot incommodis obviam ire eisque aliquod opportu-um remedium adhibere cupiens, decreti hujusmodi veriores totos tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insere-ntur, pro plene sufficienter expressis habens, vivae vocis aculo a SS. D. N. Gregorio Papa XV habito, decretum prae-ctum, quatenus opus sit, innovat et in usum reducit. Volens iod de caetero monasterium, conventus, domus, congregatio l societas religiosorum seu regularium, cujuscumque etiam endicantium Ordinis, Societatis et Instituti, quocumque omine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa et ecifica mentio habenda esset, in quacumque civitate vel oppido u quocumque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duode-m fratres aut monachi seu religiosi inhabitare ac ex reditibus consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores seu Pro-iratores aliorum monasteriorum, conventuum seu domorum

(1) Ibid. pag. 480.

aliarum Religionum vel Congregationum seu Societatum au
Institutorum hujusmodi, non solum in praedictis, sed etiam i
aliis per quatuor millia passuum vicinis locis ad id vocati
auditi fuerint, vel alias Ordinariis locorum constiterit religiose
monasterii, conventus seu domus regularis sic erigendi seu er
gendae absque detrimento religiosorum in monasteriis seu d
mibus ante in civitatibus seu locis hujusmodi erectis degentiu
ibi in numero duodecim commode et congrue manuteneri
ali posse. Si vero novi conventus, domus, Congregationes v
Societates hujusmodi instituendae erunt, nullique alii regulare
inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligente
inquirant an locorum incolae et habitatores, quorum et cor
sensum requirant ac adhibeant, hujusmodi duodecim religio
sos in conventibus, ut praemittitur, instituendis commod
alere et manutere valeant. Si vero a decreto seu decretis pe
Ordinarios praedictos in causis hujusmodi ferendis legitim
appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die qua appellati
interponetur, ea ad eamdem Sacr. Congregationem una cu
toto negotio principali devoluta censeatur; appellationequ
hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque
inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctorita
scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernens, qu
buscumque in contrarium facientibus non obstantibus.» Post
haec Urbanus VIII revocavit anno 1624 licentias ac facultate
decretis superiorum Pontificum contrarias, quibuscumque re
gularibus eae fuissent quocumque modo a Sede apostolica co
cessae, vetuitque omnibus ne, non servata SS. Canonum, Co
cilii Tridentini ac praedictorum decretorum forma, nov
coenobia recipere, erigere, fundare seu alios quomodolibe
instituta seu incepta finire et absolvere praesumerent (1)
prout in extensum legi potest apud R. D. Verhoeven (2). De
nique Innocentius X, instituta Congregatione super statu re
gularium, anno 1652 plura decrevit et agenda curavit circ
parvos conventus, quos universim per totam Italiam insulas
que adjacentes suppressos voluit; postea tamen horum pluri
mos ex rationabilibus causis Ordinibus religiosis restituit, ad
hibitis utilibus temperamentis : cujus negotii seriem totam
enarrat Fagnanus, qui eidem S. Congregationi secretarius as

(1) Ibid. tom. 5, pag. 61. (2) Pag. 43, 44 et 45.

gnatus ac rerum gestarum pars magna fuit (1), ex eoque de-ripsit Lucius Ferraris (2); ad quorum alterutrum lectores arum rerum curiosos remittimus.

4. Jam fidenter asseveramus ea quae ad verbum allegavi-us Clementis VIII et Gregorii XV decreta per se longe esse ariora quam R. D. Professoris in ea commentarium (3). Nec ia in postremam hujus commentarii partem nobis est fa-enda animadversio, ac primum quidem in haec verba : Praeter superiores monasteriorum Ordinarius vocare et au-re debet *alios interesse habentes,* ut palam est ex eadem nstitutione Gregorii XV, ubi ait Clementem VIII decre-sse « Ordinarios locorum licentiam ad novos conventus cujuscumque, praesertim Mendicantium, Ordinis in civita-tibus et in locis eorum ordinariae jurisdictioni subjectis eri-gendos impertiri non posse, nisi vocatis et auditis alio-rum... conventuum Prioribus seu Procuratoribus *et aliis interesse habentibus.* » Satis mirum est Gregorii XV testi-onium adduci ad declarandum quid Clemens VIII statuerit, im ipsa verba Clementinae constitutionis, quae in Magno ullario Romano aeque ac Gregoriana exstat, facile adduci otuissent. Neque illud admiratione caret quod R. D. Verhoe-en citationem suam stiterit ad illa verba : *et aliis interesse abentibus,* post quae tamen Gregorius XV phrasim ex Cle-entis VIII constitutione desumptam in hunc modum clau-it : « Et causa servatis servandis cognita, in iisdem civitati-us et locis *novos* hujusmodi erigendos conventus sine *aliorum* etrimento commode sustentari posse constiterit. » Fortasse idebat R. Dominus ipsemet per alios illos quorum detrimen-im hic spectandum decernitur, a nonnemine intellectum iri on *alios* quoslibet, sed *alios conventus* tantum. Hos ut reapse ntum intelligamus, suadet Clementinae constitutionis prooe-ium, quod hic repetere non erit abs re : « Quoniam ad in-itutam regularium locorum et personarum reformationem romovendam et conservandam maxime pertinet ut in quibus-mque *domibus et monasteriis regularium* is tantum numerus eligiosorum qui commode ibi ali possit, contineatur, ac eo

(1) In lib. 3 Decretal. de cler. el monach. c. *Relatum*, num. 41 seqq., pag. 668 et seqq.

(2) Biblioth. voce - *Conventus*, art. 2.

(3) Pag. 53, 54 et 55.

pariter spectat ut in quibuscumque civitatibus et locis nov
domus et monasteria... non erigantur, nisi in iisdem..., *aliori*
domorum et monasteriorum in eis exsistentium habita ratio
commode sustentari posse dignoscantur. *Hac* igitur nos *co*
sideratione ducti, etc.» Idem suadet decisio quae 22 Junii 161
priusquam canonistae aliqui suis disputationibus huic rei t
cas intexuerant, a S. Rota prodiit; ubi declaratur (1) « qu
praedicta constitutio Clementis consideravit *tantummodo* pra
judicium quod potest inferri *ecclesiis Fratrum Mendicantiu*
ne propter eleemosynas erogandas in novum collegium d
trimentum patiantur, *non autem aliis ecclesiis.* » Idem sua
decretum Gregorii XV, ideo potissimum latum quia pleriq
Ordinarii nimis faciles in permittenda novorum erectione co
ventuum sese praestiterant non sine antiquiorum conventuu
praejudicio; « quo fit (ut ibidem dicitur) ut, non habita deb
eleemosynarum *cujuscumque monasterii, conventus seu dom*
ratione, *monachi seu fratres aut religiosi* ibi degentes man
teneri nequeant, et ad tam exiguum numerum reducantur
cultus divinus in *eorum* ecclesiis destituatur, ibique *regula*
disciplina, ut convenit, conservari non valeat : » quae omn
manifesto ad solos religiosos spectant, haudquaquam ad sa
culares ullos. Accedit quod, quamvis in Gregoriani decr
prooemio dicatur ex jussione Clementis VIII vocandos et au
diendos esse *aliorum conventuum Priores seu Procuratores*
alios interesse habentes, nihilominus in corpore ipso Decr
dicitur : « *Priores seu Procuratores* aliorum monasteriorum
vocati et auditi fuerint, » omissis penitus vocibus : *et alii int*
resse habentes, ac si hae voces ibi non essent necessariae; qu
tamen videtur dici non posse, si per eas homines saecular
designarentur. Dein si verba Clementis : « *novos* hujusmo
erigendos conventus sine *aliorum* detrimento commode su
tentari posse constiterit, » conferamus cum illis Gregorii
« Ordinariis locorum constiterit religiosos monasterii, co
ventus seu domus regularis sic *erigendi vel erigendae* absq
detrimento *religiosorum in monasteriis seu domibus ante*
civitatibus seu locis hujusmodi erectis degentium ibi in nume
duodecim commode et congrue manuteneri et ali posse;
patet quinam nomine illo *aliorum* a Clemente indicentur; pat

(1) Decis. recent. part. 2, decis. 745, pag. 573.

amque Pontificem in edendis his legibus prae oculis ha-
sse *interesse,* hoc est, bonum spiritale ac temporale, non
rumcumque mortalium, sed *religiosorum,* sed *conventuum*
antiquiorum quam novorum : cui novorum conventuum
o pariter providet Gregorius, dum in locis ubi nullidum
ılares degunt, antequam coenobium illic erigatur, Ordina-
n jubet inquirere num incolae animum facultatemque ha-
at duodecim saltem religiosos suis eleemosynis susten-
li. Denique Urbano VIII in sua constitutione edenda idem
scopus : nimirum *personarum sub suavi Religionis jugo*
ssimo *famulantium paci et quieti consulere,* litibusque ac
troversiis *inter eos* obviam ire.

. Putamus autem jam saepe laudatis ordinationibus Sum-
rum Pontificum occasionem potissimum dedisse miram
temporibus religiosarum institutionum in fertili Ecclesiae
enascentium ubertatem. Quippe vidit saeculum decimum
um e Franciscana stirpe prodeuntes Ordines Capuccino-
n et Minorum strictioris observantiae Excalceatorum,
non Congregationes monialium Capuccinarum et monia-
n immaculatae Conceptionis B. V. M.; vidit novas Eremi-
m sub S. Augustini Regula Congregationes plures; vidit
itutam pro utroque sexu Reformationem Carmelitanam,
itutos Fratres de Hospitalitate seu S. Joannis de Deo, Ex-
eatos Ordinis SS. Trinitatis, Oblatos S. Ambrosii monia-
ue Ursulinas; vidit prodeuntes multos Clericorum regu-
um coetus, quales sunt Theatinorum ac Barnabitarum
ines, Societas Jesu, clerici regulares Minores, clerici
olarum piarum, item Ministrantes infirmis, atque alii deni-
qui a bono Jesu, a Matre Dei, a Sacris Clavis, a Soma-
n, etc., nomen habent. Ab his igitur regularibus omnibus
eodem illo saeculo tum primis annis saeculi insequentis
a domicilia ingenti numero quaquaversum fuere erecta.
nde facile concipitur valde opportunas fuisse pontificias
stitutiones, quae certis legibus coenobiorum erectiones
lerarentur, ut ubivis locorum utrisque et novis et anti-
regularibus esset bene consultum, neu alii alios sua ni-
tate praegravarent : id quod speciali ratione tunc quoque
ndendum erat in regionibus haud paucis, ubi haereticо-
furore, sicut catholica Ecclesia, ita etiam Ordines reli-
i miserrime afflicti fuerant atque vexati. Hinc nemini erit

incredibile, quod Zypaeus refert (1), Paulum V anno 1
Episcopis Belgii, litteris ad eos datis, injunxisse ut const
tionem Clementis VIII *Quoniam ad institutam* observar
Etenim quot strages apud nos ediderint haeretici saeculo
res est vulgatissima : notum quoque est inter illius temp
calamitates non fuisse illam in postremis habendam quod
nasteria in plurimis civitatibus oppidisque nostris vel pen
diruta fuere vel certe ex iis pulsi religiosi, resque eorum
sipatae, venditae et ad profanos aut etiam impios usus u
patae. Ubi vero, quiete hisce provinciis utcumque restit
Gregorius XIII, precibus Regis Philippi II motus, Br
dederat quo mandabat ut cujuscumque Instituti religiosi,
cumque ex Belgio exulantes, redirent in patriam (2), quar
horum plerisque labor fuit collapsas res suas tum sacras t
temporales resarcire! Nihilo tamen secius eadem tempes
effloruere toto Belgio novae religiosorum familiae plurim
uti videri potest apud scriptores qui de ecclesiastica illor
temporum in Belgio historia scripserunt : ex quo patet et
necessarium fuisse ut provideretur ne novi regulares ni
sua multiplicatione detrimentum antiquioribus afferrent.

6. Jam si hic fuit constitutionum pontificiarum sa
memoratarum scopus, neque alius in iisdem deprehendit
quaerimus utra sit significatio verborum illorum Clem
tis VIII : « Vocatis et auditis aliorum... conventuum Pri
bus seu Procuratoribus et aliis interesse habentibus : »
scilicet ea recte ita transponi queant : « Vocatis et aud
Prioribus seu Procuratoribus et aliis interesse habenti
aliorum conventuum; » an vero sic sint intelligenda : « Vo
tis et auditis Prioribus seu Procuratoribus aliorum conv
tuum, et aliis interesse habentibus. » Nobis quidem persuas
est priorem sensum multo magis esse obvium, atque adeo e
qui toti seriei orationis Clementinae optime respondeat; pro
deque per illos *alios interesse habentes* de quibus hic ser
est, designari Superiores regulares; atque id fieri credi
quin ulla propterea admittenda sit vocum redundantia : n
enim omnes Superiores domorum religiosarum vocari sol

(1) Jur. Pontif. nov. lib. 3, de Regular. num. 35, pag. 229. edit. Colon. 1641.

(2) Diercxsens, Antverp. Chr nasc. et cresc. tom. 6, pag. 1 edit. 1773.

ores seu Procuratores, sed iidem pro variis Ordinibus isque quae regunt coenobiorum generibus varias sortiun- appellationes.

ontra R. D. Professor alterum sensum verbis Clemen- VIII adscribit, cum adstruat (1) : « Praeter superiores asteriorum Ordinarius vocare et audire debet *alios inter- habentes,* » idque palam esse dicit ex constitutione gorii XV. Hac assertione posita, ratiocinium instruit, l ita paucis contrahimus : « Atqui parochus est *interesse ns ;* ergo, nisi is vocetur et audiatur, monasterii erectio a ejus parochiae fines erit invalida. » Ad quod respondemus eos non esse qui negemus parochi in hac re interesse e, sed illud a nobis negari, scilicet parochum annume- lum esse iis *interesse habentibus* de quibus Clemens VIII itur; cujus negationis rationes jam ante exposuimus. c contendimus R. D. Professorem non probasse quod pare volebat, nimirum ex constitutionibus Clementis VIII, gorii XV et Urbani VIII ad validam erectionem monasterii sve loci regularis necessarium esse ut Ordinarius paro- n prius vocet et audiat. Imo, si de parochorum juribus eratur, seponendae prorsus sunt constitutiones illae, te quae nihil de iis decernunt; et recurrendum ad alias s ecclesiasticas, quibus parochorum jura vere definiuntur.

Interim videamus quibus argumentis R. D. Professor n thesim tueatur. « Jam vero, inquit (2), ex communi maticorum sententia parochus, intra cujus parochiae erigendum est monasterium, annumeratur iis quorum est. si de monasterii aedificatione agitur ; quia in eccle- quae una cum monasterio aedificabitur, administrari runt Sacramenta, aliaque plura fieri, ex quibus parocho judicium inferri possit. » Haec verba si sola starent, non nt improbanda; sed hic vitiantur tum praemissis, quae o discussimus, tum maxime sequentibus (3) : « Atque quidem ex canonistarum doctrina necessarium est, et d valorem concessionis pertinet, ut parochus vocetur et atur, ut, si nec vocaretur nec audiretur, licentiam nul- et irritam fore contendant. His autem fere rationibus

(1) Pag. 55.
(2) Pag. 56.
(3) Pag. 56 et 57.

nituntur : 1° Ordinariorum potestas in concedenda licentia monasterium aedificandi non est absoluta, sed conditionata, pendens ab observantia formae praescriptae, ut constat ex verbis modo allatis constitutionis Gregorii XV. Etenim si Ordinarii non possunt impertiri licentiam nisi vocatis et auditis interesse habentibus, ubi haec conditio deficit, potestas quoque deficit; atque adeo corruit licentia defectu potestatis in concedente. 2° In constitutionibus pontificiis praescribitur forma servanda in concessione licentiae; atqui forma non servata, corruit actus. 3° In iisdem constitutionibus continetur decretum irritans, quo irritum et nullum redditur quidquid fit in contrarium. Haec porro non tantum probant irritam fore licentiam quam Ordinarius, parocho inconsulto sed illam etiam quam, regularibus vicinis inconsultis, impertiretur. »

Primum ad postremam hujus conclusionis phrasim annotamus scriptorem hic oblitum videri eorum quae tertia abhinc pagina dixerat. Si enim *irrita* esset licentia absque regularium vicinorum auditione ab Ordinario concessa, ea auditio ad validam coenobii erectionem *numquam non* foret *necessaria ;* et tamen antea innuit eam quandoque necessariam non esse, modo scilicet aliunde Ordinario constaret novum coenobium in notabile aliorum detrimentum non vergere (1). At praesenti loco aliter loquendum erat, et auditionis illius omnimoda necessitas asserenda, ne quis forte reponere posset : Si Ordinarius aliquando abstinere possit a vocandis audiendisque regularibus vicinis, eccur etiam interdum abstinere non posset a consultando parocho? In similem contradictionem incidit R. D. Professor, dum uno quidem loco ait (2) « Quod si contingat, ut allegatae vicinorum regularium rationes ex judicio Ordinarii non satis probent detrimentum, et ipsi tamen renuant praestare consensum, tunc Ordinarius poterit, *non obstante illorum dissensu,* licentiam impertiri; » alio vero loco statuit (3) « Ordinarium, *parocho invito,* non posse regularibus licentiam aedificandi praebere. » Quidni enim? Quod, *invitis regularibus,* Episcopus poterit, idem *invito parocho,* non poterit? Et utrumque ex una eademque Clementis VIII constitutione probabitur?

(1) Pag. 54.
(2) Pag. 55.
(3) Pag. 62.

Secundo ad argumentationem R. D. Professoris paulo ante nobis exscriptam annotamus non valde feliciter tres rationes quibus nitantur pragmatici parochum necessario vocandum et audiendum censentes, ab eo desumi ex Pasqualigi ad Laureti de Franchis annotationibus (quas in infima pagina allegat hoc indicio : « Cfr. Laureti de Franchis, *Oper. cit.*, part. I, num. 511. »); quandoquidem Pasqualigus toto suo tractatu *de conventuum nova fundatione* ne verbulum quidem scripsit circa audiendum parochum, sed praedictis rationibus utitur ut evincat negative resolvendum quaesitum : An, si Ordinarius concedat licentiam erigendi monasterium, non servata forma praescripta in novis decretis, teneat concessio et valeat erectio. » Quocirca, si has rationes pro sua opinione, qua putat vocationem et auditionem parochi ad normam constitutionibus pontificiis praescriptam essentialiter pertinere, R. D. Verhoeven adhibere volebat, debebat saltem rectores suos monere, scriptorem e quo eas mutuatus fuit, non in eadem secum versari sententia. Praeterea non valde accurate ille pronuntiat *his fere rationibus niti* eos canonistas suos ut suae sententiae patronos habet.

8. Sunt hi, prout ab ipso indicantur (1), Pignatellus, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Pax Jordanus, Barbosa, Venriglia, Leurenius, de Nicollis et Cardinalis Petra. In eorum doctrinam singillatim inquisivimus ; eosque revera comperimus communiter docere parochum intra cujus parochiae fines erigendum est monasterium, annumerari iis quorum interest : quam etiam sententiam a nobis non rejici, jam ante professi fuimus ; nec repugnamus quominus a R. D. Verhoeven *communis pragmaticorum sententia* nuncupetur. Sed parochum annumerari iis interesse habentibus de quibus Clemens VIII loquitur, ac proin *necessarium* esse et ita ad *valorem* concessionis pertinere ut parochus *vocetur et audiatur*, ut, si nec vocaretur nec audiretur, licentia erigendi monasterii *nulla et irrita* foret; tantum abest ut communis canonistarum doctrina sit, ut vel inter ipsos scriptores a R. D. Verhoeven allegatos plures numerentur qui eam non teneant. Age, videamus.

Barbosae verba, quae et ipse R. Dominus alicubi recitat (2),

(1) Pag. 56, not. (1). (2) Pag. 62.

ita sonant (1) : « In concedenda hujusmodi licentia debet Episcopus maxime attendere, si monasterium aut alterius cujuscumque erectio praejudicet quoquo modo ecclesiae parochiali : eo namque casu assentiri minime debet; et curato licet contradicere, audiendusque est in sua praetensione, ex Guidonis Papae *decis.* 370. » His verbis, ut quisque facile videt, ne quidem praescribitur Episcopo ut *vocet* parochum : verum permittitur huic ut contradicat, idque si fecerit, audiendus esse dicitur : fundamentum autem hujus doctrinae non reponitur in constitutionibus Clementis VIII ejusque successorum, sed in decisione aliqua Guidonis Papae jurisconsulti Galli, qui amplius sesquisaeculo ante editam constitutionem Clementinam scripsit, uti ex hisce ejus verbis colligitur (2) : « Ego Guido Papae, legum doctor, inter caeteros minimus, anno primo quo fui assumptus consiliarius in curia Parlam. Delph., videlicet anno Domini 1440, praesens opus compilare inchoavi. » Porro idem Barbosa, postquam ita ut vidimus de parochialis ecclesiae ratione ab Ordinario habenda locutus fuit, dein, interposita fere integra pagina formae quam *in folio* dicimus, de audiendis ab Ordinario regularibus vicinis haec ex Stephano Gratiano tradit (3) : « Advertit Gratianus *Disceptat. forens. cap.* 517 *num.* 18, quod Ordinarius *non potest* licentiam impartiri nisi *vocatis* Prioribus aliorum conventuum in eadem civitate exsistentium, et causa cognita constiterit dictos novos conventus erigendos commode sustentari posse sine aliorum detrimento, et addit hoc *de forma* procedere debere. » Longe itaque distat Barbosae doctrina a doctrina R. D. Verhoeven.

Idem de Pace Jordano dicendum. Hic nempe de licentia aedificandi monasterium ab Ordinario danda disserens, primum ait (5) : « Qualiter vero se gerere debeat Episcopus in concedenda hujusmodi, et quae debeat attendere, praescribitur a fel. rec. Clemente VIII in sua constitutione sive decreto *Quoniam ad institutam.* » Deinde, facta distinctione per particulam *praeterea* (qua ostendit se jam de illo decreto

(1) De offic. et potest. Episc. part. 2, alleg. 26, num. 5, pag. 312.

(2) Decis. Gratianop. Praefat. edit. Genev. 1653.

(3) Barbosa, loc. cit. num. 7, pag. 313.

(4) Elucubrat. divers. lib. 5, tit. 8, num. 38, pag. 389, edit. Colon. Allobrog. 1729.

ntificio non amplius loqui, sic ait (1) : « Praeterea in ncedenda ejusmodi licentia debet animadvertere ne praedicetur aliis ecclesiis, *c. Ecclesiae et c. Quicunque*, 16, 1,... praesertim vero parochiali : eo namque casu licet rato contradicere et aedificationem impedire, *Guidop. cis.* 370, *Barbosa l. c. n.* 5 *et* 6, *Seraph. decis.* 487, generaer agens de non concedenda facultate fabricandi in aliorum aejudicium, et multa cumulans ex quibus conjectura praedicii desumiter : repetit *Campanil. l. c. n.* 81 *post medium.* » go, quidquid juris Pax Jordanus parocho attribuit, id, aetermissa Clementis VIII constitutione, repetit e duobus tiquis canonibus, e Guidone Papae, Barbosa et Campanila, que ex decisione 847 (non 487) Seraphini Olivarii Razzali Rotae Decani : circa quam decisionem ne cui detur errandi casio, sciri velimus eam non fuisse datam in causa aliqua ndationis monasterii, sed in causa constructionis capellae *ecularis* Civitate in Hispania, opponente capitulo cathedra- ecclesiae multiplex praejudicium ex ea capella huic eccleae obventurum ; de quo praejudicio non constare et conructionem permittendam esse Rota declaravit (2).

Haud magis quam Barbosa ac Pax Jordanus, sententiae . D. Professoris patrocinatur Laurentius de Nicollis, dum de edificatione ecclesiarum tam saecularium quam regularium neratim agens, haec inter alia monet (3) : « Adverte in su quo nova ecclesia irrogat praejudicium parochiae, tunc *test* rector parochialis comparere adversus novam construionem, et est audiendus ; » quae sane non idem significant ac diceretur : Ordinarius ex Constitutionibus Clementis VIII, regorii XV et Urbani VIII necessario *vocare et audire* paroium *debet*, priusquam monasterium aut ecclesiam regulaum aedificari permittat, idque ad *formam* concessionis essenaliter pertinet. Imo vero de Nicollis absurdissime egisset, si edificationi *ecclesiae cujuscumque*, etiam saecularis, applitas voluisset leges Pontificias de erectione monasteriorum.

9. Pignatellus, fatemur, R. D. Professori favet, non solum oco hic ab eo indicato et paulo post (4) transscripto, ubi dicit

(1) Ibid. num. 39.
(2) Aureae decisiones Seraphini, rt. 1, decis. 847, pag. 922 et 923.
(3) Praxis canonica, tom. 1, lit. E. § 1, num. 7. pag. 321.
(4) Pag. 62.

parochi consensum ita esse necessarium ut absque eo fundatio novi monasterii non sustineatur (1), verum maxime alio loco, qui R. Dominum videtur praeteriisse, in quo Pignatellus asseverat (2) : « Quod autem a constitutionibus non exigatur consensus parochi sive capituli, falsum est. Nam in constitutione Clementis, quae fuit prima de hac re, ita habitur : *Motu proprio*, etc... Certum quippe est verbis illis : *aliis interesse habentibus*, parochum sive capitulum collegiatae vel cathedralis intelligendum esse. Quod decretum fuit deinde a Gregorio XV et Urbano VIII innovatum, sicque a S. Rota intellectum ut in decisionibus relatis. » Verum satisne firmo pede stat Pignatelli doctrina ut irrefragabilis dici queat, mereaturque appellari *canonistarum doctrina*, sicut fit a R. D. Verhoeven? Hoc jam examinandum. Imprimis quod Gregorius XV et Urbanus VIII Clementinum decretum confirmaverunt, id ad propositionem Pignatelli comprobandam nihil confert. Restat ergo ei una probatio, nempe *sic a S. Rota intellectum*. Atqui antea aliter etiam intellexerat S. Rota : nam in decisione anni 1615, uti supra demonstravimus (3), affirmavit in Clementis VIII constitutione considerari *tantummodo* praejudicium quod potest inferri ecclesiis Mendicantium, non autem aliis ecclesiis (4); cui, teste ipso Pignatello (5), consonat altera decisio data *in Pacensi Collegii*, nec dissonare videtur tertia *in Barchinonensi Fundationis conventus*, quam Pignatellus sibi objicit. Manifestum hinc fit Rotam superioribus illis decisionibus suis contradixisse, quando 7 Februarii 1656 haec apud eam fuere pronuntiata (6) : « Neque dicere valet ut constitutiones praedictae emanaverint pro indemnitate *mendicantium tantum*, unde isti *solummodo*, et non alii de tali nullitate opponere possint; quia contrarium colligitur ex illorum lectura, et signanter ex ea san. mem. Clementis VIII, in qua signanter disponitur quod citari debeant omnes interesse habentes : ibi, *Et aliis interesse habentibus.* » Post quae, ut probetur parochum interesse habere, sequuntur porro illa : « Et in specie quod parochi sint legitimi contradictores ad

(1) Consultat. canonic. tom. 1, consult. 179, num. 52, pag. 275, edit. Colon. Allobrog. 1700.

(2) Ibid. num. 68, pag. 277.

(3) Supra, pag. 504.

(4) Decis. recent. part. 2, decis. 745, pag. 573.

(5) Loc. cit. num. 53, pag. 275.

(6) Decis. recent. part. 12, decis. 124, pag. 172.

opponendum contra fundationem novi monasterii ac super tali praetensione audiri debeant, tenent Lap. *de hospit. num.* 35, *vers. Contrarium,* Guidop. *qu.* 360 (lege 370) *per tot.*, Modern. Lusitan. *de potest. Episc. alleg.* 26, *num.* 5, ubi in specie firmat quod Ordinarius uti delegatus in dictis litteris apostolicis debeat diligenter animadvertere an erectio novi conventus possit quovis modo ecclesiae parochiali praejudicare, et si compererit praejudicium afferre, debet assensum omnino denegare.» Utut autem tunc temporis S. Rota in sensu Pignatelliano abundavit, quaeri nihilominus potest num id deinde perseveranter fecerit. Sane 12 Novembris 1657 in causa *Caesaraugustana Fundationis conventus* erigendi in oppido Carinena, prope quod alius conventus jam exstabat, asseruit, praeter auditionem vicinorum regularium, non solum parochi ut interesse habentis, verum etiam incolarum illius oppidi consensum requiri ex constitutione *Piana* (nescio qua) et *Clementina* (1). At *in eadem causa* die 4 Februarii 1658 et iterum 6 Junii 1659, quamvis eadem requisita enumeraret, ex aliis tamen ea repetiit fontibus (2) : nempe consensum incolarum ex constitutione *Gregoriana* ab Urbano VIII confirmata (quae revera decernit ut audiantur incolae, nempe iis in locis ubi nulli adhuc regulares degunt), et consensum parochi, non jam ex ulla constitutione pontificia, sed ex Barbosa, ex Riccio et ex notatis in cap. *Dilectus* 2 *de capellis monachorum* et in cap. *Pastoralis* 9 *de his quae fiunt a Praelatis sine consensu capituli.* Inter quae omnia dicta satis notabilem intercedere diversitatem nemo non videt. Post haec in decisionibus posterioribus nobis notis, quae sunt 4 Julii 1659 (3), 26 Maii 1660 (4) et 8 Junii 1678 (5), reperimus quidem assertum parocho jus contradictionis ratione praejudicii sibi ex constructione ecclesiae regularis inferendi; verumtamen pro eo jure non amplius videmus fieri mentionem constitutionum apostolicarum, sed citari Guidonem Papae, Barbosam aliosque scriptores et capita qua-

(1) Ibid. decis. 289, pag. 396.
(2) Ibid. decis. 309, pag. 422, et part. 13, decis. 87, pag. 109.
(3) Ibid. part. 13, decis. 115. pag. 144.
(4) Ibid. decis. 225, pag. 268 et 269.
(5) Ibid. part. 19, tom. 2, decis. 489, pag. 129.

tuor ex Corpore Juris (1) : unde valde ambiguum manet utrum S. Rota, etsi constanter tenuerit parochum in erectione coenobii interesse habere, ideoque *audiri* debere, si forte reclamare voluerit, perrexerit etiam parochum annumerare iis interesse habentibus qui secundum formam constitutionibus apostolicis praescriptam *vocari* ab Ordinario debent *ut audiantur*. Et tamen praeter aliquot S. Rotae decisiones Pignatello solida argumenta nulla suppetunt quibus suam quam impugnamus assertionem probet : nam caetera quae ab eo afferuntur pro parochorum jure (2), nil aliud rite evincere possunt nisi id quod Barbosa cum aliis ex Guidone Papae docet.

His de Pignatelli doctrina dictis, nihil nobis superest dicendum de simili Ventrigliae doctrina (3), quae apud R. D. Verhoeven legi potest (4). Schmalzgrueber eamdem doctrinam tenet ex auctoritate verbisque Pignatelli (5). Statuit quoque Cardinalis Petra pro aedificatione monasterii ecclesiaeque regularium ex pontificiis Bullis necessarium esse ut parochus, prout et alii interesse forsan habentes, vocetur et audiatur (6); ac proin merito hic a R. D. Verhoeven citari potuit : sed simul eidem *auditionem* parochi cum *consensu* parochi postmodum confundenti (7) aperte contradicit in hunc modum (8) : « Proprie loquendo nullus requiritur consensus parochi pro auctorizando actu, sed tantum habet hic jus opponendi pro suo interesse, tum quia dictae constitutiones talem consensum non demandant, sed solum exprimunt ut parochus vocari debeat ad effectum opponendi, quatenus, causa cognita, ejus praejudicio consulatur, tum etiam quia, cessante tali praejudicio, nequit actus impugnari. Praeterquam quod, etiamsi ageretur de praejudicio ejus ecclesiae, neque posset praestare assensum, quia saperet alienationem jurium ecclesiasticorum, nisi concurrat causa necessaria...: proinde vere non dicitur consensus neces-

(1) C. *Quicumque* 44, caus. 16, quaest. 1; c. *Pastoralis*, de his quae fiunt a Praelato (lib. 3, tit. 10); c. *Dilectus*, de Capell. monach. (lib. 3, tit. 37); c. *Intellexi-mus*, de novi operis nuntiat. (lib. 5, tit. 32).

(2) Loc. cit. num. 56 et seqq., pag. 276 et 277.

(3) Praxis notabil. rerum, anno tat. 18, num. 21, edit. Neapol. 1649.

(4) Pag. 62 et 63.

(5) Jur. eccl. univ. tom. 3, tit. 36, num. 35, pag. 393.

(6) Comment. ad Constit. Apost. tom. 1. const. 2 Pasch. II, sect. 1. num. 30, 31 et 32, pag. 217.

(7) Pag. 60 et 62.

(8) Loc. cit. num. 33 et 34.

arius, sed ut audiatur parochus quod aedificatio fiat sine ejus praejudicio. »

10. Reiffenstuel vero ait (1) : « Controvertunt hic aliqui an inter citandos et audiendos etiam sint parochi locorum? Passerinus quidem in *c. Cum ex eo, de excess. Praelat. in* 6, Pasq. *q. moral. urid.* 512 et alii putant eos nec citandos nec audiendos esse. Verum contraria opinio, videlicet quod parochi ante consensum audiendi sint, probabilius et juri conformius videtur; prout saepe decidit Rota, teste ipso Passerino, et tenet Barbosa *de offic. et potest. Episc., allegat.* 26, *n.* 5, Hyacinth. Donatus *tom.* 1, *tr.* 1, *q.* 15, citans Guidonem Papam *decis.* 370, Novar. *in praxi novi juris pontificii, concl.* 1 *alias* 10, *n.* 1. Idque probatur ex Bulla Clementis VIII..., ubi expresse prohibetur ne Episcopus consensum praebeat, nisi prius *vocatis et auditis* religiosis praeexsistentibus in tali loco, et N. B. *aliis interesse habentibus:* itqui parochi in hujusmodi causa etiam interesse habent; cum contingere posset quod ex nova monasterii constructione eorum oblationes aliave jura parochialia ita diminuerentur ut congruam sustentationem non amplius habeant. Confirmatur ex *c.* 1 *de novi operis nuntiat.*, ubi universaliter prohibetur ne ecclesia aliqua (multo magis ne monasterium) in alterius praejudicium aedificetur, et conceditur quod quivis, praesertim rector ecclesiae baptismalis vel parochialis, praejudicium patiens, possit novum opus nuntiare; ergo. » Atque hisce subscribit Leurenius, ita loquens (2) : « Citandos et audiendos parochos locorum, cum Barbosa, Donato, Novarino, tamquam probabilius et juri conformius contra Passerinum tenet Reiffenstuel... ex ea ratione quod non minus de eorum interesse agitur, dum contingere posset ut ex novi monasterii aedificatione eorum oblationes aliaque parochialia ita imminuerentur ut congruam sustentationem amplius non haberent... Bullae Clementis VIII, Gregorii XV et Urbani VIII, quas recitat Reiffenstuel, requirunt consensum aliorum religiosorum et interesse habentium.» At vero *citandos et audiendos* esse parochos nec Barbosa usquam docuit neque ex Guidone Papae quisquam eruere potest, uti jam satis ostendimus (3); quemadmodum etiam ra-

(1) Jur. canon. univ. lib. 3, tit. 48, num. 33, pag. 726, edit. Antverp. 1750.

(2) For. ecclesiast., lib. 3, tit. 48, quaest. 997, num. 3, pag. 693 et 694, edit. Aug. Vind. 1737.

(3) Supra, pag. 510.

tiones evolvimus ob quas negamus in laudatis Bullis quidpiam juris parochis concedi (1). Scilicet in hac quaestione Reiffenstuel et Leurenius non satis secreverunt res omnino inter se secernendas: quarum (ut saepius jam dicta denuo repetamus) altera est an parochus ratione praejudicii sibi ecclesiaeque suae obventuri possit erectioni coenobii legitime contradicere, altera vero an ad validam coenobii erectionem necesse sit ut Ordinarius parochum antea citaverit et audierit. Tali distinctione adhibita, dignovissent, credimus, scriptores illi quid in eo argumento pro certo haberi possit, quid contra non possit, nec coacti fuissent circa totam universim quaestionem intra probabilitatis fines haerere.

11. Nunc ut summam institutae examinationis conficiamus, possumus novem auctores memoratos in tres classes dispertiri : ad quarum primam pertinent Barbosa, Pax Jordanus et de Nicollis, docentes parochum adversus novam monasterii aut ecclesiae constructionem reclamare posse, eumque, si reclamet, esse audiendum, sed neutiquam dicentes necessario ab Ordinario vocari sive citari debere parochum; ad secundam Reiffenstuel et Leurenius, qui probabilius et juri conformius putant parochum citandum et audiendum esse ; ad tertiam Pignatellus, Ventriglia, Schmalzgrueber et Petra, qui hoc statuunt tamquam certum : et hisce quidem, uti modo ex Reiffenstuel discebamus, e diametro opponuntur Passerinus, Pasqualigus et alii, parochum nec vocandum nec audiendum esse contendentes. Passerini doctrinam ita proponit P. Bremond (2) : « Notandum... quod Gregorius XV... *disjunctive* loquitur. Cum enim dixisset vocandos et audiendos esse caeteros religiosos, addit : « Vel alias Ordinariis locorum consti- » terit, etc... » Ex hac disjunctione Passerinus... colligit primo quod consensus aliorum religiosorum non est absolute necessarius, et, si nulla legitima ratione fulti dissentiant, ipsis invitis, Episcopus licentiam concedere potest; secus si justa de causa dissentiant. Ubi obiter notat idem celeberrimus scriptor hac de re illud solum detrimentum attendi debere quod de praesenti immineat contra jus quaesitum, non vero contra jus seu lucrum acquirendum in futuro. Secundo idem

(1) Supra, pag. 503 et seqq.
(2) Bull. Ord. Praed. tom. 8, Tract. de consens. Bull. tit. 1, quaest. 2, num. 10, pag. 39.

censet de caeteris interesse habentibus. Tertio idem docet de parocho, quem putat in hac causae cognitione vocandum non esse. Quarto colligit quod detrimentum concursus populi ad ecclesias in loco praeexsistentes non est attendendum, ut ex eo negetur erectio novi conventus. Quinto quod, si conventus erigendus habet redditus sufficientes pro sustentatione, potest erigi, etiam invitis aliis religiosis. »

Judicent hinc lectores nostri num revera, quod asseverare non dubitat R. D. Verhoeven (1), « canonistae *communiter* doceant parochum loci *de jure* vocandum esse et audiendum, antequam Ordinarius licentiam monasterium aedificandi concedat, idque ad *formam* concessionis pertinere, » eam nimirum formam quae in *constitutionibus pontificiis* praescribitur, et qua non servata, corruit actus, ut idem R. D. Professor ait (2), verbis usus Pasqualigi, sententiae suae adversarii. Videant prae caeteris parochi an non longe melioribus armis pro iis pugnent qui tunc solum eos de jure vocandos et audiendos pronuntiant quando de dismembratione ecclesiarum parochialium agitur, in aliis vero ecclesiis sive saecularibus sive regularibus erigendis ab Ordinario exigunt ut jura parochialia praeservet, seu, ut Reiffenstueli dicta adhibeamus, provideat ne parochorum oblationes aliave jura parochialia ita diminuantur ut congruam sustentationem amplius non habeant.

12. Audiamus de hisce rebus disserentem Monacellum : « *Citatio,* inquit (3), *et vocatio* rectoris ecclesiae matricis aut illius defensoris deputati, quatenus esset vacans, in *dismembratione* facienda est *omnino necessaria ;* alias, etiamsi concurrerent justae causae et requisita pro illa obtinenda, adhuc *nulliter* esset facta, si sine hac *solemnitate* fieret...; sicut vocandi quoque essent caeteri interesse habentes, quando Episcopus vellet novae ecclesiae parochiali unire beneficia. » Idem tradit Lucius Ferraris (4); qui mox subdit (5) : « Si rector vocatus noluerit consentire, potest Episcopus, eo invito (*si subsit justa causa*), procedere ad talem dismembrationem, » idque plurium doctorum auctoritate comprobat, inter quos et citatus Monacellus numeratur. Hic deinde, quod spectat ad diminu-

(1) Pag. 57.
(2) Pag. 56.
(3) Formular. legal. practic. tom. , tit. 2, formul. 3, num. 9, pag. 34, edit. Rom. 1703.
(4) Biblioth. voce *Dismembratio*, num. 12.
(5) Ibid. num. 13.

tionem proventuum antiquioris ecclesiae, quae non potest ex dismembratione non resultare, sequentia statuit (1) : « Abundantia reddituum dicitur causa sufficiens dismembrationis.... Sicuti enim quando parochia est numerosa et pinguis, debet parochus coadjutori sibi dato mercedem persolvere..., ita quando juridica fit dismembratio, debet diminutionem fructuum pati. Si vero ecclesia matrix bonis non abundaret, et rector praeter congruam nihil aut parum haberet, non posset Episcopus ex ea aliquam partem fructuum seu bonorum dismembrare; sed parochiani quorum intuitu nova parochia sive vicaria perpetua erigitur, compellendi essent ad providendum parochum seu vicarium de victu... Decimae praediales, nisi in dismembratione ab Episcopo explicite assignentur pro sustentatione novi curati, non censerentur in eum translatae, neque pro rata, sed remanerent integraliter rectori matricis... Decimae vero personales seu sacramentales transeunt ipso jure in curatum et parochialem noviter erectam. » Quibus consona iterum sunt quae Ferraris in eamdem rem scribit (2). Quamvis autem quae ii scriptores de decimis docent, hodie in Belgio obtinere amplius nequeant, certe tamen ex eorum doctrina sequitur non posse generatim rectorem ecclesiae dismembrandae exigere ut nihil de suis proventibus detrahatur : imo, ex duabus Rotae decisionibus a Ferraris citatis, consecutiva ad ipsam dismembrationem et omnia jura quae ex limitibus separatis separantur, suapte novae ecclesiae cedunt, salvis interim reservationibus in antiquioris ecclesiae gratiam factis (3); atque in decreto Concilii Tridentini quo Episcopis agnoscitur facultas ut justis de causis « novas parochias, etiam invitis rectoribus, juxta formam constitutionis Alexandri III, quae incipit : *Ad audientiam,* constituere possint, » declaratur (4) : « Illis autem sacerdotibus qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi *ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus ;* et, si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam. » Et haec quidem de dismembratione ecclesiae

(1) Loc. cit. num. 11 et 15, pag. 35.
(2) Loc. cit. num. 16, 17, 28 et 29.
(3) Ferraris, ib. num. 21 et seqq.
(4) Sess. 21. cap. 4 de Reformat.

parochialis, ad quam de jure requiritur ut parochus vocetur et audiatur, quin tamen semper attendatur ejus dissensus; cum potius S. Congregatio Concilii multum stare soleat judicio Episcopi (1).

13. Loquens autem de oratoriis publicis vel ecclesiis non parochialibus, vult Monacellus ut formulae licentiae ab Ordinario pro his erigendis dandae inserantur verba : *Reservatis juribus parochialibus;* ad quae sequentia annotat : « Haec clausula in licentia erigendi novas ecclesias necessario apponenda est, quia Episcopus juribus parochialibus praejudicium inferre non potest : et quamvis Ricc. *Prax. for. eccles. part. 4, resol.* 298, teneat quod intra fines parochiae nova ecclesia aedificari non debeat nisi concurrat etiam consensus parochi, haec tamen doctrina debet intelligi, quando Ordinarius id permittat non reservatis juribus illius; quia, si haec praeservata remanent, parochus non valet se opponere, ut frequenter decisum habemus ab utraque Congregatione, et praecise : In una *Januensi;* in qua cum nobilis mulier Anna Adurna obtinuisset ab Archiepiscopo licentiam parvam ecclesiam ruri aedificandi tam pro commoditate propria quam loci incolentium, sese opposuit parochus S. Margaritae Marasii; causaque per viam recursus delata ad Sac. Congr. Episcoporum et Regularium, referente Eminentissimo Sacchetto, sub die 5 Septembris 1692 prodiit rescriptum : *Concedendam esse aedificationem arbitrio Ordinarii, salvis juribus parochialibus.* In *Nucerina;* in qua volens Dominicus Cagnucci aedificare publicum oratorium in villa Dignani, sese opposuit parochus, non solum ob subtractionem quam timebat eleemosynarum, sed ob diminutionem concursus populi, sine quo nec processiones facere nec pueros adultosque rudiores docere Doctrinam Christianam potuisset : Episcopus tamen in actu visitationis licentiam pro constructione novae ecclesiae concessit, nonnullis conditionibus qualificatam *et sine praejudicio jurium parochialium;* a quo decreto recurrens parochus ad eamdem Sac. Congregationem, et referente Eminentissimo D. Card. Acciajolo, sub die 12 Martii 1693 responsum fuit : *Serventur disposita per Episcopum.* Et idem tenuit *in Placentina Oratorii* 20 Maii 1697, referente clar. mem. Card. Petrucci.

(1) Addit. ad Biblioth. Ferraris, loc. cit. num. 12.

parocho ac etiam Episcopo reluctantibus. In *Maceratensi :* exoptans Bartholomaeus Accursius in oppido Montis Miloni ecclesiam aedificare et dotem pro illius manutentione assignare, parochus sese opposuit; qua oppositione non obstante, delata causa per viam recursus ad Sac. Congr. Concilii, sub die 10 Maii 1687 licentiam Accursio concessit : *Cum obligatione congruae dotis, et salvis juribus parochialibus.* In *Theatina :* Baro Joseph Foppus pro commoditate colonorum ecclesiam auctoritate Ordinarii ruri aedificavit; et cum vellet in ea capellaniam perpetuam cum onere Missarum erigere, consensum Archiepiscopi successoris non potuit obtinere, ex quo ecclesia non esset in loco et via publica, tum quia per erectionem capellaniae villici propriam parochiam deseruissent; ideoque habito per dictum Baronem recursu ad eamdem Sac. Congr. Concilii, propositoque, Archiepiscopo etiam informante, dubio : *An precibus Baronis esset annuendum,* die 29 Julii 1690 responsum fuit : *Affirmative.* In *Foroliviensi :* Caesar Maria Baratta, volens fabricam publici oratorii ruri coeptam complere, sese opposuit parochus ob proximitatem ecclesiae parochialis; cui oppositioni adhaerens Episcopus (quia noluit licentiam concedere), recursum habuit Baratta ad eamdem Sac. Congr. Concilii, a qua audito Episcopo, et nihil quod posset obstare deducto, die 16 Januarii 1694 fuit resolutum : *Licentiam esse concedendam sine praejudicio jurium parochialium.* In *Ravennatensi :* Quondam Franciscus Secchius ob commoditatem populi mandavit in suo testamento quod ex suis bonis erigi deberet in certo loco nova ecclesia parochialis, et pro indemnitate parochi a quo pars parochianorum separari debebat, legavit eidem praedium annui redditus scut. 18. Huic dispositioni acriter se opposuit parochus ob praejudicia suae ecclesiae; causaque proinde delata ad eamdem Sac. Congr. Concilii, propositoque dubio : *An esset facienda erectio novae parochialis in alio loco quam destinato per testatorem, et sub quibus conditionibus?* prodiit, partibus informantibus, resolutio : *Affirmative, et quoad locum, et conditionibus arbitrio Archiepiscopi.* Ex quibus resolutionibus liquet quod praejudicium proveniens ecclesiis parochialibus ex diminutione concursus et eleemosynarum penitus contemnitur; et parochi semper succumbent, quoties hoc clypeo velint se opponere aedificationi novarum ecclesiarum.

Etenim cum hodie parochiani non possunt cogi ad audiendam Missam diebus festis in ecclesia parochiali, ut olim servabatur,... sequitur quod constructio novae ecclesiae, quae est valde pia et religiosa,... pro sola Missae celebratione non debeat impediri; neque parochiani coarctandi ut diebus festis ad parochiam accedant, prout moris antea fuit, *Sac. Congr. Concilii in Fulginaten.* 7 *Julii* 1696 : sunt tamen hortandi *iuxta Concilii Trid. verba, sess.* 24, *cap.* 4 *de Reform.* » Hactenus Monacellus (1). Licet autem haec ab eo dicta et allegata spectent ad ecclesias et oratoria saecularia, nec omni ex parte erectioni monasteriorum et ecclesiarum regularium applicari queant, equidem putemus ea aliquid conferre solutioni difficultatum quae postmodum R. D. Verhoeven ex diminutione concursus populi, eleemosynarum, etc. adversus hujusmodi erectionem suggerit (2) : quocirca operae pretium duximus ea etiam exscribere.

14. Deveniens postmodum idem Monacellus ad formulam licentiae fundandi monasterium ab Ordinario dandae, prae caeteris haec duo observanda esse statuit : alterum (3) ut servet Ordinarius formam constitutionum Clementis VIII, Gregorii XV et Urbani VIII, quo ei constet in novo monasterio duodecim religiosos posse absque detrimento *aliorum regularium* intra distantiam quatuor milliarium habitantium commode et congrue sustentari; alterum (4) ut sine praejudicio ecclesiarum parochialium fundatio fiat : quam in rem, nulla jam facta praedictarum constitutionum mentione, haec tantum profatur : « Jura parochialia praeservanda sunt, ne parochi jamjam ob multitudinem regularium ad nihilum redacti, et quasi ob exiguam partem antiquarum praeeminentiarum quam hodie retinent, comtempti, curam negligendo, etiam mendicare cogantur, prout praeservari jussit *Sac. Cong. in Tiburtina Fundationis conventus* 28 *Februarii* 1698, *referente Eminentissimo Acciajolo.* » Ex quo loquendi modo, sicut et ex aliis dictionibus quae ex ejus opere afferre possemus, satis apparet hunc scriptorem non eum esse qui regularibus adversus saeculares clericos aliquid nimii concedere velit : nusquam

(1) Op. cit. tom. 1, tit. 6, form. 10, num. 8-13, pag. 148 et 149. Cfr. Ferraris, Biblioth. voce *Ecclesia*, art. 3, num. 44 et seqq.

(2) Pag. 61 et seqq.

(3) Op. cit. tom. 1, tit. 6, form. 19, num. 2, pag. 162.

(4) Loc. cit. num. 34, pag. 165.

autem innuit parochum pro erectione coenobii *vocandum et audiendum* esse ejusve *consensum* esse necessarium.

15. Jam vero jura parochialia quaenam sint, ita exponit Joseph de Bonis (1): « Enumerat autem jura parochialia prae caeteris Abbas *in rubric. de Parochis, num.* 2, ubi docet parochiale jus consistere primo in eo ut parochiani diebus festis de praecepto audiant Missam in parochiali ecclesia, *c.* 2 *de Parochiis,* quamquam id hodie consilium potius quam praeceptum videatur; 2° ut parochiani recipiant Sacramenta a parocho, *cap. Nullus, de Parochis,* quod hodie reducitur ad Eucharistiam in Paschate et in morte, ad Extremam Unctionem et Matrimonium; 3° ut sepeliantur fideles in sua parochia, nisi habuerint sepulcrum majorum aut in alia ecclesia elegerint sepulturam, quibus in casibus reservantur parocho juxta constitutiones ac consuetudines dioecesium quaedam emolumenta parochialia; 4° ut ecclesiae parochiali solvantur decimae et oblationes, juxta tamen consuetudinem uniuscujusque dioecesis. » Eodem prorsus modo jura haec ex Abbate enumerat Ubaldus Giraldi (2), subdens, quod etiam facit de Bonis, ea omnia quoque reperiri in decisione 2089 S. Rotae coram Coccino. Neque aliter, etsi paulo fusius, eadem jura describit Lucius Ferraris (3).

16. His igitur ab Ordinario praeservatis in monasterii alicujus erectione, prout, teste Monacello, cui Ferraris concinit (4), ea praeservari jussit Sacra Congregatio, num adhuc assensum ei erectioni efficaciter denegare possit parochus, id quod ne in parochiae quidem suae dismembratione justis de causis facta potest, non immerito quis controverterit : nec enimvero sententia affirmans ita communis est inter canonistas ac R. D. Verhoeven sibi persuasit; et is, quamvis immensum penes se habeat Thesaurum resolutionum S. Congregationis Concilii, eoque se plurimum usum testetur (5), nullam inde resolutionem affert qua eam sententiam comprobet : dum ex alia parte plures resolutiones nobis suppeditat Monacellus,

(1) De oratoriis publicis, cap. 10, num. 176, pag. 89, edit. Mediolan.

(2) Animadvers. et addit. ad Aug. Barbosa de offic. et potest. parochi, part. 1, cap. 1, num. 26, in additione, pag. 7, edit. Rom. 1831.

(3) Biblioth. voce *Parochia*, num. 22 et seqq.

(4) Ibid. voce *Conventus*, art. 1, num. 26.

(5) Praefat. pag. III.

quibus patet quam facilis sit eadem S. Congregatio, necnon illa Episcoporum et Regularium, in probanda oratorii publici saltem saecularis erectione, etiam invito parocho, modo salva maneant jura parochialia. Quas ut non inconvenienter adversus R. D. Professorem videamur urgere, facit praesertim illud monitum ad parochos, quo suum paragraphum claudit (1) : « Opinamur tamen res ecclesiasticas hodie in plerisque provinciis ita esse comparatas, ut, si tantum agatur de erigendo monasterio, et non simul aedificetur ecclesia regularium, parochus vix umquam possit legitime monasterii erectionem impedire, quum nonnisi perraro ex hujusmodi erectione vel ipse vel parochialis ecclesia notabile capere possit detrimentum. At, ubi sermo est de aedificanda ecclesia regularium, sive una cum monasterio, sive postquam aedificatum jam est monasterium et in eo jam introducti sunt regulares, res omnino aliter videtur decidenda; ut ex § proxime sequente patebit. » Ergo, inferemus enim, quidquid ad victum, vestitum, habitationem, supellectilem caeteramque congruam sustentationem duodecim saltem regularium (hunc enim numerum statuit Gregorius XV) incolae loci conferunt, non nisi perraro et vix umquam rationem sufficientem parocho praebet contradicendi erectioni monasterii. Ergo omnis illius contradictionis ratio fere refunditur in solam ecclesiam regularium, seorsim a monasterio spectatam. Sic autem spectata haec ecclesia adeone multum differt ab aliis ecclesiis non parochialibus, a quarum constructione, si salvis juribus parochialibus fiat, sat difficulter parochi se tuentur? Quod autem videtur R. D. Professor regulares eo plerumque velle redactos ut ecclesiis careant, id tantum non est velle ut ii quasi *hospites et advenae* potius quam inquilini in hisce regionibus versentur : quam conditionem si Fratribus Mendicantibus aliisque religiosis vitae activae ad salutem animarum ex Instituto suo addictis imposueris, quid reliquum erit nisi ut spem omnem, non dicam incrementi, sed vel stabilis inter Belgas exsistentiae abjiciant? At commodiorem de hac re loquendi occasionem R. D. Verhoeven nobis sequenti suo paragrapho offeret (2), quem modo adorimur.

(1) Pag. 57. (2) Pag. 75.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

DE PAROCHO INTRA CUJUS PAROCHIAM MONASTERIUM ERIGITUR.

1. *Canon de non aedificanda ecclesia in praejudicium alterius nihil speciale pro parochialibus ecclesiis decernit.*
2. *Idem canon non severius de ecclesiarum regularium quam de aliarum aedificatione interpretandus.*
3. *Quid canone illo revera vctetur.*
4. *Responsio S. Bonaventurae ad querelas de religiosis nova monasteria erigentibus.*
5. *Ratiocinia R. D. Verhoeven non evincunt id quod probare conatur.*
6. *Num merito R. D. Verhoeven parocho amovibili idem jus tribuat ac inamovibili.*
7. *Etsi parochus vocari et audiri deberet, non inde sequeretur consensum ejus esse necessarium.*
8. *Non omnis proventuum diminutio ut praejudicium haberi debet.*
9. *Propter meram proventuum diminitionum non potest parochus aedificationi ecclesiae regularium resistere.*
10. *Ex tribus auctoribus a R. D. Verhoeven citatis unus Pignatellus consensum parochi requirit.*
11. *Expenduntur rationes Pignatelli.*
12. *Pignatellus secum ipso non satis constat.*
13. *Pro multis, quas promittit, tribunalium Romanorum decisionibus R. D. Verhoeven unam tantum S. Rotae decisionem adducit.*
14. *Ea decisio S. Rotae ad rem non pertinet.*
15. *Ex praemissis ruunt assertiones R. D. Verhoeven.*

1. Inscribitur tertius R. D. Professoris paragraphus : *De jure parochi, intra cujus parochiae fines ecclesia regularium est*

aedificanda; et in ipso ejus limine praeceptum gravissimum Illustrissimis Episcopis imponitur : *Ordinarius vocare et audire debet parochum loci, antequam regularibus licentiam concedat ecclesiam aedificandi* (1). Nota jam omitti *monasterium*, ac de *ecclesia* solum agi, quae ab Urbano VIII, judice R. D. Professore, non habetur ut pars monasterii, sed reputatur inter *alia loca regularia quovis nomine nuncupata.* Porro ait scriptor (2) : « Antequam inquiramus quandonam parochus aedificationi ecclesiae regularium contradicere legitime possit, monuisse juvabit, jure communi cautum esse, ne ulla ecclesia in praejudicium alterius ecclesiae, praesertim parochialis, aedificetur ; » eamque in rem citat caput *Intelleximus, de novi operis nuntiatione.* Sumptum est illud caput Decretalium (3) ex litteris Lucii III ad Episcopum Patavinum, scriptis occasione causae quae vertebatur inter Priorem S. Cypriani et clericos de Rodigio, super capella in praejudicium ecclesiae baptismalis de Costa ab iisdem clericis constructa post appellationem a Priore illo interpositam ; quibus litteris Episcopo praedicto injungitur : « Quia nulla ecclesia in praejudicium est alterius construenda, negotium ipsum secundum legum et canonum statuta non differas terminare. » Ubi hic voces illae : *praesertim parochialis?* Agitur quidem in hac decretali de ecclesia aliqua quae baptismalis nuncupatur ; sed prae oculis haberi debet aliud esse principii ad litem illam in specie applicationem, quae facienda committebatur Episcopo Patavino, aliud vero principium ipsum, quod prorsus generale est nec favorabilius ecclesiae parochiali quam v. g. patriarchali, primatiali, metropolitanae, cathedrali, collegiatae, aut etiam abbatiali vel conventuali. Dubitamus autem an R. D. Verhoeven ecclesias *baptismales* cum *parochialibus* prorsus confundat ; dum tamen has inter et illas intercedere possit, imo nonnumquam intercedat distinctio, ut experientia patet, teste Ferraris (4) : exempli causa, si, ut ait Schmalzgrueber (5), « in una parochia, quae propterea etiam *matrix* vocatur, fons Baptismi erectus sit pro aliis etiam parochiis, et hae quidem administrare parochianis suis reliqua Sacramenta

(1) Pag. 57.
(2) Pag. 59.
(3) Lib. 5, tit. 32.
(4) Biblioth. voce *Ecclesia*, art. 3, num. 11.
(5) Jur. eccl. univ. tom. 3, tit. 29, num. 6, pag. 319.

possint, non vero Baptismum, » cujusmodi ecclesiae sub matrice constitutae non raro *capellae* in Jure audiunt; vel etiam si qua ecclesia, etsi nec parochialis neque curata sit, nihilominus fontem habeat ad quem unius pluriumve ecclesiarum parochiani suos baptizandos deferre debeant aut possint (1). Quocirca non sine ratione Tridentini Patres disjunctive loquuntur de ecclesiis *parochialibus vel baptismalibus* (2), attendentes scilicet ad distinctionem quae inter utrumque ecclesiarum genus quandoque obtinet.

2. Verum sint R. D. Professori synonymae, si velit, voces *baptismalis* et *parochialis*. Demus illi sub universali pronuntiato : « Nulla ecclesia in praejudicium alterius est construenda, » subaudiri voces : *praesertim parochialis*. Num inde sequitur severius esse procedendum adversus constructionem ecclesiae regularium quam cujuscumque alterius ecclesiae? Minime vero. Deinde an nomine *praejudicium* quaelibet proventuum diminutio significatur? Si ita esset, nulla umquam parochiarum dismembratio, et vix ulla ecclesiae aut oratorii publici, etiam saecularis, intra alicujus parochiae fines erectio foret possibilis : quod nemo sane dixerit. Nonne complures sunt causae legitimae oratoria publica aedificandi, reclamantibus licet parochis, qui coram Sacris Congregationibus, ut cum Monacello ait Joseph de Bonis (3), semper succumbunt, quoties clypeo diminutionis concursus et eleemosynarum non debitarum sese tali aedificationi opponere velint? Imo, inquit idem scriptor (4), « justissima inter alias causa est ut augeatur divinus cultus ac foveatur fidelium pietas; eaque causa semper praecipua fuit apud Sedem apostolicam, ut testatur Monacellus, *tom.* 1 *Formul. tit.* 6, *pag.* 205, *num.* 1, et habetur in cap. *Ex parte, de Constit., cap. fin. de Rescript. in* 6, et in Jure civili in *l. Sunt personae, ff. de Relig. et sumpt. funer.*, ex qua desumptum est effatum : *Summa est ratio quae pro pietate et religione facit.* » Quod nisi lex illa canonica de aedificandis ecclesiis, quam profert R. D. Verhoeven, hoc quem innuimus sensu accipiatur, injustae dicendae sunt omnes illae

(1) Cfr. Fagnanus, in lib. 3 Decretal. de Praebendis, c. *Exstirpandae*, § *Qui vero*, num. 21, 22 et 23, pag. 128; de Decimis, c. *Cum contingat*, num. 58 et 59, pag. 321.

(2) Sess. 21, cap. 4 de Reformat.

(3) De orator. public. cap. 20, num. 376, pag. 157.

(4) Ibid. num. 372, pag. 155.

Sacrarum Congregationem declarationes quas Monacellus refert (1); injusti canones Toletani, ab universa Ecclesia Latina usu recepti, per quos Episcopo fit facultas ex Ecclesiae suae rebus aedificationi aut sustentationi monasteriorum deputandi aliquid *quod utilitatem non gravet Ecclesiae* seu *quod detrimentum Ecclesiae non exhibeat,* idque tandem ad quinquagesimam rerum Ecclesiae partem determinatur, *ut, hac temperamenti aequitate servata, et cui tribuit, competens subsidium conferat, et cui tollit, damna gravia non inferat* (2); et vix aliter quam supremae in omnem Ecclesiam potestatis exceptione ab injustitiae crimine se defendent Romani Pontifices, qui Ordines religiosos monasteria et ecclesias secundum Instituta sua aedificaturos approbarunt, commendarunt, foverunt, privilegiis locupletarunt. Quae profecto consequentiae nimis quam horrent absurdae, nec ipsi R. D. Verhoeven probabiles videri possent.

3. Cum vero is persuasum sibi esse dicat (3) « jus quo in hoc rerum genere hodie utimur, non novum esse aut recenter introductum, sed in remotissima etiam antiquitate fere idem reperiri, » revocemus etiam ex antiquitate, praeter memoratos modo canones Toletanos, capitulare Caroli Magni editum ad Salz anno 804, in quo res de qua agimus optime declaratur his verbis (4) : « Quicumque voluerit in sua proprietate ecclesiam aedificare, una cum consensu Episcopi in cujus parochia fuerit, licentiam habeat. Verumtamen omnino providendum est ut aliae ecclesiae antiquiores propter hanc occasionem nullatenus suam justitiam aut decimam non perdant; sed semper ad antiquiores ecclesias persolvantur. » Quae ipsa verba Decreto Gratiani inserta sunt sub nomine Concilii Wormaiensis (5). His itaque, ne liberum cuivis esset interpretandi praejudicii arbitrium, ad duo antiquiori ecclesiae praeservanda omnia reducuntur, *justitiam* videlicet et *decimas.* Quoniam autem de decimis auferendis, cum temporum vicissitudine obsoleverint, in Belgio non potest esse quaestio, sat erit notasse per vocem *justitiam,* uti probat Cangius (6), significari *jus quod*

(1) Vide supra, pag. 519 et 520.
(2) Vide supra, pag. 477 et 478.
(3) Pag. 1.
(4) Capitular. Regum Francorum, tom. 1, col. 415, edit. Baluz.
(5) C. 44, caus. 16, quaest. 1. Cfr. Berardus, Canon. Gratiani, part. 1, cap. 55, pag. 493.
(6) Glossar. med. et infim. Latinit. voce *Justitia.*

alicui in re quavis competit sive in ejus redditibus; quo sensu in alio capitulari praescribitur (1) « ut honor et pax atque *justitia* sanctae Dei Ecclesiae et servorum ejus inlaesus ab omnibus conservetur. » Proin, si Episcopus ob justas rationes constructionem alicujus ecclesiae, etiam regularis, permittat, illaesis manentibus juribus ecclesiae antiquioris (quo nomine an parochialem intellexerit Carolus Magnus, modo non disputamus), non habet ullus unde jure conqueratur de praejudicio sibi illato aut inferendo, etsi pars proventuum suorum, quae ex justitia ei non debeatur neu alias ad congruam ejus sustentationem necessaria sit, ei forte pereat.

4. Rectissime igitur inimicis Fratrum Minorum, dicentibus : « Surripitis clericis eleemosynas, quae ipsis darentur, si vos non essetis, » in hunc modum respondet S. Bonaventura (2) : « Omnia quae ipsis jure debentur in oblationibus, decimis et aliis, vel de approbata eis consuetudine dari solent a populo, nos potius suademus eis dari quam impediamus ; imo hortamur populum eis ista non subtrahere nec in alios pios usus erogare, et jus suum cuique tribuere, etiam peccatori. Si autem quandoque quaerunt consilium ubi secundum Deum melius sit dare eleemosynam ad quam non tenentur ex debito, dicimus libere quod ibi sit melius ubi major est indigentia vel major Dei honor exhibetur, et ipsis dantibus exinde efficaciora orationum suffragia provenire creduntur, vel quo ipsorum devotio ad benefaciendum pro Deo ferventius inclinatur. » Cui responsioni addere juvat aliam, qua idem Sanctus Ecclesiae Doctor sequentes convellit criminationes Fratribus Minoribus objectas : « Cum nulli deberetis facere injuriam vel damnum inferre, hoc non servatis : quia saepe contra voluntatem plebanorum recipitis domos in eorum parochiis ; unde eis multum perit de oblationibus et aliis proventibus, dum vos occupatis loca in quibus alii habitarent qui eis ista persolverent. Item saepe sine licentia Episcoporum intratis eorum dioeceses. Aliquando, inconsultis Dominis terrae vel civitatis, domos recipitis in eisdem. » Ad has igitur querelas quid Sanctus? « Non omnia, inquit (3),

(1) Capitular. tom. cit. col. 1202.
(2) Libell. apologet. in eos qui Ordini FF. Minorum adversantur, resp. 1, tom. 5 Oper. pag. 700 et 701, edit. Venet. 1754.
(3) Ibid. resp. 10, pag. 710 et 711

uae fiunt contra voluntatem alicujus, ad injuriam ejus unt. Cum ergo cives alicujus oppidi nos vocant, et locant nos ud se in tali loco ubi etiam possent Judaeos locare vel eam pro ludis facere vel horrea seu stabula, de quibus nihil oveniret plebano loci, etiam si nos ibi non essemus, non cimus eis injuriam ullo modo. Sumus etiam non deterioris nditionis quam alii Christiani vel religiosi, quibus concetur domos recipere et loca, ubicumque dantur ab eis qui bent jus liberum dandi eis; maxime cum per Sedem apolicam sit Ordo noster approbatus et in subsidium animarum Ecclesia destinatus, et hoc bonum per aliorum malitiam n debeat impediri. Si enim numquam deberemus morari si de voluntate clericorum, vix umquam in Ecclesia possemus diu morari; dum per se aut incitati per alios ejicerent s de parochiis suis potius quam haereticos vel Judaeos. piscopis etiam nullam facimus injuriam, cum non gravemus s in aliquo, sed juvemus praedicando et consulendo eorum bditis ut devotius obediant, et onus regiminis eorum tanto rtabilius fiat eis, de quo in judicio extremo oportet eos ddere rationem. Si autem movet eos quod sumus exempti a risdictione ipsorum quoad nos ipsos, tunc e converso conlentur quod liberiores sunt, quod pro nobis non tenentur ddere rationem; ut de nostra gubernatione carent honore, sint liberi a sollicitudine et labore, excepta providentia etatis et inter nos in suae pacis unitate servanda. Domino iam terrae vel villae non facimus injuriam, si eo inconsulto andoque vocati a civibus, mansionem recipimus in villa, i liberum esset eis (si vellent) theatrum facere vel locare daeos vel locum relinquere vacuum; quia de ipsius fundi ssessione nil ei subtrahimus, nec aliquid proprietatis nobis illo vindicamus; maxime cum cives amore nostrae comorationis ibidem Domino refundant aliunde, si quid forte area nostra deberet annuos census percipere, si nolit pro o carere. Nam, si etiam contingeret nos post haec a loco nitus discedere, nec venderemus aream nec alicui partem deremus; sed, sicut concessum est nobis, eis ad quos peret dominium relinqueremus. Ipsum quoque oratorium strum non fit parochiali ecclesiae praejudicium, in quo nec lationes ejus ad Missam percipimus, nec aliquos homines ipsa nobis attrahimus, quin omnia jura sua viventes et

mortui ecclesiae parochiali persolvant. De sepultura vero constat ex jure communi, quod si apud nos eligunt sepeliri, possent, et alibi, si vellent, ubicumque, sine praejudicio parochialis ecclesiae hoc facere; nec ad hoc possent in aliquo impediri. » Haec Sanctus ille.

5. Vero igitur vocis *praejudicii* sensu prae oculis habito, nullus erit quin videat frustra a R. D. Verhoeven praetexi illam seriem ratiociniorum, quam sic in compendium redigimus : « Jure communi cautum est ne ulla ecclesia in praejudicium alterius ecclesiae, praesertim parochialis, aedificetur; atqui jus commune *favorabile* est : ergo ejus derogatio, utpote *odiosa*, agnosci non debet, nisi perspicue ex verbis summi Principis possit probari. Jam vero Summi Pontifices suis de regularium locorum erectione constitutionibus adeo juri communi non derogarunt ut potius idem enixe confirmarint : ergo ecclesia regularium in praejudicium ecclesiae parochialis aedificari non potest (1). » His enim concessis (nec tamen singula concedimus), quid inde? Nempe, ut loquitur R. Dominus ipsemet, « parochum legitime posse ecclesiae suae jura vindicare, siquando haec per istiusmodi aedificationem in discrimen vocentur aut laedenda praevideantur (2) ; » dummodo vocem *jura* ita intellexeris, ut intelligendam esse ostendimus, non vero uti adversarius eamdem saepius interpretatur. Hactenus itaque suis syllogismis aut quasi syllogismis nihil ille profecit. Superest, pro scopo quem sibi praestituit, ut demonstret non sufficere quod jura parochialia aliave, s quae sint, ad congruam parochi ejusque ecclesiae sustentationem necessaria praeserventur, id quod ab Episcopo cu status parochiarum suae dioeceseos compertus est, uti est in nostro Belgio, facile, etiam inaudito parocho, fieri potest verum insuper requiri ut, antequam Episcopus aedificationem ecclesiae regularium permittat, parochus loci ab eo vocetur et audiatur. Idcirco, cum *jure communi* haec parochi vocatio et auditio non praescribatur, nisi ubi de dismembratione parochiae agitur, haudquaquam vero ubi de ecclesiae non parochialis erectione; jus autem commune, docente R. D. Verhoeven, *favorabile* sit, ejusque derogatio, utpote

(1) Ita fere R. D. Verhoeven, pag. 59.

(2) Ibid.

diosa, agnosci non debeat nisi perspicue ex verbis summi rincipis probari possit : ad oculum ostendat oportet R. D. rofessor perspicue ex laudatis constitutionibus apostolicis robari eamdem formam erga parochum servandam esse pro rigenda ecclesia regularium ac pro dismembranda parochia. tqui illa *perspicua probatio,* uti pridem ab eo data non fuit, a neque hoc loco datur; siquidem nil aliud quam actum hic git, repetendo suum illud ratiocinium : Pro aedificando ionasterio vel ecclesia regularium vocari audirique ab Ordiario debent interesse habentes; atqui hisce annumeratur arochus : ergo (1). Cujus ratiocinii vitium cum alibi jam etexerimus (2), sufficit modo ad illud breviter respondere : istinguimus majorem et minorem, ac negamus consequenam. Quippe perspicuum nullatenus est alios vocari et audiri ebere interesse habentes quam *regulares* tantum, quibus arochus non annumeratur; nec alium ob finem ii citari ebent nisi ut constet novum monasterium absque antiquioim detrimento commode et congrue sustentari posse.

6. Sermocinari pergit R. D. Professor (3) : « Nec quis exiimet jura et SS. Canonum interpretes hic agere de parocho imtaxat qui beneficium parochiale in perpetuum habet, non item de illo qui dicitur *ad nutum amovibilis,* hoc est, qui *ex ravi causa,* etsi ea non sit in jure expressa, amoveri potest. am jus commune imprimis constituit, ut § sequenti patebit *n legendum :* ut § praesenti patuit?), ne ecclesia in alterius, raesertim parochialis, ecclesiae damnum aedificetur; neque efinit necesse esse ut parochus ecclesiae praefectus sit *ad mpus* vel in perpetuum. Et revera, num per regularium clesiae aedificationem parochialis ecclesia forsitan minus mnum caperet, si istius rector ad nutum Ordinarii amoveri ssit, quam si amoveri nequeat nisi in casibus a jure expres? Praeterea Summi Pontifices jubent ut vocentur et audian *interesse habentes;* jam vero iterum perspicuum est, ubi de dificanda regularium ecclesia agitur, parochi *amovibilis* siusque ecclesiae tanti interesse posse quanti rectoris *perpe i.* Atque ex his jam efficitur, quare SS. Canonum interpre s, ubi de hoc parochorum jure agunt, ne verbo quidem

(1) Pag. 59 et 60.
(2) Supra, pag. 507 et seqq.
(3) Pag. 60.

distinguunt inter parochos prioris et posterioris generis. » Consulto abstinemus a salebrosis satis quaestionibus circa *succursales*, ut vocantur, in Belgio Galliaque ecclesias earumque *deservitores*. Tantummodo, dum etiam adversario ultro concedimus damnum non minus tali ecclesiae inferri posse quam *parochiali*, ut dicimus, *primae vel secundae classis*, quaerere nobis ab eo liceat num ei in suis disquisitionibus canonicis numquam occurrerit illa ad Bibliothecam Ferraris additio ubi non obscura fit distinctio inter parochos prioris et posterioris generis (1) : « Circa consensum parochi non importune quaeritur utrum is praestari debeat ab eo qui obtinet curam habitualem, an ab illo qui curam obtinet actualem? Praestandum esse ab obtinente curam habitualem, tenuit Rota *in dict. Eystet. Fundationis hospitii* 10 *Maii* 1726, § Rursus, *coram bon. mem. Gamaches*. Non omittendum vero quod in ejus casu ille qui obtinebat curam actualem, non erat perpetuus, sed amovibilis ad nutum. At idem dicendum videtur, etiamsi ille qui curam actualem obtinet, sit perpetuus; nam et hic plus juris sibi asserere nequit quam simplex exercitium curae, ut respondit Rota *in Ariminen. Functionum super primo dubio* 13 *Junii* 1746, § 2 *et* 6, *cor. bon. mem. Lan.* Consensus autem de quo agitur, non est praestandus ratione exercitii curae. » Jam vero in opere Joannis Baptistae Braschi, Archiepiscopi Nisibeni, a Benedicto XIV in tractatu de Synodo dioecesana summopere laudato, cui titulus *Promptuarium synodale* (2), haec legere est (3) : « Nunc de parochis amovibilibus. Amovibilitas vicarii temporanei exercentis parochiale munus, arguit curam animarum ibidem esse *habitualiter* penes eum qui deputat ipsum, *Sac. Cong. Concil.* apud Gattiam de Benef. part. 3, cap. 2, num. 179, decl. 11 : supposito tamen quod deputans sit ejusdem curae capax, uti est capitulum, monasterium, etc.; non vero si deputans sit aliquis laicus. » Atque in Compendio recentiorum S. Rotae decisionum (4) : « Ad Episcopum spectat cura animarum, quando

(1) Biblioth. voce *Conventus*, art. 1, num, 46-49.

(2) Cfr. Giraldi, Animadv. et addit. ad Aug. Barbosa de Offic. et potest. parochi, append. 2, pag. 333, edit. Rom. 1831.

(3) Cap. 115, num. 10, apud Giraldi, loc. cit. pag. 341.

(4) S. Rotae Rom. decis. recen in compend. redact. tom. 1, vo *Cura animarum*, pag. 682 : ex d cis. recent. part. 8, decis. 31 ; pa 4, tom. 1, decis. 93; part. 9, tom. decis. 116.

pidum non est subjectum alicui certae parochiae; prout em Episcopus habet assistentiam juris in curam animarum clesiarum non habentium proprium parochum. Quo casu ra quae residet penes Praelatum, potest exerceri per vica- os amovibiles; et sic potest ad nutum amovere curatum ab deputatum, quando cura principaliter residet penes cum- m Episcopum : imo possessio curae animarum a beneficiatis uibus jus resistit, administrata praesumitur potius nomine piscopi quam eorum proprio nomine. » His admissis, seque- tur jus contradictionis pro ecclesia succursali in Belgio stro non residere penes illius deservitorem, sed totum fundi in Ordinarium ipsum; cujus consensus alioquin pro ova monasterii erectione jam est requirendus. At pares sint, ita placet, parochi amovibiles inamovibilibus : nostra quippe rvi interest, cum nec erga hos formam solemnitatesque a lemente VIII et successoribus ejus praescriptas ab Ordinario rvandas esse credamus.

7. Hinc ad quaestionem deinde a R. D. Professore proposi- m (1) : « His praemonitis, quaeri jam debet, quibusnam in sibus parochus possit legitime et cum effectu, ut aiunt, con- adicere erectioni ecclesiae regularium, ita quidem ut, paro- o invito, Ordinario fas non sit regularibus impertiri licentiam dificandi ecclesiam? » reponimus : Dummodo Ordinarius jura raeservet parochialia, semper fas illi est eam licentiam, invito cet parocho, impertiri. Ac vicissim hanc quaestionem faci- us : Si Ordinarius parochum *vocare et audire* debeat, ideone bet et parocho *obedire?* An *vocari et audiri* idem sonat ac nsensum praebere? Certe idem non sonat plurimis canonistis, plicantibus, ut loquitur Benedictus XIV (2), « quaenam sint s de quibus Episcopus deliberare nequit sine *consensu* ca- ituli, et quaenam illae quae decernere valet, *audito* dumtaxat pituli *consilio* (3)? » Imo lex est ut Episcopus in negotiis ajoribus canonicos suos audiat, at possit tamen ab eorum nsilio recedere praeterquam in casibus a jure expressis (3); rout saepius declaravit S. Congregatio Concilii, cujus aliquot sponsiones idem Benedictus refert (4). Demum, ut exem-

(1) Pag. 60.
(2) De Synod. dioec. lib. 13, cap. num. 8, tom. 12 Operum, pag. 83.
(3) Cfr. Zallinger, Instit. jur. eccl. lib. 3, tit. 10, § 139 et 140, pag. 123, edit. Aug. Vind. 1793.
(4) Loc. cit. num. 9 et seqq. pag. 83 et 84.

plum sumamus a re quae propius ad praesentem disputationem spectat, an, quia pro dismembratione ecclesiae parochialis jure cautum est ut parochus *vocetur et audiatur* propterea quis negabit fas esse hanc ab Ordinario fieri *invito parocho?* At qui id negat, respuit Alexandri III decretalem *Ad audientiam,* respuit Sacrosanctae Synodi Tridentinae decretum (1). Itaque admitti nequit sententia quae sacram Episcoporum potestatem, immutata temere verborum significatione, presbyteris inferioris ordinis ita subjicit ut ab horum deinceps arbitrio penderet monasterii fortuna, quod Sedes apostolica et episcopalis auctoritas fundatum forte vellem ad commune civitatis aut etiam regionis bonum. Nam quoe paulo post R. D. Professor decernit Episcopum ex bono et aequo rem dijudicare debere (2), quorsum spectat, si sententiam ejus parocho probari necesse sit?

8. Audiamus modo quid R. D. Professor superioribus dicti adjiciat. « Ut quaestio haec, inquit (3), recte solvatur, ante omnia ponderari debet damnum, quod, omnibus perpensis, ex hujusmodi aedificatione praevidetur inferendum ecclesiae parochiali. At sedulo observandum est, etsi jura vetent ne in praejudicium parochialis ecclesiae alia aedificetur, juris tamen sententiam non esse, a parocho propter ecclesiae suae praejudicium quodcumque, etiam leve, impediri posse alterius ecclesiae constructionem; nam leve praejudicium aestimari non solet. Necesse igitur est ut damnum quod praevidetur vere sit grave. At quandonam in hoc rerum genere damnum haberi debeat grave, jura non definiverunt. » Patet hinc per vocem *praejudicium* capite *Intelleximus* adhibitam intelligi a R. D. Professore quamcumque diminutionem proventuum unde consequeretur, uti jam animadvertimus, inter populos Christianos pene nusquam, si usquam tamen, novam ecclesiam sive regularem sive saecularem posse exsurgere, quin aliquo saltem modo infringeretur sanctio canonica de ecclesiis in aliarum praejudicium non construendis. Quamobrem recurrere cogitur ad distinctionem inter *grave* et *leve* praejudicium, quorum alterum aestimandum sit, alterum aestimari non soleat. Imprimis oportuisset ut vestigium aliquod ejus

(1) Vide supra, pag. 518.
(2) Pag. 61.
(3) Ibid.

nodi distinctionis, sin minus in juribus (nam *jura*, inquit, *non definiverunt*), at in pragmaticis saltem indicasset; quod quidem ab eo praestari non videmus : etenim ex tribus auctoribus quos mox citaturus est, Pignatellus de *praejudicio* absque distinctione loquitur; Barbosa et Ventriglia vetant ne nova erectio *praejudicet quoquo modo* ecclesiae parochiali; atque in S. Rotae decisione quae porro sequetur, dicitur sufficere *omne praejudicium :* quod si *omne,* ergo non *grave* tantum; si *quoquo modo,* ergo nullus modus excipitur. Dein considerandum erat ut R. D. Verhoeven, vel si quis est alius cujus inventi auctor, nitide definiisset quid *gravis,* quid *levis praejudicii* nomine apud eum veniat. Videntur enim termini isti satis ambigui et ad varias significationes flexibiles. Num forte *grave praejudicium* vocat ille eorum proventuum diminutionem qui absque injuria parocho ejusve ecclesiae detrahi nequeunt, seu quod cum ipsis juribus parochialibus intime connectantur, seu quod alias parochus eis indigeat, cum ad varias et ecclesiae necessitates, tum ad celebranda officia ecclesiastica ea decentia quam cultus divini reverentia exigit? At fiat hoc ipsum esse quod jura juriumque interpretes *praejudicium* simpliciter appellare consueverunt, quodque Sacri Canones cuicumque ecclesiae, non parochiali solummodo, inferri districte prohibent. Verum si *praejudicii* aut *gravis* aut *levis* nomine aliud quidquam designari existimet, v. g. illud quod impediret ne parochus ditescat, ne ecclesiae opes amplius atque amplius augescant, neu eidem adjiciantur varia decoramenta ad cultus divini decentiam, habita locorum ac temporum ratione, non necessaria; si haec, inquam, vel alia proventuum aliud debitorum imminutio praejudicium ei esse videatur : eos quidem ita opinandi libertatem ei non inviti relinquimus, modo lectores nostri interim moniti sint non in eadem opinione fuisse S. Bonaventuram, cum scriberet : *Ipsum quoque oratorium nostrum non fit parochiali ecclesiae praejudicium,* reliqua quae supra e Sancti hujus ore retulimus (1).

9. Itaque haec aliaque antea a nobis notata si prae oculis habeantur, quisque vera a falsis facile secernere poterit in sequentibus R. D. Professoris verbis (2) : « Quandonam in hoc rerum genere damnum haberi debeat grave, jura non

(1) Supra, pag. 329 et 330. (2) Pag. 61 et 62.

definiverunt; quapropter Ordinarius illud ex bono et aequo dijudicare debet, habita praesertim ratione doctrinae a jurisconsultis in hanc rem traditae, et decisionum etiam causarum quae in similibus negotiis a supremis tribunalibus emanarunt. Age vero, ubi SS. Canonum doctores consulimus perspicuum fit ipsos in ea esse sententia, considerari omnino debere damnum quod ecclesiae parochiali, intra cujus limites ecclesia est aedificanda, praevidetur inferendum, potissimum ex eo capite quod per istam aedificationem fieri possit u concursus populi in parochiali ecclesia diminuatur; quo diminuto, eleemosynae et oblationes etiam diminuuntur, quae a Christi fidelibus in parochiali ecclesia solent offerri. Ubi igitur prudenter praevideri potest futurum ut per novae regularium ecclesiae erectionem concursus populi ad parochialem ecclesiam ita diminuendus sit, ut eleemosynae et oblationes consuetae notabiliter in eadem sint diminuendae, et ex ista diminutione ecclesiae parochiali grave inferretur praejudicium, in hoc casu, inquam, canonistae constanter docent parochum legitime posse erectioni novae regularium ecclesiae contradicere, atque Ordinarium, parocho invito, non posse regularibus licentiam aedificandi praebere. » Ad quae verba sinat R. D. Professor ut illud etiam ex eo percontemur : Si in aliqua civitate parochus qui multiplicet sacras caeremonias in sua ecclesia, qui praedicet et frequentius et caeteris elegantius, aut etiam eloquentissimos oratores ad id vocet : cum hodie licitum sit fidelibus, si Communionem paschalem excipias, eam quam quisque voluerit ecclesiam civitatis pro Missa audienda caeterisque Christiani hominis officiis peragendis adire, nemini dubium esse potest quin in illius quem diximus parochi ecclesiam major futurus sit populi concursus, qui certe detrimentum locationi sedilium, oblationi eleemosynarum et caeteris his similibus in reliquis ecclesiis afferet. Numquid ideo in jure erunt fundati harum ecclesiarum rectores ut requirant ne parochus ille toties neu tam bene concionetur, neve concionatores advocet qui consueverunt magnum ad se allicere hominum concursum, ne denique tantos divinae Majestati, tantos Coelitibus honores exhibeat? Nemo sane simile quid dixerit. Neque tamen poterit R. Dominus, si suis asserti inhaerere velit, ibi non grave praejudicium agnoscere. At contra regulares praejudicium ejusdem generis forsita

aturos et Episcopos hanc eis facultatem facientes tela in romptu habet ex jurisconsultorum doctrina et sacrorum ibunalium decisionibus. Videamus illa.

10. « Et ne videamur, ait (1), in re tanti momenti canoni-arum auctoritatem parum considerate laudare, sententiam iquorum doctorum, qui in hac materia bene versati passim istimantur, ad verbum hic describere juvat. » Describitque ox aliqua ex Pignatello, Barbosa et Ventriglia : qui tres au-ores in eo conveniunt ut doceant praejudicium quod *quoquo odo* ecclesiae parochiali ex erectione monasterii obvenire ueat, ab Episcopo spectandum esse, id quod nos etiam admit-mus; in caeteris vero nonnihil inter se dissentiunt : ex quo m evidens est fieri non posse ut omnes R. D. Professori con-ntiant. Barbosae verba ipsi alias allegavimus (2), ubi osten-imus secundum ea Episcopo non praecipi ut parochum lvocet, nedum ut ejus consensum expetat, sed tantum parocho ermitti ut contradicat novae erectioni ratione praejudicii bi inferendi. Ventriglia aliquid amplius parocho concedit, ensens eum annumerari illis interesse habentibus erga quos rdinarius formam solemnitatesque Clementis VIII Bulla raescriptas servare debet; verumtamen non eo progreditur t doceat Ordinario nefas esse, parocho invito, aedificandi centiam regularibus impertiri. Restat igitur solus Pignatellus, ui judicis partes tam illusorias Episcopo attribuat, ut sum-um rerum arbitrium penes parochum sit : « Exigitur per-ecesse, inquiens (3), consensus parochi sive capituli penes quod esidet cura animarum, intra cujus parochiae limites conventus edificandus est, sine quo aedificari non potest : nam cum in ova ecclesia sepeliri debeant fidelium corpora, ministrari acramenta, aliaque plura fieri ex quibus generari potest raejudicium parocho, illius consensus ita est necessarius ut bsque eo fundatio novi monasterii non sustineatur; ut late rmant citatae decisiones *in Caesaraugustana Fundationis* oram Bevilaqua, Meltio, Cerro, et in dicta *Toletana Manu-ntionis* coram Meltio. »

11. Manifesto autem abutitur Pignatellus S. Rotae decisio-ibus; quae licet requirant auditionem parochi, ac propter

(1) Pag. 62 et 63.
(2) Vide supra, pag. 310.
(3) Consultat. canonic. tom. 1, consult. 179, num. 52, pag. 275.

ejus querelas, si bonis rationibus fultae sint, fundationem ali
cujus monasterii quandoque suspendi aut interrumpi poss
monstrent, non tamen decernunt eam esse irritam quoties pa
rochus dissenserit. Accedit quod nullam citat decisionem qu
simpliciter propter dissensum parochi interrumpi jubeatur in
ceptum opus novi monasterii; id quod tamen necessariu
esset ad assertionem suam probandam. Praeterea necessariu
erat ut valide refutasset ea quae ipse suae opinioni contrari
sibi objicit (1) : 1° « Dissensus et contradictio cleri, imo etia
parochi, non habetur in consideratione, quia constitutione
pontificiae loquentes de fundatione novorum conventuum re
spiciunt praejudicium quod fit aliis Mendicantibus » (ex Rot
et Bordonio). 2° « Nec timor quod in nova ecclesia fidel
eligant sepulturam ac Missas celebrari faciant, videtur consi
derabilis, cum praedicta sint facultativa » (ex Rota et Cardi
nali). 3° « Parochus enim non habet jus cogendi laicos a
habitandum domos in sua parochia sitas, atque adeo non po
test allegare jus quaesitum circa emolumenta inde provenien
tia, juxta textum *in cap. Significavit, de Paroch.* et ibide
Abb. *n.* 5, et *in cap. Ad apostolicae, n.* 2, *de Decim.* » 4° « Quo
diminutionem concursus... motivum nullius videtur conside
rationis, cum longe praeponderet augmentum divini cultus
(ex Rota, Butrio et Maranta). 5° « Minus etiam quoad diminuti
nem eleemosynarum, quia sunt valde incertae, et idcirco prae
judicium est accidentale, quod non attenditur » (ex Tambu
rino, Cespedes et Bordonio). 6° « Ex constitutionibus apostolic
Clementis, Gregorii, Urbani et Innocentii apparet audiend
non esse alios quam Priores seu Procuratores aliorum mona
steriorum, conventuum seu locorum regularium : unde ben
comprobatur quod parochi aliique clerici saeculares non sun
legitimi contradictores. » (Notari velimus hanc illationem no
bis minus rectam videri : at rectior foret, si diceretur : « Und
bene comprobatur parochos, etc. non debere vocari et audiri;
vel si, transposita particula *non,* diceretur : « Unde *non ben*
comprobatur parochos, etc. esse legitimos contradictores »
etenim parochorum contradicendi jus, si quando id haben
non ex illis constitutionibus, sed aliunde probatur.) 7° « F
quidem imaginaria diminutio eleemosynarum, utcumque pos

(1) Ibid. num. 53, 54 et 55, pag. 275 et 276.

ilis, non est tanti ut ejus debeat ratio aliqua haberi in im-diendo opus publicum, tendensque in publicam utilitatem » x Alexand.). 8° « Sat enim est providere sustentationi utrius-e partis, ut quod alteri aequaliter deperit, non reputetur in mnum. Bart. *in l. Quoniam, n.* 12, *ff. de flumin.*, Aym. *de tiq. temp. p.* 4, *n.* 24. » Has itaque objectiones, quas ipsis rbis Pignatellianis proposuimus, diluat oportet R. D. Ver-even, si suam opinionem ut irrefragabilem canonistarum ctrinam haberi cupiat. Neque enim putet eas fuisse prorsus Pignatello disjectas : cum auctoris hujus responsiones eo e redeant ut tantummodo probent praeservanda esse jura rochialia, non esse detrahendas parocho decimas praediales quas jus quaesitum habet, non esse sinendum ut praejudi-im (sano sensu intellectum) ecclesiae parochiali inferatur, que adversus hujusmodi injurias parochum sese legitime sse tueri; nequaquam vero evincant parochi consensum *necesse exigi* ad validam monasterii ecclesiaeque regula-am erectionem : atque in specie adversus postremam illam ionem : « Sat est providere sustentationi utriusque partis, quod alteri aequaliter deperit, non reputetur in damnum, » de proventibus ex justitia non debitis intelligatur, nihil gnatellus affert quod vel speciem bonae refutationis habeat; cuique ejus responsa legenti (1) patebit.

12. Insuper videat R. D. Professor qui Pignatellum cum gnatello componat, ita non multo post disserente (2) : « Li-.... in fundatione novorum conventuum requiratur Episcopo-m licentia, nihilominus, quia potest dari eventus quod illi sque justa causa recusent ejusmodi consensum praestare, o promptum et canonicum remedium est quod Romano ntifici nuntietur quodve de ipsius licentia fiat erectio, ut in ili rescripsit Alexander III *in cap. Nullus laicus*, 17 *de rep. in fin.* ibi : « Et si quis Episcopus improbitatis vel ava-itiae causa consentire noluerit, Romano Pontifici nuntie-ur; et quod offerendum est, tunc ejus licentia offeratur. » Doctores communiter firmant quod, si is cujus consensus aliquem actum requiritur, absque justa causa eum eget, potest judicis auctoritate ad consentiendum com-

(1) Ibid. num. 36-68, pag. 276 277.

(2) Tom. cit. consult. 181, num. 1 et 2, pag. 281.

pelli vel illius consensus per superiorem suppleri... In ha autem materia posse Ordinarios gravare, bene cognovi Gregorius XV, dum... disposuit quod, si a decretis per Or dinarios in hisce causis faciendis appellari contigerit, caus fundationis monasterii devolvatur ad S. Congregationem cujus proinde est cognoscere de gravamine ac de justiti denegationis consensu, et praevia ista cognitione, licentian dare supplendo Episcopi defectum. » Haec idem Pignatellus Et Episcopus, qui usque adeo a Superiorum suorum judi cio dependet, vicissim non poterit, ubi ipse, non diffitent R. D. Verhoeven (1), judicis partes agit, presbyteri suae au ctoritati subjecti improbitatem vel avaritiam contundere Quid? Presbyteri hujus dissensus, ob quem Episcopus licen tiam aedificandi etiam invitus denegasset regularibus, etsi ea alias libenter concessisset, efficere poterit ut non tantur presbyter, sed Episcopus ipsemet coram sacris tribunalibu Romanis reus agatur criminis non sui? Hanc jurisprudem tiam nos quidem non assequimur. Sed audiamus et alia « Ad cognoscendum vero, ait porro Pignatellus (2), utrun Episcopi injuste denegent licentiam necne, perspici debet a ipsi observent ea quae ab Episcopis, prudenter in hujusmo negotiis se gerere volentibus, observanda esse monet Vene *lib.* 1 *Exam., cap.* 10, *n.* 6. Primo scilicet si religiosi qu petunt fundationem, sint bonae aedificationis; secundo si i civitate sit penuria religiosorum secundum ejus amplitud nem; tertio quam utilitatem dicti religiosi afferre possin quarto si possint commode sustentari sine aliorum detriment ad quod potissimum constitutiones pontificiae tendunt, u patet ex earum lectione... Praeterea, quando ex attestation bus clarissimorum virorum qui optime sunt informati, con stat de commoda sustentatione, dissensus aliorum regularium non potest attribui nisi aemulationi, cui S. Congregatio pre videre omnino debet et in dubio pro fundatione rescriber cum ex ea notabile cultus divini augmentum resultet, quo caeteris considerationibus praeponderare debet, ut optime i fortioribus, quod non sit attendendus dissensus ecclesia cathedralis, asserit Butrius... et firmavit Rota... Durum eni valde esset negare consolationem civitati enixe supplicant

(1) Pag. 61 et 75.

(2) Loc. cit. num. 3 et 4.

proinde *omnia facienda sint quae caeteris non nocent et is prosunt.* » Si ita res se habet de dissensu aliorum regu-rium, imo et ecclesiae cathedralis, aliterne erit de dissensu rati ecclesiae parochialis aut succursalis?

13. Verum et altera norma Episcopis a R. D. Verhoeven oponitur, ad quam sua judicia in hac re tanti momenti exi-nt : nimirum decisiones causarum quae in similibus negos a *supremis tribunalibus* emanarunt (1). Exspectandum te erat fore ut R. D. Professor peremptorias aliquot sacra-m Congregationum Romanarum declarationes sub lectorum orum oculis poneret, eo magis quod tomos, sin minus omnes nino, certe pene omnes Thesauri resolutionum S. Congre-tionis Concilii per integrum amplius saeculum datarum in nu sua habet, easque alias non infrequenter citavit, tum in a Dissertatione canonica de sacrosancto Missae Sacrificio (1), im in singulari hoc adversus regulares libello, in cujus refu-ione modo versamur. Imo in Praefatione hujus libelli affir-at (3) : « Maximam in eo curam posui, ut quaestiones, quas cutiendas esse duxi, e Summorum Pontificum constitutioni-s, Conciliorum, imprimis vero Tridentinae Synodi decretis, l tandem ex *dicasteriorum Romanae curiae* sententiis, quoad as fieri posset, solverem. Hoc ubi praestare potui, *supervaca-um fuisset* in eamdem rem pragmaticorum sententias insuper egare. » Unde, quoniam R. D. Professor hoc loco pragmati-rum sententias allegare supervacaneum non duxit, et nullam ntra ex Thesauro suo resolutionem deprompsit, suspicari et nihil ibidem ab eo fuisse repertum quod ei pro opinione confirmanda usui esse posset : quae suspicio multum au-ur, si recolamus Monacelli ex pluribus sacrarum Congre-tionum decisionibus conclusionem, jam ante a nobis alle-tam (4).

Interea unam S. Rotae decisionem, quasi ex ea sola supre-rum tribunalium decisiones satis disci possent, adducit R. minus : in qua videlicet (5) « consideratum fuit maximum rimentum fore allaturum Patribus Theatinis, si Presbyteri atorii residerent in ecclesia S. Pancratii, quae non distat ab

(1) Pag. 61.
(2) Lovanii, 1842.
(3) Pag. III et IV.
(4) Supra, pag. 520 et 521.
(5) Pignatelli, op. cit. tom. 10, consult. 12, num. 24 et 25, pag. 23.

ecclesia S. Siri... spatio 40 cannarum; quo stante, diminue retur concursus populi... et consequenter eleemosynae, qua ex Christi fidelium concursu uberiores fiunt erga PP. Theati nos *ex illis viventes*, ita ut ex diminutione concursus et elee mosynarum diminuerentur etiam alimenta Theatinis ex eis dem provenientia, quod lex abhorret... Non obstat quod Pl Oratorii habeant proprios redditus a fundatore assignatos; qui non ab eorum, sed a Theatinorum *egestate* praejudicium de sumitur, et sufficit *omne praejudicium* aliunde etiam quam e mendicitate seu quaestuatione ecclesiae vicinae resultans, u tradit modernus Carmelita Lusitanus *in Summ. quaest. regu lar. tom.* 3, *verb. Monasteria regularium, sub num.* 6, *ver Adde etiam, fol.* 400.»

14. Data fuit haec decisio in causa *Januensi Privilegioru* die 24 Januarii 1648 in confirmationem superioris decision die 24 Junii 1647 ab eodem S. Rotae tribunali emanatae, fui que et ipsa ibidem confirmata 28 Junii 1649. Mirum qu R. D. Professor e tribus decisionibus, integre a Pignatello all tis (1), mediam tantum selegerit; dum tamen pro ea invenienc lectores suos ad eumdem Pignatellum remittit (2). Magis miru quod vel ex ipsa decisionis inscriptione non viderit ei citand vix aut ne vix quidem hic esse locum. Agitabatur nimirum ini causa *Privilegiorum* inter Patres Theatinos et Presbyter Oratorii: his volentibus occupare ecclesiam S. Pancratii Janua quae nedum 140, sed ne 40 quidem cannis distabat ab eccles S. Siri, illis contra obtendentibus *privilegium cannarum*, qu non ut parochi (licet ecclesia eorum parochialis esset), sed religiosi, omnia privilegia Mendicantium participantes, fru bantur. Ac Oratoriani quidem plura attulerant quibus evine rent privilegium illud vel in desuetudinem abiisse, saltem magnis civitatibus, vel pontificiis de nova conventuum er ctione constitutionibus abolitum fuisse. Ad quae Rota respo dit per constitutiones illas, *cum non disponant nisi inter reg lares* (ergo non parochos inter et regulares), non solum hau quaquam derogatum fuisse juri prohibendi, quod ex dic privilegio *regulares* habent adversus cunctas personas eccl siasticas, ne intra spatium 140 cannarum a suo coenobio e

(1) Loc. cit. num. 9-42, pag. 23-26.

(2) Pag. 63, not. (1).

sias de novo recipiant; verum etiam pro illa causa Januensi specie *privilegium illud urgere* contra Patres Oratorii pro- r praejudicium quod eorum nimia vicinitas infra spatium non amplius cannarum afferret Theatinis : neque enim sat e quod intrare volentes non mendicent; « quia (ait Rota) rtet ut nec aliud faciant ex quo aliquod detrimentum *cae- s regularibus* obvenire possit :... quam sententiam eo liben- Domini amplexi fuere, dum Patribus Oratorii nil nocet dere in loco remotiori, et Patribus Theatinis hoc multum dest; praesertim cum ipsi *sine redditibus ex puris eleemosy- sponte a fidelibus oblatis et non emendicatis* vivant, suntque te omnia facienda quae caeteris non nocent et illis pro- t (1). » Ad haec addamus eadem omnino verba, nec plura pauciora quam quae R. D. Verhoeven recitat, etiam olim itata fuisse a Pasqualigo (2), non ad probandam necessita- consensus parochi (nam hunc Pasqualigus nec vocandum audiendum esse statuit), sed ad probandum in introdu- ne *novorum religiosorum* spectari debere diminutionem emosynarum, qua alimenta necessaria et congrua sustentatio *iquioribus religiosis* detrahi forte possent; quae sane doctrina stitutionibus apostolicis omni ex parte consonat.

5. Re ita explanata, confidenter petimus a R. D. Verhoe-, ut, relectis illis apud Pignatellum suum decisionibus, a bus magis contra eum urgendis nunc abstinemus, quamvis valide possemus, sincere dicat num omni ex parte ad dia- icae leges exacta sit illa, quam ex suis praemissis deducit, sequentia (3) : « Si haec probe considerantur, apertum est, onistarum et S. Rotae sententiam esse, per aedificationem esiae regularium grave damnum parochiali ecclesiae in- i posse, idque propter fidelium ad parochialem ecclesiam cursus diminutionem, quae ex ista aedificatione sequitur; ie ideo parochum in tali casu esse legitimum contradicto- ». Nam, quod ad S. Rotae decisionem attinet, ea juvare potest nisi eos parochos qui *privilegium cannarum* cum linibus Mendicantibus participant aut saltem ex *puris elee- ynis* vivunt : tales autem quot parochos novit R. D. Pro-

(1) Cfr. loc. cit. apud Pignatel- num. 16 et 17, pag. 22 et 23.
(2) Controvers. inter Episc. et Regul. part. 1, num. 482, pag. 153 et 154.
(3) Pag. 64.

fessor? De canonistarum vero sententia quid rei sit, satis di
mus; negamusque admitti posse quod R. D. Professor po
subjungit : « Neque necesse est hic aliorum doctorum ver
proferre; nam quum agnoscant parochum a jure annumer
iis qui interesse habent in aedificatione ecclesiae regulariu
eumque propterea audiendum esse, antequam Ordinarius i
pertiri possit licentiam aedificandi ecclesiam, hoc ipso id
teneant necesse est, quod ab aliis aperte doceri allatis ipsor
verbis audivimus. » Quippe nec omnes agnoscunt id quod
iis agnosci supponit R. D. Verhoeven ; nec ii qui id agnoscu
propterea in exaggeratam Pignatelli de parochi consensu c
nionem abeunt, secundum quam *audiri* et *consensum praeb*
essent verba synonyma.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

DE PRISTINO ET HODIERNO ECCLESIARUM PAROCHIALIUM IN BELGIO STATU.

1. *Asserit R. D. Verhoeven saeculo* XVII *parochiales*
Belgio ecclesias rebus temporalibus abundasse.
2. *Pertenues erant ecclesiastici redditus saeculo* XVI.
3. *Ecclesiarum parochialium inopiam testantur pri*
Synodi provinciales Mechliniensis et Cameracensis.
4. *Conatus harum Synodorum ad inopiam illam levan*
frustravit bellum civile.
5. *Saeculo* XVII *ineunte pro parochorum sustentatione d*
niendum fuit ad populi symbola.
6. *Eodem remedio opus fuit ut restaurari possent sacra a*
ficia.
7. *Saeculo* XVII *magis provecto nondum satis provisum*
sustentationi cleri parochialis.
8. *Imo nec habitationi parochorum satis tunc erat consult*
9. *Reparatio ecclesiarum parochialium maximis obsita*
difficultatibus.

Exeunte eodem saeculo plurimae ecclesiae parochiales adhuc miseria squallebant.

Spoliationem bonorum ecclesiarum parochialium, circa finem saeculi XVIII *factam, exaggerat R. D. Verhoeven.*

Deprimit eorumdem bonorum restitutionem, praesenti saeculo inchoatam.

Referuntur quae pro hac restitutione sanxit et praestitit Napoleo.

Quid hodie civilis in Belgio magistratus ad sustentationem cleri conferat.

Quid idem magistratus conferat ad constructionem et reparationem aedificiorum parochialium.

Asserit R. D. Verhoeven statum ecclesiarum parochialium in Belgio adhuc esse miserum.

Assertum hoc infirmant facta omnium oculis patentia.

Ex fontibus reddituum ecclesiarum parochialium eos tantum enumerat qui a concursu populi pendent.

Immerito causatur hos redditus diminui erectione ecclesiarum regularium.

Eminuit multorum fidelium liberalitas donis legatisque in in ecclesias parochiales conferendis.

Neque haec liberalitas erectione ecclesiarum regularium imminuitur.

Inter praecipuos reddituum fontes jura funeralia referre debuisset R. D. Verhoeven.

Respondetur ejus provocationi ad rationes datorum et acceptorum.

Vicinia regularium non nocuit prosperitati ecclesiarum parochialium in dioecesi Gandavensi, neque in civitate Brugis.

Quis sit status ecclesiarum parochialium Tornaci et Montibus Hannoniae.

Quis item Namurci.

Quis Trudonopoli et Leodii.

Quis demum Bruxellis et Antverpiae.

. Quae hactenus pro parochis in genere R. D. Professor lit, ea deinceps ad parochos Belgas in specie applicare or- r, confecto a minori ad majus, ut sic dicamus, argumento:

« Ad haec, inquiens (1), animadvertere praestat, si ex co
muni canonistarum doctrina, multis quidem ecclesiasticor
tribunalium sententiis confirmata, fieri possit ut ecclesia pa
chialis ex aedificatione ecclesiae regularium ob diminution
concursus fidelium tantum capiat detrimentum ut paroch
contradicere atque legitime impedire hujusmodi aedification
queat, quanto magis hodiernis temporibus in nostris aliis
vicinis provinciis ecclesiasticis jus istud parocho competat
Hanc autem propositionem ut stabiliat, plura in medium
fert, quae singillatim oportet examinemus.

Primum ejus assertum illud est (2) : « Nam eo tempore
a Summis Pontificibus hoc jus sancitum fuit et jurisperiti il
explicaverunt, parochiales ecclesiae generatim erant s
dotatae, ut redditibus fixis, ex bonis immobilibus plerum
provenientibus, abunde esset provisum omnibus iis quae
divinum cultum perficiendum, ad reparandam ecclesiam et
ejusdem ministros honeste sustentandos necessaria erant
Cui asserto subnectitur antithesis : « At contra hodier
temporibus ea omnia fere ex solis eleemosynis et fidelium ol
tionibus pro parochiali ecclesia quaeri debent. »

2. Probe notemus sermonem hic esse de parochialibus
clesiis, quales eae saeculo decimo septimo incunte ac labente
Belgio erant ; illius enim saeculi anno tertio prodiit con
tutio Clementis VIII de coenobiorum erectione. Jam vero
rochialium illarum ecclesiarum status cujusmodi eo temp
esset, satis constat e monumentis clero patriae nostrae pas
notis, quae mirum est a R. D. Verhoeven non fuisse inspe
Omittimus decretum Concilii Tridentini anno 1563 latu
ubi postquam Patres dixerant (3) : « Pleraeque cathedrales
clesiae tam tenuis redditus sunt et angustae ut episcopali di
tati nullo modo respondeant neque Ecclesiarum necessi
sufficiant ; » mox etiam de parochialibus ecclesiis subjunxe
« Quarum fructus aeque adeo exigui sunt ut debitis neque
oneribus satisfacere. » Belgica potius documenta afferim
atque imprimis Memoriale Francisci Sonnii Antverpie
Episcopi, de rebus primae Synodo provinciali Mechlini
proponendis. Quaeritur ibi (4) : « An etiam fieri debeat

(1) Pag. 64.
(2) Pag. 64 et 65.
(3) Sess. 24, cap. 13 de Reform.
(4) De Ram, Synodic. Bel
tom. 1, pag. 38.

rorum beneficiorum unio sub diversis titulis et invocationi-
is in eadem ecclesia exsistentium, quorum aliquando *duo aut*
ia vix sufficiunt ad alendum unum sacerdotem in dicta eccle-
a, aut unita tantum ministerium non exigunt quantum per
bdomadam sacerdos praestare potest; quod saepissime acci-
t in pagis, ubi duo tituli aliquando exiguas, aliquando uberes
ibent dotes, praeter parochum nullus residet, aut desertis
rum dotatis aut uberioribus servatis, soluto placito absentiae
ud R^mum atque Archidiaconum, conducto inope mercenario
cerdote, magno et parochi solitarii taedio, qui, occurrente
gritudine aut alia gravi necessitate, nullum habet subsidium,
populorum damno, quibus carendum est refugio in absen-
, morbo aut alia necessitate parochi proprii. » Item (1) :
An placeat de canonica portione, quae parochis ecclesiarum
endis necessaria est, eam servari rationem quae pro locorum
lebritate, populorum copia, parochorum merito ac statu,
rdinario loci, facta visitatione, constituenda videbitur. Unde
item sumptus necessarius suggeratur, ejusdem Ordinarii ju-
cio relinquatur. An placeat duas ecclesias parochiales, quas
ocant matrem et filiam, hactenus unitas dividi, ut evitetur
issarum binatio et minuatur onus pastoris, duabus sic quo-
mmodo ecclesiis deservientis exiguo fructu, imo plerumque
m subditorum scandalo; idque fiat assignata singulis paro-
is portione sufficienti de decimis ecclesiarum earumdem. »
uilielmus quoque Lindanus, Episcopus Ruraemundensis,
ggestis eidem Synodo pluribus ad idoneos parochos effor-
andos opportunis, etiam illud ei proponebat (2) : « Sed et,
pastores idonei inveniantur, omnino necessarium est primo
ioque tempore decerni eis portionem canonicam, ex qua
ossint honeste vivere, frugaliter tamen, etiam sine incertis
'nolumentis, quae hodie vix exigi possunt pro Sacramentis,
pultura, exsequiis et similibus, praesertim in locis infectiori-
is, sed tantum quod offerretur, accipi. Id, inquam, omnino
cessarium est; quia in hac hominum tepiditate pauci inve-
untur doctiores qui velint munus laboriosum *minimo sti-*
'ndio obire. » Plura alia iidem Praesules suo uterque Memo-
ali inseruerunt, quae satis ostendunt anno 1570 adeo
clesiarum parochialium clerique illis addicti necessitatibus

(1) Ibid. pag. 39.

(2) Ibid. pag. 52.

non fuisse provisum, ut potius laboriosissime eis foret pro videndum.

3. Cum autem Episcopi Provinciae Mechliniensis, pr munere suo consulturi rebus cleri sui temporalibus, articu los de congrua parochorum portione ex decimis fructibus que ecclesiarum constituenda Synodo inserendos parassen eis Dux Albanus consensit hac conditione (1) : « Modo... d decimis a laicis possessis, sive per infeudationem sive ali quovis titulo, nihil detrahatur. » Ad quam conditionem, prae ter alia quae brevitatis causa omittimus, adverterunt Epi scopi (2) : « Rationi et aequitati non convenit portionem dec marum capitula aut ecclesiasticas personas contingentem cu diminutione et interdum ruina diversarum fundationu diminui aut penitus tolli ac alimentationi pastorum applicar decimis laicalibus, ab eisdem ecclesiis primitus distractis, inte gris manentibus; quum idem de utrisque judicium ad minu esse oporteret. Alioquin *non semper invenient Episcopi ratio nem constituendae portionis canonicae justaeque competentiae pastoribus;* quum in aliquibus locis aut nullae invenientu decimae ecclesiasticae, aut non sufficient dictae provision vel in tantum diminuentur quod parum aut nihil monasteri aut ecclesiis remanebit : unde fundationes plures periclit buntur. » Tandemque coacti fuere iidem Antistites, vari adhuc de eo negotio hinc inde scriptis (3), rem quodammod in medio relinquere, ita statuendo (4) : « Cum a Concili Tridentino constituta sit certa ratio providendi rectoribu ecclesiarum parochialium de competentia vivendi, mand Synodus provincialis Episcopis ut iisdem, juxta praescriptu dicti Concilii, de portione canonica provideant, etc.; » qui definire eis licuerit, quod facere paraverant (5), ex quibu fontibus ea portio esset haurienda.

Paulo plus in hanc rem praestare potuerunt Patres Syno provincialis Cameracensis anno 1586, haec decernendo (6) « *Ut ecclesiis parochialibus inopia laborantibus tandem al quando succurratur,* ad exsecutionem decreti Concilii Tride

(1) Ibid. pag. 66.
(2) Ibid. pag. 74.
(3) Ibid. pag. 141 et seqq.
(4) Concil. provinc. 1570, tit. 13, cap. 1, ibid. pag. 114.
(5) Ibid. not. (4).
(6) Statut. synod. Eccl. Camera part. 2, Concil. prov. 2, tit. 1 cap. 6, 8. 9 et 11, pag. 173, 174 175, edit. 1781.

ii, quo triplex via ad ipsarum provisionem aperta est, delicet per beneficiorum ecclesiasticorum unionem, primi- rum decimarumve assignationem et parochianorum sym- la vel collectas, serio procedere volens haec Synodus, ndat ut omnes qui ad portionem canonicam parochis assi- andam tenentur, in iis locis ubi decimas percipiunt, altero orum modorum eisdem provideant infra quatuor menses lie publicationis decretorum hujus Concilii... In parochiis o ubi decimarum assignationes aut nullo modo aut saltem ficienter fieri non poterunt, neque simplicia beneficia, quae iantur, erunt ad manum, implorato, si opus sit, brachio cular, Episcopi ad tertiam collectarum viam procedent, as de consilio Magistratus statuent et definient ; *nec patien- diutius aut incuria aut ingratitudine parochianorum pa- his, in vinea Domini tota die desudantibus et portantibus dus diei et aestus, denegari denarium diurnum.* Taxa autem am praescribit Synodus, sit in pagis centum ad minimum renorum, et non major centum quinquaginta ; in urbibus em non minor centum quinquaginta, et non major florenis centis... Quia in quibusdam locis super decimis laicorum ficultas in dies oritur, exponatur Regiae Majestati *ecclesia- n parochialium necessitas et difficultas quam patiuntur iscopi in dictae portionis canonicae assignatione,* ut super auctoritatem suam impartiri dignetur. » Petitioni Synodi nuit Philippus II, edictoque regio horum decretorum exse- ionem ursit, ita tamen ut nihil detractum voluerit iis deci- s quae ante Concilium Lateranense anni 1179 in laicorum nus venerant nec postea ad ecclesiasticas personas amplius lierant (1).

4. Verum dum hac ratione Episcopi toto Belgio parochis s alendis operose quaerebant vias, exarsit denuo belli civilis or, ab anno 1574 ad 1609 fere absque intermissione pro- ctus (2) ; de quo ita Mathias Hovius, Archiepiscopus chliniensis, anno 1607 ad suffraganeos suos scribebat (3) : Cum... mox tota haec regio ferro flammaeque tradita vide- ur, sic ut septem civitatum episcopalium hujus Provinciae

(1) Ibid. Placcart de Sa Majesté, 11 et 12, pag. 254 et 255.

(2) Cfr. Van de Velde, Synops. num. tom. 1, pag. 143 et seqq., et De Ram, Synodic. Belgic. tom. 1, pag. 229 et seqq.

(3) Synodic. Belgic. tom. 1, pag. 240.

duae tantum immunes manerent ab oppressione haereticoru (*nempe Silvaducis et Ruraemunda*), ac proinde omnia passi capitula dispergerentur, monasteria exterminarentur, *par chiales ecclesiae devastarentur,...* totusque clerus proscrib retur profligareturque, etc. » Eosdemque suffraganeos Synodo eodem anno celebrata exhortans, ajebat (1) : « Quot nunc templa exusta, quot monasteria passim vastata, qu altaria eversa, quot polluta videmus!... Dei ministroru numerus quomodo imminutus est, ut... nunc in oppidis qu dem pauci sint, in pagorum multis ecclesiis nulli, et inter e ipsos quos populi necessitatibus divina clementia reliqu *heu! quam multi adhuc necessariis vitae destituti!*... Sollic simus de creandis pastoribus... Deinde, ubi pastores assu pserimus, et hoc nobis serio curandum venit, ne ii ipsi fra dentur cibo suo aut eorum necessitatibus quid desit in tar annonae caritate : qui enim bene praesunt presbyteri, dupl honore digni haberi debent, ne *taedio per inediam super* stationem suam deserant. »

Quo vero loco eadem tempestate aedes sacrae parochiaru essent, audiamus ex libello supplice, quem Patres, absolu Synodo, Archiducibus Alberto et Isabellae obtulerunt : « E ponunt debita cum reverentia, inquiunt (2), Archiepiscopus Episcopi Provinciae Mechliniensis, graves et continuas multis annis ad se undique delatas querelas super deploran desolatione et ruinis templorum, quae injuria hujus belli tempestatis acciderunt. Unde in omnibus tam Serenissimar vestrarum Celsitudinum quam exponentium tribunalibus nu crebrior litium seges oritur quam super ruinosarum et c lapsarum ecclesiarum reparatione et reaedificatione. In qu rum litium prosecutione non solum multum temporis terit atque interim quod ruinam aut casum tantum minabat plane collabitur, verum etiam multae et graves expen temere fiunt, dum contenditur cui reparatio aut reaedifica incumbat. Imo, quod deplorationem auget, adeo sunt qu rumdam ingenia depravata, ut, dum se rem publicam pron vere simulant, praetextu officii, lites studio excitatas prop compendii gratia protrahant : ita ut tandem, re ad sententi perducta, expensarum magna pars, quibus in tempore ec

(1) Ibid. pag. 282 et 285. (2) Ibid. pag. 329.

iae labenti occurri potuisset, inutiliter litigando consumpta nveniatur. » Atque ex aliis eorumdem Praesulum libellis upplicibus liquet, non solum parochorum sustentationi ecclesiarumque reparationi tunc nondum potuisse consuli, sed tiam ornamenta templorum, necnon regesta aliaque munimenta bonorum ecclesiasticorum, per temporum illorum tumultus magnam partem periisse vel ad manus alienas devenisse (1). Tantum abest ut eo tempore, nempe quarto anno post editam Clementis VIII constitutionem *Quoniam ad institutam*, parochiis « abunde esset provisum omnibus iis quae ad divinum cultum perficiendum, ad reparandum ecclesiam et ad ejusdem ministros honeste sustentandos necessaria erant. »

5. Imo vero nullidum harum rerum provisum erat. Quocirca de iis satagentes Episcopi, iterum decreverunt congruam portionem a se fore parochis assignandam : « Quam quidem, ajunt (2), computatis certis fructibus et emolumentis, ac incertis seu accidentalibus quae ad certam summam communibus annis aut quatuor annis ultimo praeteritis redigi possunt, singulis pastoribus non infra triginta quinque libras, nullis autem supra quinquaginta libras grossorum Flandriae, iidem Episcopi constituant; nisi eorumdem judicio parochiae amplitudo aliquid amplius ultra quinquaginta libras requireret. » Tum etiam mandarunt (3) : « Quicumque habent reliquias, ornamenta, munimenta vel alia quaecunque ad ecclesias, hospitalia, monasteria aliave loca pia diruta vel deserta, sive rectoribus destituta, quomodolibet spectantia, ad archiva Episcopi deferre teneantur, ibidem conservanda. » Item (4) : « Cum infinitae quotidie oriantur lites super reparatione ecclesiarum, stante hoc civili bello destructarum, eo quod episcopatus hujus Provinciae sint in diversis ducatibus et comitatibus, et proinde non ubique eaedem sunt consuetudines; visum fuit huic Synodo per modum provisionis et sine alterius praejudicio, ex communi juris dispositione per Sacrum Concilium Tridentinum innovati, certam super hac re ineundam esse rationem, cui omnes sese conformare teneantur, postea quam super eadem cum Serenissimis suis Celsitudinibus diuturnius actum fuerit. »

(1) Ibid. pag. 335, 337 et 338.
(2) Concil. prov. 1607, tit. 17, cap. 3, ibid. pag. 391.
(3) Tit. 22, cap. 13, ibid. pag. 402.
(4) Tit. 23, ibid. pag. 402.

Votis Episcoporum fecere satis religiosissimi Archiduces, dato primum anno 1608 edicto, quo et bonorum ecclesiasticorum restitutionem, quoad ejus fieri posset, procurandam decernebant, et pro parochorum congrua portione, si aliis viis ea comparari nequiret, exigi jubebant a populo vectigalia vel collectas (1). Cujus edicti exsecutio, etsi pernecessaria erat, tamen in opus deduci non potuit nisi summa cum difficultate: propterea quod civitatum oppidorumque magistratus, ac maxime Bruxellensis, totis viribus eidem repugnarent (2) : quorum pervicacia non nisi « post anxiam, laboriosam et sumptuosam luctam quatuor circiter mensium » auctoritate Principum fracta fuit, ut ad suffraganeos suos scribebat anno 1609 Archiepiscopus (3); qui etiam anno superiori difficultatum seriem Decano capituli metropolitani enarrans, haec dixerat (4) : « Quoad... articulum de provisione pastorum,... an ergo ubi nulla sunt beneficia vel decimae, eo quod ecclesiae erectae sunt sine praejudicio obtinentium eas, ut Mechliniae, Leeuwis, Thenis aliisque multis in locis, ubi et accidentarii proventus sunt nimis exigui, deerunt pastores? »

6. Quod autem ad collapsarum passim ecclesiarum parochialium instaurationem pertinet : « Archiduces 28 Martii 1611, inquit R. D. De Ram (5), edictum evulgarunt huc spectans... Hoc diplomate decernunt ut reparatio ordinaria ecclesiarum fiat secundum concordata, si quae exsistant ; his deficientibus, statuunt ut in reparandis et restaurandis ecclesiis 1° impendantur proventus fabricae, 2° recursus habeatur ad decimas, si quas habet aut habuit ecclesia instauranda, 3° ut contribuant beneficiati ejusmodi ecclesiae : quae tria si non sufficiant, collecta seu quotizatio parochianorum instituenda est, impetrato consensu Principis vel Consilii Brabantiae. Statuunt ad proventuum fabricae augmentum, ut sub Missa aut concione eleemosynae colligantur, quas pastor seu concionator commendet... Hinc initium moris illius, adhuc observati, colligendi in ecclesiis eleemosynas commodo fabricae. Hanc vero Christianam praxim jam in sua Synodo dioecesana

(1) Ibid. pag. 417, 418 et 419.
(2) Ibid. pag. 424 et seqq.
(3) Ibid. pag. 435.
(4) Ibid. pag. 429 et 430.
(5) Ibid. pag. 329, citans Edicta Brabant. tom. 1, pag. 63, Edict. Fland. tom. 2, pag. 37, Diercxsens Antverp. Christo nasc. et cresc tom. 7, pag. 62-65.

no 1610 celebrata, Joannes Miraeus, Episcopus Antverusis,... indixerat. » Imo, ut altius ascendamus, anno 1571, priore Buscoducensi Synodo (1) eam jam indixerat Laurentius Metsius, et quidem « juxta antiquam et laudabilem consuetudinem, » quo fabricis, quae *plerumque tenuiores habeant proventus*, succurreretur; quod statutum in altera modo Buscoducensi anno 1612 innovavit Gisbertus Masius ce verbis (2) : « Quoniam *ecclesiarum proventus tam sunt qui ut necessariis non sufficiant expensis,* multo minus namentis earumdem, aeditui aut praefecti ecclesiarum, ta antiquam et laudabilem consuetudinem, diebus dominicis festis solemnioribus collecturi eleemosynas ad illarum usum eumeant... Ad eumdem finem in dictis ecclesiis parochiais ponatur capsula sive vasculum sub claustro duarum vium diversi fabrilis operis ; quarum una teneatur a pastore, era a seniore aedituo. » Proinde illo etiam tempore subsi- parochialibus ecclesiis necessaria ex eleemosynis et fidem oblationibus quaeri debebant, non minus quam hodiernis mporibus; quamvis ex hoc ipso capite R. D. Verhoeven esentia tempora praeteritis opponat.

7. Post ea quae commemoravimus, occurrunt statuta Syli provincialis Cameracensis anno 1631 celebratae, in bus declaratur (3) : « Cum in multis locis pastores, quibus n de portione canonica tolerabiliter provisum fuit, ob maam temporum et rerum omnium caritatem *sufficientem do vivendi competentiam non habeant,* aequum est ut iis nibus debite provideatur; » statuiturque id faciendum sive beneficiorum unionem sive per primitiarum decimarumve ignationem sive per parochianorum symbola ac collectas qua commodiori Episcopo videbitur ratione. « Taxa sit pagis ducentorum ut minimum florenorum et non major centis et quinquaginta ; in urbibus autem non minor duatis quinquaginta et non major trecentis florenis. Porro aestimatione valoris bonorum cujusque pastoratus, tam in gis quam in urbibus, habebitur ratio eorum accidentium ae tribus aut quatuor communibus annis simul computatis

(1) Tit. 23, cap. 2, pag. 79, edit. van. 1703.

(2) Tit. 22, cap. 3, pag. 217 et t.

(3) Statut. synod. Eccl. Cameracc. part. 2, Conc. prov. 3, tit. 16, cap. 2, 3 et 4, pag. 305.

aliqualiter ad suum valorem in singulos annos reduci possunt. » Triennio ante in sexta Episcoporum Mechliniensis Provinciae Congregatione de portione parochorum vel ad 400 florenos elevanda expetendoque super ea re rescripto pontificio cogitatum quoque fuerat (1), idemque rursus propositum decimae Congregationi anno 1645 (2); in qua tandem declararunt Praesules (3) : « Cum malignitate temporum pretium rerum omnium ad vitam necessariarum a tempore novissimi Concilii provincialis ita auctum sit *ut impossibile sit portione pastoribus tunc assignata honeste vivere,* censemus et judicamus canonicam portionem etiam imposterum in minimis pagis non posse taxari infra trecentos quinquaginta florenos, in aliis autem pagis taxari posse amplius, nimirum ad quadringentos florenos vel amplius, ita ut in celebrioribus pagis usque ad 500 florenos taxari possit. In oppidis autem vel civitatibus adhuc amplius, et quidem ad 700 florenos annuos taxari posse, computatis ubique tam accidentalibus quam ordinariis proventibus, excepta tamen domo quam pastores inhabitant, et semper deductis censibus vel aliis oneribus quibus curae gravatae sunt vel quae pastores vitare non possunt. » Ita quidem tunc censebant Episcopi; verum inde non sequitur judicio Episcoporum in hac parte fuisse obtemperatum : nam, ut notat Espenius (4), cum moribus Belgii obtineret ut Episcopi de possessorio rerum, etiam spiritualium, ac singulariter de possessorio decimarum non cognoscerent, hinc fiebat ut quaestio super congrua portione passim ad judices regios devolveretur. Reperimus autem a Consilio Flandriae portiones congruas parochorum in quatuor ita discretas fuisse classes, ut in Hannonia et tractu Cameracensi trecenti, in Flandria Gallica trecenti quinquaginta, in Flandria Flandrica quadringenti, atque in maritimis partibus quadringenti quinquaginta floreni unicuique parocho attribuerentur (5).

Licet hactenus allatis plane evincatur quod nobis contra R. D. Verhoeven evincendum erat, videlicet non ita facile praemanibus fuisse unde ministri ecclesiarum parochialium ho-

(1) De Ram, Synodic. Belgic. tom. 1, pag. 497.
(2) Ibid. pag. 539 et 540.
(3) Ibid. pag. 554.
(4) Tract. de jure paroch. etc. cap. 3, § 20, tom. 2 Oper. pag. 805 et 806, edit. 1778.
(5) De Ghewiet, Institut. du droit Belgique, part. 2, tit. 1, § 6. art. 39, Lille, 1736.

neste sustentarentur; attamen, ne quis suspicetur nos non attendisse diminutionem quam valor pecuniae a tribus saeculis subiit, paucis et de hoc dicendum est. Frumenti pretium venale, quod tamquam norma valoris pecuniae ab omnibus accipitur, saeculo XVI ad finem vergente et XVII ineunte, in hisce regionibus tantum erat ut singula hectolitra (more hodierno loquimur) venirent francis circiter denis; saeculo vero XVII magis provecto, vel ad quindenos francos in singula hectolitra deventum fuit (1) : hodie denique, collatis frumenti pretiis decem annorum nuperrime elapsorum (1837-1846), terminum medium obtinemus francos pene vicenos. Potest igitur inter valores pecuniae trium horum temporum statui relatio eadem quae intercedit inter numeros 2, 3 et 4. Unde efficitur 50 libras grossorum Flandriae seu 300 florenos Brabantinos, quot anno 1607 Episcopi Provinciae Mechliniensis pro maxima portione congrua designarant (2), tantumdem valuisse quantum hodie valerent 600 floreni itidem Brabantini seu 1088 franci cum dimidio; quos vero anno 1654 Episcopi ejusdem Provinciae sustentationi parochorum necessarios censebant pro celebrioribus pagis 500 florenos et pro oppidis summum 700 florenos (3), iis venisse valoribus quibus hodie fere franci 1210 et 1694. Ex hisce calculis via patet ad pristinas parochorum portiones cum hodiernis eorum pensionibus aliisque proventibus comparandas. Bene vero notandum est ab utraque Synodo provinciali, tum Mechliniensi tum Cameracensi (4), jussa fuisse deduci in taxam omnia accidentia quae ad certam summam, inspectis communibus trium quatuorve annorum proventibus, redigi possent; ubi contra hodie accidentia illa absque deductione ulla accedunt ad annuam pensionem, a gubernio parochis quibusque solvendam.

8. Porro olim, fere ut hodie, ipsis parochis pene ubique incumbebat onus domum suam presbyteralem sartam tectam servandi debiteque reparandi, quantum ad minores quotidianasque reparationes (5) : majores quippe et extraordinariae faciendae plerumque erant vel a parochianis vel a decimatoribus; ad quo-

(1) Cfr. Annuaire de l'Observatoire de Bruxelles pour l'an 1834, pag. 222.

(2) Vide supra, pag. 551.

(3) Vide supra, pag. 554.

(4) Vide supra, pag. 551, 553 et 554.

(5) Van Espen, Jur. eccl. univ. part. 2, sect. 4, tit. 3, cap. 8, num. 24, tom. 2, pag. 83.

rum alterutros officium etiam spectabat parochum de convenienti habitatione, ubi ea nondum exstaret, providendi (1). At saepe haec erat litium occasio, dum hinc parochiani, illinc decimatores conabantur sumptuum ejusmodi faciendorum obligationem a sese excutere. En quid hisce de rebus notaret Antonius Triest, Episcopus Gandavensis, anno 1644 inter quaestiones Congregationi Episcoporum sequenti anno proponendas (2) : « Quis teneatur pastori aedificare domum pastoralem, ubi ea non est? De illa quaestione varie sentiunt auctores, et diversimode hactenus judicarunt judices. Antiquitus communis erat jurisperitorum sententia parochianos ad id teneri... Ita pluries judicatum fuit in Consilio Flandriae... Nihilominus nunc aliter sentit jurisprudentia et servat praxis hodierna atque Consilium Flandriae. Dicunt enim plerique consiliarii habitationem esse partem alimentationis pastoralis. Ideoque onus illud rejiciunt in decimas ecclesiasticas, quas more suo ubique ultra aequum gravant... Quis teneatur ad reparationes domorum pastoralium? Majores ruri reparationes multis locis facit magistratus seu communitas, praesertim in Wasia... Concilium provinciale Mechliniense... et pleraeque dioecesanae rejiciunt onus illud in pastores. Quid expediat desuper ordinare? » Ex quibus quaestionibus simul accipimus fuisse etiam tunc parochos qui habitatione suis usibus accommodata carerent. Qualis autem ea habitatio esse deberet, argui potest ex statuto sequenti, eodem fere tempore pro archidiaconatu Hasbaniae dioeceseos Leodiensis facto (3): « Tenetur etiam communitas suo pastori ad procurationem et assignationem fundi seu haereditatis dotalis juxta ecclesiam parochialem aut saltem intra viciniam, ac in eadem exstruere domum honestam et commodam, cum coquina, cubiculis saltem duobus, granario, penuario, caeterisque hac in parte pro qualitate pastoratus et proventuum ejusdem arbitrio nostro necessariis. »

9. Graves quoque lites inter decimatores ac magistratus parochiarum saepe oriebantur, nec non conflictus de foro competenti inter ecclesiasticos et sacculares judices, ubi reparandae erant

(1) Van Espen, ibid. num. 7 et seqq., pag. 82 et 83; De Ghewiet, loc. cit. art. 30, 31 et 37, pag. 103 et 105.

(2) De Ram, Synodic. Belgic. tom. 1, pag. 540 et 541.

(3) Statut. archidiac. Hasban., pag. 23, ad calcem Actorum et decret. synod. Eccl. Leod., edit. Bruxell. 1712.

arochiales ecclesiae. In reparationem illam, perinde atque in rnamenta, utensilia aliaque ad divinum cultum celebrandum ecessaria, impendi prius debebant proventus fabricarum, ne xceptis quidem caeduis arboribus, si quae in coemeterio aliisve ndis fabricae exstarent (1). His vero proventibus exhaustis, i quid ultra ad reparationem desideraretur, tum demum ompellendi erant qui fructus aliquos ex ecclesia percipiebant, el incolae loci, ut sumptus necessarios supplerent. Quot uantaeque hinc emergerent difficultates, et conjicere pronum st et facta ipsa demonstrant. Imprimis vel ipsis parocho et edituis non valde grata res erat totum fabricae aerarium perose conquisitum evacuare. Dein permissum erat benefiiatis ac decimatoribus ad conferendam pecuniam adstrictis, ecnon magistratibus, res incolarum curantibus, exigere ut omputi fabricae sibi exhiberentur, ex quibus viderent num evera fabricae proventus satis non essent ecclesiae reparanae vel num forte aliis usibus in eorum praejudicium fuissent mpensi (2). Insuper, etiamsi Concilium Tridentinum decreerat (3), si fructus proventusque ad ecclesiam quomodocumue pertinentes ei reficiendae non sufficerent, omnes patronos t alios fructus ex ea percipientes, aut in illorum defectum paochianos, omnibus remediis opportunis ab Episcopo ad repaationem cogi posse, quacumque appellatione, exemptione et ontradictione remota, tamen apud regios in Belgio judices, d quos harum rerum arbitrium ex legibus civilibus specta-at receptum erat « populum ad contributiones pro aedificanis ecclesiis sine auctoritate judicis saecularis constringi non osse (4) : » atque hinc lata porta aperiebatur causationibus agistratuum ac populorum, bellis civilibus longo temporis patio exhaustorum ; dum ex altera parte decimatores facienarum expensarum onus satis gravate in se suscipiebant, praertim si aedificium ex diuturno reparationis neglectu aliisque x causis, parocho ipsi quandoque imputandis, notabilem aliquam passum fuisset prolapsionem. Ad haec variae erant locoum ac provinciarum consuetudines, variae tribunalium sen-

(1) De Ghewiet, loc. cit. § 3, art. 3, pag. 89; Van Espen, op. cit. art. 2, sect. 2, tit. 1, cap. 6, num. , pag. 636.

(2) Van Espen, loc. cit. cap. 7, num. 5 et 6, pag. 640.

(3) Sess. 21, cap. 7 de Reform.

(4) Van Espen, loc. cit. cap. 6, num. 23, pag. 638.

tentiae : ut hic quidem decimatoribus incumberet integra ecclesiae instauratio, illic eidem instaurationi tantum deputanda esset triens decimarum sexennii spatio perceptarum, dum caeteri sumptus a parochianis essent suppeditandi ; alibi rursus chori reparatio ad decimatores spectaret, navis ac coemeterii ad populum ; turris item vel ad hunc, uti in Hannonia et Artesia, vel ad illos, uti in Flandria ; campanam vero unam, eamque tantam ut commode ab omnibus circumcirca incolis audiri posset, plerumque procurare aut restaurare deberent decimatores, caeteras, si quae essent, magistratus sive communitas (1). Quibus omnibus rebus efficiebatur ut ecclesiarum instauratio magnas undique pateretur remoras aut etiam penitus negligeretur.

10. Audienda hic paulisper quae Humbertus de Precipiano, Mechliniensis Ecclesiae Antistes, anno 1700, pace jam provinciis nostris reddita, monebat (2) : « Recurrunt animo doloremque infandum renovant et sollicitudinem nostram deposcunt, quae perlustrantes archidioecesim in variis pagis offendimus, templa et altaria perpluta ac turpem in modum sordida ; illorum fenestrae hic illic, fractis vitris, imbri ventoque perviae ; tecta, ruptis dissolutisque tegulis ac putrefactis asseribus, undique hiantia ; fornices et parietes proximam minitantes ruinam, aut multa fuligine obsiti ; indumenta sacerdotalia et lintea etiam quae Corpus Dominicum immediate contingunt, usu trita atque conspurcata ; foede calcata a pecoribus coemeteria, et murorum in terram prolapsorum fragmentis ac ruderibus oppleta. Haec quidem omnia tribuunt pastores calamitoso illi ac diutino bello a quo haec patria vixdum respirat, verum nescimus an hic omnes, ut optamus, negligentiae culpa vacent. Utut est, nunc certe bellum causari nequeunt. » Post quae egregius Archipraesul parochis injungit ut sine mora manus operi admoveant, decimatores aliosve ad quos spectaret, amice invitando, vel, ubi opus sit, etiam juridicis viis compellendo ad ecclesiarum instaurationem. « Et vero, addit, cum sciamus justum multorum decimatorum votum ac desiderium esse ut, priusquam turris vel ecclesiae partes quarum

(1) Cfr. De Ghewiet, loc. cit. art. 16 et seqq., pag. 87 et seqq. ; Van Espen, loc. cit. cap. 6 et 7., pag. 635 et seqq.

(2) De Ram, Synodic. Belgic. tom. 2, pag. 441, 442 et 443.

instauratione decimae suae onerantur, magnas ruinas ediderint, aut longe patentes fornicum parietumque hiatus immensas ad instaurationem summas patulo ore deposcant, de hac praestanda admoneantur;... volumus ut ecclesiarum rectores, simul ac aliqua ex dictis partibus vel levissimam labem facere incipit, decimatores moneant... Variae etiam quae ob reparationem ecclesiarum non sine gravi impendio contra decimatores agitantur lites et controversiae, pluribus locis e medio tollerentur earumque seges ac materia imposterum subtraheretur omnis, si bona fabricae majore sollicitudine et industria administrarentur. Iniquum est enim ac plane indignum praefici ecclesiarum fabricis viros minime idoneos, qui nec auctoritate valent nec industria, qui diffluunt inertia, qui ne formare litteras quidem aut characteres norunt. »

Quo anno haec scribebat Archiepiscopus ac luculenter causas exponebat minus bonae conditionis in qua tum plures parochiales ecclesiae versabantur, suum Jus ecclesiasticum universum in lucem edebat Espenius, in quo ita loquebatur (1): « Quantum parochialibus ecclesiis, quae olim maxime floruerunt et in quibus exstruendis ac dotandis fidelium avita pietas eluxit, Fratrum Mendicantium similiumque religiosorum multiplicatio detraxerit, parochiae ubique pene dejectae ac collapsae sat superque testantur. » Putidam hanc calumniam, qua nequam scriptor religiosis imputat calamitatem ecclesiarum parochialium, cujus causam omnes Synodi Belgicae ac veridici quique narratores in haereticorum rabiem et bellicos tumultus refundunt, spernendam potius ducimus quam refutandam, imo per ea quae diximus, jam satis eam refutasse nobis videmur. Verum illud hic advertimus, Espenium cum Humberto de Precipiano in eo convenire ut attestetur parochiales ecclesias in Belgio fuisse collapsas illo ipso tempore quo secundum R. D. Verhoeven dici deberent fuisse florentissimae et rebus omnibus ad divinum cultum, ad reparationem aedificiorum et sustentationem cleri necessariis abunde instructae. Et hactenus quidem de primo hoc R. D. Professoris asserto.

11. Secundum ejus assertum ita sonat (2) : « Nemo enim ignorat, saeculo elapso ad finem vergente, parochiales ecclesias in

(1) Part. 1, tit. 24, cap. 3, num. 10, tom. 1, pag. 239.

(2) Pag. 65.

universo Gallicanae reipublicae territorio spoliatas fuisse omnibus bonis, non tantum mobilibus et immobilibus quae ad ecclesiae fabricam, ut ajunt, pertinebant, sed et iis quae beneficiorum, etiam simplicium, vel fundationum dotem constituebant, aliisque universis quae in sustentationem parochi aliorumque ministrorum erant acquisita. Civilis magistratus bona ista fere omnia vendiderat, vel hospitalibus aliisve institutis civilibus in pauperum subsidium addixerat, quum de restituendis bonis quae nondum fuerant alienata, cogitaret. »

Brevi hoc sermone multa complectitur scriptor, quae aliqua elucidatione opus habent. Imprimis quod ait ecclesias parochiales in universo territorio reipublicae Gallicanae, cui Belgium anno 1795 adjunctum fuit, spoliatas fuisse omnibus bonis etiam mobilibus, id quidem, maxime quantum ad Belgium spectat, nimis universaliter videtur dictum. Etsi enim impiae reipublicae leges nullis bonis ecclesiasticis parcitum vellent, effecit tamen in nostris provinciis cleri fideliumque multorum industria ut pretiosior saltem templorum supellex aut occultatione aut ficta venditione subtraheretur rapacitati spoliantium atque in tuto collocaretur, donec meliora venirent tempora ; nec pauca sunt bona quae deinde, apertis anno 1801 aedibus sacris, per viam restitutionis ad parochias vel instauratas vel noviter erectas redierunt. Ignoravitne haec R. D. Professor, quae tam facile scire poterat sive testimonio senum sive ipsa templorum pristinis monilibus adhuc splendentium inspectione ?

Addere etiam debuisset gubernium Gallicanum eo ipso decreto quo bona ecclesiastica usurpavit, in se suscepisse obligationem procurandi sumptus cultui divino ministrisque ecclesiarum nutriendis congruos, ac dotationi cujusque parochi, praeter domum et hortum, non minus quam 1200 libras deputandi (1). Cui obligationi implendae quamquam, ingravescente impietatis aestu, sese ad tempus subtraxerit, postea tamen, quae eo decreto promissa erant, cumulate fuere exsecutioni data. Neque praetereundum illud est, debita quibus clerus ecclesiaeque onerabantur, perinde ac bona quibus fruebantur, declarata fuisse nationalia (2); ubi vero bonorum nondum alienatorum resti-

(1) Décret du 2 Novembre 1789, apud Bon, Législation des paroisses, pag. 2 et 3, edit. Brux. 1842.

(2) Décret du 17 et du 22 Avril 1790, ibid. pag. 4.

tutio a Napoleone facta fuit, perstitisse immunitatem ab onere pristina debita cum hisce bonis connexa solvendi (1), exceptis debitis spiritualibus Missarum, fundationum, anniversariorum, etc., pro quorum exoneratione parochi aliique ecclesiarum ministri stipendia consueta percipiunt (2).

De immobilium quoque bonorum spoliatione videtur locutio R. D. Professoris aliquantum restringi posse, si attenderimus ad ea quae felicis recordationis Gregorius XVI ab Illustrissimis Belgii Episcopis ad se relata testatur in Brevi *Epistolam accepimus*, dato 16 septembris 1833 : « Vobis quidem, ait (3), magnam significastis fore spem obtinendi statim a civili ista potestate solemnem declarationem seu legem expressam, qua Ecclesiae restituta decernantur alia quaedam bona, quae licet civilibus sanctionibus olim pro memorata occupatione latis comprehenderentur, facto tamen ipso occupata non sunt, propterea quod eadem vel illorum qualitas occultata fuit seu a gubernio quomodolibet ignorata. Et multum quidem fore arbitrabamini quod ex hac declaratione procederet temporale Ecclesiae emolumentum, *quum exstent in vestris dioecesibus bona ejusmodi non sane pauca, et magnam saltem illorum partem recuperare haud difficile vobis futurum sit.* » In cujus Brevis consecutionem, postquam Episcoporum rogatu regia declaratio prodiisset, qua Ecclesiae restituta decernebantur praedicta bona, edidere vicissim Episcopi, pro facta sibi per Sedem apostolicam potestate, declarationem, qua articulus XIII conventionis anno 1801 Pium VII inter et Napoleonem initae ad bona ecclesiastica post conventionem illam a gubernio occupata extendebatur (4).

12. Non quaerimus utrum bona illa gubernio occultata, de quibus Episcopi nostri ad Summum Pontificem scripsere, parochialium olim ecclesiarum fuerint, an vero collegiatarum, coenobiorum aliorumve institutorum ecclesiasticorum ; quandoquidem satis notum est eadem bona, ubi tandem restituta

(1) Décret du 11 Mai 1807, ibid. pag. 120; Avis du conseil d'État du 9 Déc. 1810, ibid. pag. 141.

(2) Décret du 22 Fructidor an 13 (9 Sept. 1805), ibid. pag. 114. Cfr. Recueil, etc. de M. Fallot de Beaumont, tom. 1, pag. 399, 400 et 401.

(3) Kersten, Journal hist. et litt. tom. 1, pag. 11.

(4) Arrêté royal du 7 Janv. 1843, et Déclaration des évêques, apud Bon, op. cit. pag. 224 et 225, et Kersten, loc. cit. pag. 15 et seqq.

fuere, plerumque parochialibus ecclesiis cessisse : quod unum annotasse satis est, ut appareat R. D. Verhoeven immerito de iis tacuisse. Imo probare hac in parte nullatenus possumus modum quo R. D. Professor sua argumenta disposuit : ut scilicet hoc loco de parochialium tantum ecclesiarum spoliatione diceret, alio vero loco satis dissito (1) de spoliatione regularium ; idque ad fines plane diversos. Namque hic totus est in commiseratione erga ecclesias parochiales excitanda ; illic religiosorum Ordinum calamitatibus adversus ipsos utitur. Ex hac autem rerum inter se connexarum disjunctione quid illico sequitur? Nempe ut ambiguus evadat R. D. Professoris sermo, cum ait : « Nemo enim ignorat... parochiales ecclesias... spoliatas fuisse *omnibus bonis*... Civilis magistratus bona ista *fere omnia* vendiderat vel hospitalibus aliisve institutis... addixerat, quum de restituendis bonis quae nondum fuerant alienata, cogitaret. » Pronum enim est ut minus oculati lectores hinc consequentiam illam deducant, nihil aliud ecclesiis parochialibus fuisse restitutum nisi pauca admodum ex pristinis *ipsarummet* bonis ; cum interea certum sit non solummodo haec, verum etiam multa alia, quae ad parochiales ecclesias numquam antea pertinuerant, iisdem fuisse resignata, atque in specie bona nonnulla regularium, uti ipse R. D. Professor postmodum fatetur (2).

13. Itaque, ut recta habeatur rerum notio, summatim exponenda suscipimus quae ad reparationem injuriarum, ecclesiis ad finem proxime elapsi saeculi illatarum, spectant. Notissimum est eam coepisse anno praesentis saeculi primo, quando solemne pactum inter se iniere Pius VII et Napoleo, reipublicae Gallicanae primus Consul. Declarante Pontifice, ut tranquillitati Galliae consuleretur felixque catholicae Religionis restitutio non impediretur, eos qui bona ecclesiastica alienata acquisiverant, molestiam nullam habituros a Romanis Pontificibus, ac consequenter proprietatem eorumdem bonorum cum redditibus et juribus iis inhaerentibus immutabilia penes ipsos atque ab ipsis causam habentes permansura, vicissim declaravit gubernium Gallicanum omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia aliaque non alienata, cultui necessaria, Episcoporum dispositioni traditum iri; item in se

(1) Pag. 84 et seqq. (2) Pag. 85, 91 et 92.

cepit Episcoporum ac parochorum, quorum dioeceses atque rochiae nova circumscriptione jamjam facienda defini- ntur, sustentationem quae cujusque statum deceret; se- ie promisit curaturum ut Catholicis in Gallia et Belgio otestas foret, si eis liberet, ecclesiis consulendi novis funda- onibus (1). Exhinc anno 1802 instituti fuere archiepiscopa- us et episcopatus, decretumque a gubernio ut cuique Ar- iiepiscopo singulis annis ex aerario publico solverentur uindecim francorum millia, Episcopo millia decem (hodie vero Belgio plus iis solvitur); ac praefectis provinciarum (vulgo *partements*) commissa cura congruas habitationes iisdem aesulibus assignandi (2). Facta mox etiam nova parochia- m descriptio, qua praeter ecclesias proprie parochiales igebantur plures aliae, succursales dictae : cuique parocho l rectori provisum de domo et horto : parochis singulis imae classis addicta ex aerario publico annua pensio 1,500 ancorum, et parochis secundae classis pensio 1,000 fran- rum, rectoribus vero succursalium ecclesiarum eae tantum ldictae manebant pensiones ad quas secundum leges ipso oliationis tempore latas jam jus habebant; sed simul ma- stratibus localibus permittebatur ut, si res ita ferret, etiam si ex aerario municipali in sustentationem cleri parochialis iquid conferrent (3). Statutum quoque a gubernio, posse leles, sub certis conditionibus, cum civilis potestatis bene- acito (quod satis facile hodie in Belgio obtineri nemo nescit), ultus divini augmento ac necessitatibus ministrorum Eccle- ae levandis pias fundationes ac donationes addicere (4). ost haec subsecutum est anno 1803 placitum gubernii, quo na fabricarum nondum alienata una cum superstitibus rumdem redditibus primaevae suae destinationi reddeban- r; ex quibus bonis, si qua pertinuerant ad ecclesias jam ppressas, ea assignabantur ecclesiis conservatis (5) : deci- m autem fuit praedicto placito etiam comprehendi bona, dditus ac fundationes Missis anniversariis aliisque officiis

(1) Convention du 10 Sept. 1801, t. 12-13, apud Bon, op. cit. pag. ; Bulla *Ecclesia Christi*, ibid. g. 73.

(2) Articl. organ. 64, 65 et 71, ibid. pag. 65.

(3) Art. 66, 67, 68 et 72, ibid.

(4) Art. 73, ibid.

(5) Arrêté du 7 Thermidor an 11 (26 Juill. 1803), ibid. pag. 101.

sacris oneratas (1), etiamsi fundationes illae non ipsis fabricis, sed parochis, vicariis aliisve clericis ea officia persoluturis factae olim fuissent (2) ; addita tamen cautione ne earum titulares quidpiam juris ad earum exonerationem prae reliquo clero inde acciperent (3). Jam pro Belgio in specie illud quoque notandum, in definitione territoriorum quibusque parochis et ecclesiarum succursalium rectoribus committendorum multum spectata fuisse religiosa populi Belgici sensa : unde effectum fuit ut ab ipso illo anno 1803, rogatu Episcoporum (4) ac civilis etiam magistratus, favente cultus negotiis praefecto Portalis, plura in nostris provinciis quam alibi Galliarum cultui divino deputata fuerint oratoria publica, quas capellas sive ecclesias annexas dicimus, ac vicariis spirituali eorum curae praepositis domus presbyterales cum suis hortis ad habitandum datae (5). Anno dein 1804 rectoribus succursalium, quibus gubernium eatenus minus consuluerat, attribui coepit ex aerario publico pensio annua 500 francorum (6). Anno 1805, Napoleone jam imperatoria potestate utente, concessa fabricis ecclesiarum bona nondum alienata redditusque superstites confraternitatum quae in ecclesiis parochialibus olim exstiterant (7). Anno 1806 aedes sacrae domusque presbyterales quae ex nova circumscriptione suppressae manebant, pariter bonis fabricarum fuere accensitae (8). Eodem anno hospitalium et institutorum civilium pauperibus succurrendis destinatorum administris injunctum fuit ut fundationes pias quibus eorum locorum bona gravantur, exonerandas curarent, solvendo ecclesiarum fabricis pecunias pro ea exoneratione jam inde a 24 Septembris 1803 debitas, atque ita porro futuris temporibus (9). Anno insequenti numerus ecclesiarum succursalium, quae

(1) Arrêté du 28 Frimaire an 12 (20 Déc. 1803), ibid. pag. 102; Instruct. du 6 Pluviose an 12 (27 Janv. 1804), ibid. pag. 103 et 104.

(2) Décis. du 30 Ventose an 12 (21 Mars 1804), ibid. pag. 105.

(3) Avis du conseil d'État du 21 Frimaire an 14 (12 Déc. 1805), ibid. pag. 115.

(4) Recueil, etc. de M. Fallot de Beaumont, tom. 1, pag. 118.

(5) Rapport de Portalis, 1 Nivose an 12 (23 Déc. 1803), apud Bon, pag. 103.

(6) Décret du 11 Prairial an 12 (31 Mai 1804), ibid. pag. 105.

(7) Décret du 28 Messidor an 13 (17 Juill. 1805), ibid. pag. 113.

(8) Décrets du 30 Mai et du 31 Juillet 1806, ibid. pag. 116 et 117.

(9) Décret du 16 Juin 1806, ibid. pag. 117.

pridem toto Imperio Gallicano erant 24,000, sex millibus auctus ; ac facta potestas ubique novas ecclesias annexas cum episcopalis simul et civilis auctoritatis consensu erigendi, modo loci incolae sumptus ad rem divinam faciendam vicariumque hospitandum et alendum necessarios conferre parati essent (1). Anno 1809 adhuc ad fabricas redierunt templa et presbyteria pridem alienata, sed deinde, eo quod emptores propter non factam suo tempore solutionem jure suo exciderant (vulgo *pour cause de déchéance*), ad dominium nationis reducta ; nec non oratoria congregationum et ecclesiae monasteriorum non alienatae nec reipublicae usibus eo tempore jam addictae (2) : demum etiam bonorum nonnullorum, eo usque gubernio occultatorum, possessionem Imperator fabricis concessit (3). Oportebat sane ut R. D. Verhoeven haec aliquo modo commemoravisset, et aequum se praebuisset aestimatorem meritorum Napoleonis erga ecclesias parochiales ; quae, si temporis illius adjuncta respexeris, tanta sunt ut vix non superaverint exspectationem, quamquam non diffiteamur aliquot in iis naevos deprehendi. Sed plures naevi sunt in actis gubernii Hollandici Guilielmi I, quod placitis regiis 19 Augusti 1817, 5 Maji 1818, 6 Decembris 1821 et 20 Septembris 1824 publicatis (4) aliisque hujusmodi novam spoliationem fabricarum invexit, qua iis abjudicarentur non pauca bona, redditus ac fundationes, eo praetextu quod hae res *beneficiorum simplicium* nomine censendae essent : unde infinitae exortae fuere lites fabricas inter et dominii publici administros, eaeque ne tum quidem sopitae fuerunt, cum Belgicae provinciae anno 1830 sui juris esse coepissent (5) ; quamquam hodie, ut pluribus exemplis liquet, apud tribunalia, rejectis placitis illis Hollandicis, fabricae passim victrices ex litibus illis exire solent (6).

(1) Décret du 30 Sept. 1807, ibid. pag. 122.

(2) Décret du 17 Mars 1809, ibid. pag. 128.

(3) Décret du 30 Déc. 1809, art. 36, 3°, ibid. pag. 132.

(4) Ibid. pag. 171, 172, 181, 182 et 196.

(5) Kersten, Journal hist. et litt. tom. 1, pag. 68 et seqq. ; tom. 7, pag. 398 et seqq., 501 et seqq., 537 et seqq. ; tom. 8, pag. 129 et seqq.

(6) Id. ibid. tom. 1, pag. 439 et seqq. ; tom. 8, pag. 168 et seqq. ; tom. 11, pag. 332 et seqq. ; tom. 12, pag. 115 et seqq. ; tom. 13, pag. 63 et seqq.

14. Nunc demum, post abrogatas leges sanctionesque libertati ecclesiasticae adversas, quanta parochiales ecclesiae earumque clerus tum generali totius regni gubernio, tum provincialibus ac municipalibus magistratibus in acceptis referre debeant, nemo non videt qui modo oculos ad videndum adhibere voluerit. Desunt nobis documenta quibus opus haberemus ad rem pro dignitate explicandam ; sed ex iis quae nobis praesto sunt, aliqua allegabimus, ex quibus caetera conjici poterunt. Mittimus pecunias quae annuatim a gubernio solvuntur Archiepiscopo, Episcopis, Vicariis generalibus, Canonicis, secretariatibus et seminariis episcopalibus horumque aliquot alumnis stipendio (*bourse, demi-bourse*) fruentibus ; quarum pecuniarum summa in annos singulos nunc aestimatur francis 403,822 (1). Eas magis memorari oportet quae clero parochiali solvuntur. Numerantur hodie in Belgio 86 parochiae primae classis, 142 parochiae secundae classis, 2,639 ecclesiae succursales, 200 annexae, atque harum omnibus rectoribus opem ferunt 1,555 vicarii (2). Jam vero singulis annis stata lege ex aerario regni accipit quisque parochus primae classis 2,047 francos cum dimidio, parochus secundae classis 1,365 francos, rector succursalis 787 francos cum dimidio, capellanus aut vicarius 500 francos, nec desunt quibus etiam auctarium aliquod concedatur : ita ut summa universa pecuniarum clero parochiali a gubernio solvendarum pro anno praesenti aestimata fuerit ad francos 3,319,104 (3). Insuper magistratibus localibus per leges facultas permissa est subsidia aliqua in ejusdem cleri sustentationem conferendi : qua facultate magistratus plures Flandriae Orientalis jam anno 1833 ita usos fuisse reperimus ut vel 120,891 francos deservitoribus succursalium et vicariis assignatos voluerint (4); anno vero 1839 in provincia Leodiensi subsidia ejusdem generis ascenderunt ad francos 2,283 in supplementum annuae portionis datos rectoribus succursalium, et francos 25,988 vicariis aliisque ad ministerium sacrum deputatis (5) ;

(1) Chambre des Représentants, session de 1845-1846, n° 195, pag. 60, 61, 70 et 71.

(2) Ibid. pag. 72 et seqq.

(3) Ibid. pag. 60 et 61.

(4) Exposé de la situation de la prov. de Flandre Orient. 1833, chap. 5, pag. 75 et 76.

(5) Kersten, Journal, tom. 7, pag. 209.

nec dubium quin singulis annis in omnibus generatim provinciis regni similia fiant in levamen cleri non modicum.

15. Quod ad constructionem aut reparationem ecclesiarum ac domorum presbyteralium spectat, non modicae sunt pecuniae, quae tum a municipiis, tum a provinciis, tum a gubernio in eam rem quotannis impenduntur. Provincia Flandriae Orientalis, quae anno 1831 non amplius quam 1,790 francos, et anno 1832 francos tantum mille in ecclesiarum ruralium aedificia resarcienda impenderat (1), quinquennio post eo jam devenerat ut decem francorum millia pro iisdem impensis in annuum computum suum referret (2) supra francos 5,460 ad cathedralis ecclesiae, palatii episcopalis et seminarii dioecesani aedificia curanda adhibendos (3). In computum vero anno 1839 praevium pro dictis 10,000 inseruit 25,000, tum quia indies crescebat numerus ejusmodi subsidia petentium, tum etiam quia gubernium satis indicaverat se suam in ecclesiarum aedificia liberalitatem passim coaequare velle liberalitati magistratus provincialis; ita nimirum ut quantum alicui parochiae pro hac re ex aerario provinciae conceditur, tantumdem vel etiam amplius eidem parochiae concedatur ex publico regni aerario (4). Reapse ex illis 25,000 provincia haec ipso anno 1839 expendit francos 24,814, quibus gubernium pro ecclesiis et presbyteriis ejusdem provinciae adjecit francos 34,650 (5), et certe municipia quoque aliquantum pecuniarum e suis aerariis adjecerint. Provincia Namurcensis eodem anno in similes usus contulit 20,400 francos, quibus additi a gubernio 33,700; provincia item Leodiensis 41,274 francos, quibus quantum gubernium ac municipia adjecerint, non novimus; sed illud reperimus, quod pro specimine esto, in inchoatam tunc instaurationem ecclesiae primariae Hoyensis ex aerario provinciae Leodiensis collatam fuisse pro eo anno summam 3,000 francorum, ex aerario regni summam duplo majorem, atque ex aerariis municipii ac fabricae 2,500 francos (6). Annis autem insequentibus plus etiam ejusdem ecclesiae aedi-

(1) Exposé de la situation, etc., annexe n° 2, pag. 128 et 129; annexe n° 3, pag. 146 et 147.

(2) Mémorial administratif de la Flandre Orient., tom. 42 bis, année 1837, pag. 200 et 201.

(3) Ibid. pag. 198 et 199.

(4) Ibid. tom. 44, 2e sémestre 1828, pag. LXXVIII et LXXIX.

(5) Kersten, Journal, tom. 7, pag. 209.

(6) Id. ibid.

ficio concessum, saltem a gubernio, quod pro anno 1841 ei destinabat francos 10,000, simul destinans pro eodem anno 40,000 francos aedi SS. Michaelis et Gudulae Bruxellis, 25,000 aedi S. Jacobi Leodii, 35,000 cathedrali ecclesiae Tornacensi, 4,000 metropolitanae Mechliniensi, 3,000 aedi S. Gertrudis Lovanii, 6,000 aedi S. Waldetrudis Montibus, 37,000 partim cathedrali Brugensi et partim aedi S. Martini Leodii, ac praeterea 90,000 aliis ecclesiis atque presbyteriis : universim 250,000 francos (1). Et saepe contingit ut uni eidemque ecclesiae per plures annos continuos id genus annua conferantur subsidia : prout v. g. pro instaurando Bruxellis SS. Michaelis et Gudulae templo jam collata fuere publicis sumptibus 800 saltem francorum millia.

Ut aliqua adhuc afferamus exempla (nam perfectam rerum notitiam assequi non potuimus), pro anno 1840 invenimus in aerariis omnium provinciarum simul, quae novem sunt numero, sed non omnes aeque locupletes, in similes usus paratam exstitisse summam 183,000 francorum (2), qua ex more jam recepto inferior esse non poterat summa pecuniae ex regni aerario ad eosdem usus hauriendae. Imo pro anno 1845 existimabat regni administer ad quem hujus rei cura spectabat, sibi vel 444,000 francos pro ea fore necessarios (3); comperimusque exinde eam summam reapse in annuos regni computos fuisse relatam (4). Demum quid toto Belgio per auctoritatem civilem in hac re praestitum fuerit anno nuper elapso, dijudicare licet ex provincia Leodiensi, intra quam unam aedificiis cultui cleroque catholico aptandis aut resarciendis per eum annum insumendi praevidebantur 486,195 franci, paratique erant in eum finem franci 598,903 (5), partim, credimus, a fabricis, sed longe maxime a gubernio, provincia et municipiis conferendi. Quod si, servata ea quam oportet proportione, ab hac una provincia ad novem provincias calculus extendatur, vix erit ambigendum, quin anno 1846 magistratus civilis permulto munificentior fuerit erga templa et presbyteria parochialia quam anno 1839 fuerat, quo tamen anno franci 1,679,831

(1) Id. ibid. pag. 408.
(2) Id. ibid., tom. 6, pag. 567.
(3) Id. ibid. tom. 11, pag. 489.
(4) Chambre des Représentants, session de 1845-1846, n° 2, pag. 30 et 31 ; session de 1846-1847, n° 195, pag. 60 et 61.
(5) Kersten, Journal, tom. 13, pag. 201.

iis faciendis reliciendisque per universum regnum fuere insumpti (1). Denique reperimus unam civitatem Yprensem decem annorum spatio 72,028 francos in suas ecclesias parochiales impendisse : nempe 17,470 in aedem S. Martini, 15,350 in S. Petri, 18,060 in S. Nicolai, 21,148 in S. Jacobi (2).

Sane hisce omnibus non respondet illa R. D. Professoris phrasis : « Civilis magistratus bona ista fere omnia vendiderat vel hospitalibus aliisve institutis... addixerat, quum de restituendis bonis quae nondum fuerant alienata, cogitaret. » Neque jam rite deducta consebitur consequentia illa : « Nihil mirum *igitur*, statum parochialium ecclesiarum, si paucas excipias, in his regionibus hodie adhuc esse miserum, » qua sequens assertum suum exorditur.

16. Tertium hoc assertum est (3) : « Statum parochialium ecclesiarum, si paucas excipias, in his regionibus hodie adhuc esse miserum, et parochos debere omnem curam ac sollicitudinem impendere, ut ecclesiae reparationi, sacrae supellectili, custodis et cantorum sustentationi, caeterisque ad divinum cultum necessariis providere possint. » Et in ejus confirmationem haec a scriptore adduntur : « Quid enim? Quinam sunt praecipui fontes e quibus redditus ecclesiarum parochialium hodie proveniunt? Si non ad unum omnes, saltem longe major parochorum pars fatebitur redditus praecipuos ecclesiis suis venire ex locatione subselliorum in aede sacra et ex oblationibus seu eleemosynis quas fideles inter Sacrorum solemnia offerunt; qui redditus si notabiliter minuerentur, divinus cultus non posset amplius, ut decet, in plerisque parochialibus ecclesiis persolvi. »

17. Haec verba qui extra patriam nostram peregrinus legerit, sibi in animum inducat necesse est plerasque Belgii parochiales ecclesias paupertate et miseria plane squallescere, quemadmodum multae ex iis squallebant sub Humberto de Precipiano, cujus de hac re querelas antea audivimus (4). At, Deo sint laudes, res longe aliter se habet; nec quisquam fere nostrum est qui non audiverit alienigenas admirationem suam manifestantes de nitore, splendore et divitiis templorum in

(1) Id. ibid. tom. 8, pag. 88.
(2) Conseil communal d'Ypres. séance du 21 Janvier 1847.
(3) Pag. 65.
(4) Supra, pag. 538.

Belgio. Quamvis autem oppidana templa magis in extraneorum oculos incurrant, non possunt tamen rurales quoque ecclesiae, quarum plerasque nitore suo et cultu etiam splendescere notorium est, eorum aspectum effugere : fatenturque adeo illi saepius se satis mirari non posse quomodo post tam graves rei Christianae vicissitudines ad tantum decus aedes sacrae ruri positae devenerint. Quam alte insuper adversus R. D. Verhoeven clamant novorum templorum parochialium aedificationes, antiquorum instaurationes et ampliationes, per septemdecim hosce ultimos annos perfectae, ut pene non sit regio in terris quae nostram in hac parte aequet, nedum superet! Quantis difficultatibus tale opus olim obsitum fuerit, satis antea demonstravimus (1); quam facile contra id hodie fiat, neminem latet. Anno 1837 vir clarissimus Petrus Kersten longos texuit catalogos (2) aedium sacrarum aut de integro exstructarum aut notabili parte auctarum intra dioeceses Brugensem, Gandavensem et Namurcensem ab anno 1830. Erant inter eas circiter sexaginta parochialibus destinatae usibus; asserebatque idem scriptor fortasse nullam esse in Brugensi dioecesi ecclesiam cui a sexennio novus aliquis ornatus non fuisset adjectus, cujus rei specimina aliquot praecipua allegabat : novo pavimento marmoreo, francis minimum 40,000 constituro, decorari aedem cathedralem; duabus aliis ecclesiis civitatis Brugensis, nimirum S. Jacobi et SS. Sanguinis, marmoreum item pavimentum insterni; restaurari pavimentum templi S. Petri Ypris; ibidem ad S. Jacobi latera sanctuarii marmore vestiri et laquearia perfici; francos 11,000 impensos adornandae ecclesiae S. Joannis Poperinghae, et plures impensum iri comparandis eidem ecclesiae duabus campanis. Par propemodum jam tunc erat in aliis dioecesibus Mechliniensi, Leodiensi et Tornacensi ad reparanda sanctuaria fervor; neque is uspiam per subsequens decennium intepuit : quin potius majora in dies visus fuit capere incrementa, parochianis sua symbola generose conferentibus, hisque auctaria non spernenda adjicere pergentibus magistratibus, prouti paulo ante ostensum est (3). Quo fit ut multum sublevetur parochorum de ecclesiis reparandis cura ac sollicitudo, in

(1) Supra, pag. 557 et 558.

(2) Journal hist. et litt. tom. 4. pag. 346 et seqq., 390 et seqq., et 535.

(3) Supra, pag. 567, 568 et 569.

qua R. D. Verhoeven tantum momentum ponit. Atque haec jam res legitimum praebet praejudicium, quominus ejus dictis omnimoda fides adhibeatur.

18. Deinde quaerere nobis liceat quare R. D. Professor partem tantum indicaverit fontium e quibus redditus ecclesiarum parochialium hodie proveniunt? Enumerantur ii fontes in decreto quodam Napoleonis hisce verbis (1) : « Redditus fabricarum efformantur 1° fructibus bonorum et reddituum fabricis restitutorum, bonis confraternitatum ac generatim iis quae per varia nostra decreta fabricis fuere concessa; 2° fructibus bonorum, reddituum et fundationum quae ab iis cum nostro beneplacito vel accepta jam sunt vel accipi in posterum poterunt; 3° fructibus bonorum et reddituum dominio publico occultatorum, quorum possessionem, nobis annuentibus, adierunt vel adibunt; 4° iis quae solo coemeteriorum sponte innascuntur; 5° pretio locationis subselliorum; 6° pretio concessionis scamnorum in templo constitutorum; 7° pecuniis intra officia ecclesiastica collectis in cultus divini usum; 8° pecuniis quae conjectae fuerint in arculas pro eadem re in templo positas; 9° oblationibus fabricae factis; 10° juribus quae secundum ordinationes Episcoporum, a nobis approbatas, fabricis persolventur, necnon quae ex sepulturae expensis ad eas pertinent; 11° supplemento, ubi res feret, ex aerario municipali dando. » Inter haec undecim capita ultimum R. D. Verhoeven paulo inferius declarat pene illusorium (2). Ex reliquis autem decem capitibus ea omittit quae certos redditus constituunt, ac tantummodo commemorat illa ex quibus nascuntur redditus, uti ipse ait, omnino accidentales : his autem notabiliter imminutis, conclamatum esse pronuntiat de cultu divino in plerisque parochiis.

19. Inde more suo adversus regulares ratiocinans : « Age porro, inquit (1), redditus hujus generis sunt omnino accidentales, et prorsus a concursu fidelium ad parochialem ecclesiam pendent. Itaque ubi regulares in vicinia vel prope aedem parochialem aedificare volunt ecclesiam, in qua statis horis Missae celebrarentur, verbum Dei praedicaretur, Eucharistiae ac Poenitentiae Sacramenta administrarentur, et

(1) Décret du 30 Déc. 1809, art. 36, apud Bon, op. cit pag. 131 et 132.

(2) Pag. 69 et seqq.

(3) Pag. 65 et 66.

parochus prudenter praevideat fidelium concursum ad ecclesiam suam per aedificationem istam ita diminutum iri ut inde grave eidem ecclesiae inferendum esset damnum, in his rerum adjunctis, inquam, parochus secundum ea quae superius diximus, hujusmodi erectioni se opponere legitime potest. Quin imo, si ita comparatus est status suae ecclesiae ut propter diminutionem concursus pertimescere debeat ne expensis pro divino cultu necessariis imposterum providere queat, non tantum ipsi jus est, sed et officium et grave munus, erectionem ecclesiae regularium totis viribus impedire; nam vi officii sui jura ecclesiae suae tueri debet : non enim dominus, sed probus defensor est et vindex jurium ecclesiae cui praepositus est; neque ei fas est permittere ut se conscio aliquid fiat quod de jure fieri prohibitum est, et ex quo ecclesia sua grave detrimentum caperet. » Circa quae R. D. Professoris effata piget repetere quodnam et quibus in adjunctis parochi vere jus contradicendi habeant; quibusnam parochis id jus competat, aequene amovibilibus ac perpetuis; quid per praejudicium in jure canonico intelligatur; quid censendum sit de distinctione ab adversario nostro instituta inter praejudicium grave et leve; quo loco apud Romana tribunalia habeatur oppositio parochi propter diminutionem concursus populi et eleemosynarum; quae sint jura ecclesiae parochialis quorum defensor et vindex sit parochus; quid in toto hoc argumento de jure prohibitum sit, quid contra permissum omnino et licitum. Ut enim R. D. Professor jubet parochos agere secundum ea quae superius dixit, sic nos ab iisdem flagitamus ut etiam recordentur refutationis superius a nobis institutae.

Porro quos ex undecim, uti diximus, reddituum fontibus R. D. Professor ut suo scopo aptiores selegit, locationem videlicet subselliorum, oblationes et eleemosynas spontaneas fidelium, verene periculum est ut ii hac tempestate ex aedificatione aliquot ecclesiarum regularium notabiliter diminuantur? Namurci quidem, ex quo ibi ecclesiam exstruxere Patres Societatis Jesu ac deinde Virgines Teresianae, bis renovata fuit locatio subselliorum, crevitque ejus pretium in omnibus vel pene omnibus parochiis, licet conductoribus solito onerosiores fuerint praescriptae leges. Leodii, postquam Patres SS. Redemptoris occupare coeperunt ecclesiam B. V. Mariae, concursus populi in vicino templo parochiali S. Bartholomaei, tam ad frequen-

tanda officia divina quam ad percipienda Sacramenta, adeo non est diminutus ut potius in dies augeatur, prout a testibus fide dignis accepimus. Testimonio item gravissimo nobis constat Gandavi parochialibus ecclesiis ex locatione subselliorum jam ab aliquot annis majores enatos esse proventus, quamvis per eosdem annos regularium ecclesiae plures pietati fidelium patere coeperint. Alosti quoque, ubi Patres Societatis Jesu collegium cum ecclesia publica occupant, id genus proventuum in ecclesia parochiali a decem annis insigniter crevisse ex authenticis numeris nobis constat; quos numeros ne huc in medium afferamus, dicere sufficiat inter summam quam subselliorum locatio ibi produxit anno 1836, et illam quam produxit anno 1845, intercedere differentiam amplius 1,400 francorum. Haec exempla ostendere videntur concursui populi ad ecclesias parochiales, adeoque proventibus qui hunc concursum comitari solent, non obesse viciniam ecclesiarum regularium.

20. Neque ratio suppetit ob quam suspicemur erectione hujusmodi ecclesiarum elanguisse religiosam erga fabricas ecclesiarum parochialium liberalitatem, quam fideles in constituendis piis fundationibus donandisque et legandis bonis sive mobilibus sive immobilibus exserunt. Habemus prae manibus tabulam qua potuit accuratione confectam, qua, distinctis singillatim annis et provinciis, recensentur numeri pecuniarum ecclesiis, episcopatibus, seminariis et coetibus religiosis, civili potestate cognoscente et annuente, datarum et legataram ab anno 1831 ad 1844. Ne extraneis haec legentibus error suboriatur, praenotemus per coetus illos religiosos non intelligi coenobia quorumcumque regularium, sed aliquot tantum societates monialium aliarumve religiosarum feminarum, educandis puellis vel aegrotis miserisque sublevandis operam dantium, quae legalem, ut dicimus, exsistentiam a gubernio acceperunt, qualis caeteris regularibus concedi in hac patria nequit. Porro, redactis in unum omnibus numeris praedictis, exsurgit summa 7,316,477 francorum. Ex ea quantum in specie ecclesiarum fabricis cesserit, non novimus definire : habemus tamen unde proportio quaedam confici posse videatur. Nempe ex documento anno 1841 edito (1) constat fa-

(1) Résume des rapports sur la situation administrative des provinces et des communes en Belgique.

bricis ecclesiarum ab anno 1830 ad finem usque anni 1839 attributos fuisse ea qua dictum est ratione 3,176,552 francos (1).

Ponamus decimam horum partem, seu francos 317,655, spectare ad annum 1830 : restabit pro novem annis sequentibus summa 2,858,907 francorum. Secundum tabulam vero nostram, facto computo pro annis iisdem, habemus numerum francorum 4,972,587. Hinc concluseris 2,113,680 francos partim episcopatibus et seminariis, partim coetibus religiosis cessisse, dum reliqui 2,858,907 jam dicti cedebant ecclesiis. Quod si quinque subsecutis annis, pro quibus in nostra tabula numeramus 2,343,890 francos, eadem proportio obtinuerit, adhuc acceperint ecclesiae francos 1,347,580; quorum ad superiores additio efficit summam amplius 4,206,480 francorum. Dehinc reperimus anno 1845 intra provinciam Leodiensem, quae alteram Leodiensis dioeceseos partem constituit et 404 ecclesias hodie numerat, donationes ac legata hujusmodi ascendisse ad 105,669 francos (2). Recensuimus autem hic eas pecunias solum de quibus potestas civilis ex officio cognovit; de aliis non inquisivimus.

21. Causatur quidem alio libelli sui loco (3) R. D. Professor « quod pii et ditiores parochiani, qui devotionis causa et saepe parochialis ecclesiae paupertate moti, quotannis aut data opportunitate munus quoddam pecuniae vel aliam donationem *inter vivos* aut *mortis causa* eidem afferunt, per erectionem ecclesiae regularium a frequentatione aedis parochialis non raro avocentur, et proinde munera, quae parochiali ecclesiae offerre consueverant vel constituerant, in regularium ecclesiae subsidium conferant; ut identidem, inquit, fieri certum est.... Atque haec iterum certa experientia nixi non leviter affirmamus et hanc in rem non solum parochorum qui ecclesiam regularium in suis parochiis jam habent erectam, sed et vicinorum, et, si fieri posset, ipsorum etiam hominum qui ex occasione erectionis ecclesiae regularium parochialem aedem dereliquerunt, testationem adeo fidenter invocamus, ut non vereamur ne quis sincere nobis contradicat. » Concluditque « ponderari etiam debere damnum quod hic significamus, et

(1) Kersten, Journal, tom. 8, pag. 88.

(2) Id. ibid. tom. 13, pag. 201.

(3) Pag. 72.

quod verisimiliter ecclesiae parochiali inferri potest, quia per erectas regularium ecclesias ut plurimum jam inferri consuevit; illudque praesertim ponderandum esse ob miserabilem statum in quo parochiales ecclesiae nostrae his temporibus versantur. »

At praefidentius quam verius haec ab eo edicuntur; neque ullatenus dubitamus sincere ac plane ei contradicere. Imprimis petimus ut lectores nostri in memoriam revocent ea quae antea diximus de vera significatione vocis *praejudicii,* ubi de erectione novae alicujus ecclesiae agatur, ac nominatim ea quae ex S. Bonaventura in hanc rem transcripsimus (1). Deinde quaerimus num is quoque fructus ponderari non debeat quem spiritale ministerium regularium producere solet : ut nempe multi parochiani, ad sanam frugem reducti, affici incipiant erga ecclesias, quarum limina antea vix aut ne vix quidem trivere; quo pacto pro uno alterove, qui forte ecclesiam regularium prae parochiali frequentare maluerit (quod caeterum absque hujus injuria ab eo fieri potest), plures vicissim alii ad eam redeant. Adhaec desideratur solida aliqua querelarum et affirmationum R. D. Professoris probatio; quam ille quidem nullam affert, contentus scilicet invocare suam ipsius experientiam, universitatem parochorum, quae nuspiam reperitur, ac testationem hominum a parochialibus ecclesiis per regulares avocatorum, quam tamen invocari non posse ipse confitetur hisce verbis : *si fieri posset.* Denique, quod in hac re praecipuum est, mox ad oculum ostensuri sumus per ultimos hosce annos, crescente licet domiciliorum ac templorum regularium numero, redditus ecclesiarum parochialium non solum gravem diminutionem non esse passos, sed continuum multis in locis, ubi ecclesiae regularium exstant, cepisse incrementum; atque ex hac experientia, quae vere certa est, concludere fas erit damnum quod R. D. Verhoeven praetexit, imaginarium esse.

22. Sed priusquam eo procedamus, adhuc notandum superest non numerari a R. D. Professore inter praecipuos redditum fontes jura funeralia, per quae pecuniae sane multae in aeraria ecclesiarum parochialium atque etiam parochorum influunt, ut apprime notum est clero et populo. Eo magis

(1) Supra, pag. 526 et seqq.

horum mentio facienda erat, quod hodie exsequiarum celebratio non aliis quam parochialibus ecclesiis in hac regione permissa est (1); ad quas proinde stata lege deveniunt pecuniarum summae ac cerei pondera pro variis exsequiarum classibus auctoritate Episcoporum taxata et statuta, item oblationes et eleemosynae quae occasione funerum inter Sacrorum celebrationem satis profuse nonnumquam fieri solent, aliaque emolumenta, quae cum a nemine ignorentur, a nobis enumerari non debent. Eccur igitur R. Dominus uberem hunc reddituum fontem omisit? Cur item omisit caeteros Napoleonis decreto supra allegato (2) indigitatos? Quibus addere potuisset restitutiones bonorum ecclesiasticorum a privatis hominibus factas, et eo quidem praecipue factas tempore quo fere aliae ecclesiae in hisce provinciis non erant quam parochiales; ita ut hisce injuriae aliis pridem ecclesiis illatae ex hoc capite profuerint.

23. Respondere modo aggredimur quarto huic R. D. Professoris asserto (3): « Et ne temere haec affirmavisse videamur (nam in re tanti momenti summa prudentia opus est), lectorem rogamus ut consulat statum activum et passivum, quem vocant, parochialium ecclesiarum, praesertim datorum et acceptorum rationem, quam parochus quilibet singulis annis Ordinario suo reddere debet. Inde haec omnia explorata habebit. »

Belle habet quod scriptor lectorem suum roget ut consulat statum activum et passivum parochialium ecclesiarum, quasi vero is status ad valvas templorum aut in foris compitisque esset appensus, ubi explorare eum possit qui voluerit, aut palatia episcoporum cuivis chartas ibi repositas inspicere cupienti paterent. Quare, si id quidem tam facile factu erat, R. D. Verhoeven nullas datorum et acceptorum rationes a parochis redditas in medium protulit? Eo quidem magis id praestare debuisset, quod externa ecclesiarum parochialium intra civitates et oppida consistentium species, in omnium oculis posita, prae se ferre videatur argumenta luce clariora prosperantis in dies earum fortunae : unde bene intelligi

(1) Recueil de Mandements, etc. de M. Fallot de Beaumont, tom. 1, pag. 248.

(2) Supra, pag. 571.

(3) Pag. 65.

nequit qui sub tanto splendore exteriori tanta lateat interior indigentia. Idem de quamplurimis ruralibus ecclesiis non immerito dixeris; quamquam de his disputationem cum adversario nostro instituere nolumus : quippe quem fugere non arbitramur monasteria pleraque, maxime Ordinum Mendicantium, constitui intra civitates et oppida, ubi frequens est populus; eo quod, cum victum sibi ex toto vel ex parte comparare debeant per eleemosynas, ruri subsistere vix possent. Quae sunt proin ruri coenobia, alia ad utilitatem parochiae pro cura puerorum, pauperum aut infirmorum constituta sunt, quales sunt verbi causa communitates in quibus ternae quaternaeve moniales aut virgines monialium more viventes degunt (cujusmodi plurima sunt in his provinciis domicilia plerumque ab ipsis erecta parochis); alia suis se sustentant redditibus, quorum pars saltem aliqua in sinum pauperum ruricolarum defluit, dum ipsi regulares sacerdotes celebrandis divinis Mysteriis, verbo Dei praedicando et Confessionibus excipiendis sublevant labórem cleri parochialis. Utcumque igitur miserae forent ecclesiae parochiarum ruralium, non esset tamen iis magnopere timendum, ne aedificatione ecclesiarum regularium evaderent miseriores; atque adeo si de hisce parochiis asserta sua intelligi voluisset R. D. Verhoeven, vana esset ejus causatio. Quocirca, cum credi nequeat eum data opera aerem verberasse, de oppidanis ecclesiis locutus fuisse vel saltem eas non exclusisse existimandus est : nobis autem, propter jam assignatas rationes, de hisce solis, uti diximus, inquirere suffecerit.

Habemus prae manibus notas aliquot arithmeticas, easque ex authenticis documentis extractas; habemus et alias notitias, a testibus fide dignissimis acceptas, non tanta quidem copia quanta ad rem plane elucidandam requireretur, at satis multas ut ex iis merito inferamus accrescere quotannis censum et redditus ecclesiarum parochialium in praecipuis quibusque regni nostri locis, easque proin nihil periclitari si in his locis unum alterumve aut etiam tertium vel quartum erigatur monasterium. Quae in contrarium afferre poterit R. D. Professor documenta, optamus ut haec sua vice exhibeat.

24. Si qua esset in Belgio civitas ubi parochialibus ecclesiis periculum obvenisset ex regularium vicinitate, esset profecto Gandavum, ubi praeter PP. Augustinianos, succursalem ec-

clesiam S. Stephani obtinentes, PP. Praedicatores, Minores strictioris observantiae et Carmelitae Excalceati singulas habent ecclesias conventuales, et PP. Societatis Jesu ecclesiam satis magnam B. V. Mariae, vulgo de Oost-Eecloo dictam, ac minorem apud collegium suum S. Barbarae : accedunt coenobia monialium Clarissarum et Teresianarum, necnon alia pia virorum ac mulierum instituta intra eam civitatem non sane pauca, quae fidelium eleemosynis et ipsa opus habent. Inter omnes autem parochiales ecclesias Gandavi nullam reperire est cujus pejor esset conditio quam ecclesiae S. Michaelis, si vera forent pronuntiata R. D. Verhoeven. Etenim absis illius ad marginem Lysiae fluvii sita est, unde pars vicinorum ad eam accedere non possunt nisi trajecto ponte, quod multi brumali tempore, de valetudine sua solliciti, fugiunt; sed, quod amplius est, cingitur tribus regularium ecclesiis non angustis, nempe PP. Praedicatorum, Minorum et Societatis Jesu, ad quas magnus est populi concursus, et quarum quae remotissima est, ecclesia FF. Minorum, vix quadringentis metris a S. Michaelis distat. Certe in hanc aedem parochialem confluere videntur omnia quibus ejus ruina ex adversarii nostri placitis foret praecipitanda. Nihilominus ea nedum vel latum unguem declinavit a sua prosperitate, imo redditus suos intra tredecim annorum spatium, nimirum ab anno 1832 ad 1845, auxit 4,582 francis; atque interea (ne caetera decoramenta quae ei identidem accesserunt, commemoremus) pulpitum concionatorium erexit pretio francorum 66,000. Augmentum tantum reddituum, non integras reddituum summas (quas tamen, si opus fuerit, producere parati sumus), hic annotasse satis habemus. Idem facimus pro reliquis parochialibus ecclesiis civitatis ac dioeceseos Gandavensis intra quarum terminos exstant monasteria virorum vel feminarum Ordinum Mendicantium. Nempe per eosdem tredecim annos crevere redditus ecclesiae S. Martini Gandae 827 francis, S. Petri Gandae 1,280, SS. Salvatoris Gandae 8,612, Alosti 3,814, Gerardimonte 841, Teneramundae 2,212, S. Nicolai Wasiae 2,185, Truncinii (quae est parochia ruralis) 479. Summa ergo universa incrementorum pro novem illis ecclesiis constat 24,832 francis.

In Brugensi civitate refloruere, praeter aliquot monasteria virginum Mendicantium, conventus PP. Capuccinorum et

Carmelitarum Excalceatorum : adsunt ibidem PP. Societatis Jesu, qui tamen propriam ecclesiam non habent, sed ministerium sacrum exercent in aede S. Walburgae, olim ejusdem Societatis, hodie parochiali. Ibi iterum patescit non fuisse adventu regularium imminutas parochialium ecclesiarum fortunas. Etenim decennio quod ab anno 1833 ad 1843 effluxit, ecclesia SS. Salvatoris suos redditus adauxit 2,625 francis, S. Mariae 6,982, S. Walburgae 3,183, S. Jacobi 4,452, S. Aegidii 1,849, S. Annae 4,334, S. Mariae Magdalenae 647 : universim francis amplius 24,000.

25. Tornaci, quod 30,000 incolas numerat, decem sunt parochiae, totidem scilicet quot Gandavi, ubi plura quam centum millia sunt incolarum : hinc, quantum inaudivimus, minus florens est ecclesiarum status apud Tornacenos quam in reliquis civitatibus et oppidis, quin tamen illic aliquid desit decenti celebrationi officiorum; imo, ex relatione nobis facta, redditus annui pro tanto fabricarum numero tanti nihilominus sunt ut singulae quotannis quina aut sena francorum millia recipiant, atque adeo ex unius alteriusve novae ecclesiae accessione nihil ecclesiis jam exstantibus sit timendum. Duae etiam in ea civitate ecclesiae succursales S. Quintini et S. Jacobi satis subsidiorum invenere, ut haec suggestum concionatorium pretio 14,000 francorum construere, illa internam templi faciem instaurare potuerit. Magis prospera fortuna gaudent quatuor parochiales ecclesiae Montibus Hannoniae, quod oppidum non multo pauciores quam Tornacum incolas habet. Nempe, ut fert relatio exhibita magistratui Montensi mense Octobri 1845, tres ecclesiae S. Waldetrudis, S. Elisabeth et S. Nicolai in Havré divitiis vere abundant : quarta longe minus est locuples; et tamen haec, quod observatu dignum est, plus caeteris expendit aedificio suo decorando : unde datur intelligere, praeter notatos in dicta relatione redditus, alia insuper ei suppetisse subsidia, ut ferendis expensis par foret.

26. Pro civitate Namurco nemo fuit qui nobis subministrare potuerit documenta numeris arithmeticis roborata. Id tamen universim dicere possumus, ex multiplicatis ab anno 1830 in ea civitate domiciliis regularium nihil detrimenti accepisse ecclesias parochiales. Nimirum accessere illuc subinde collegium Societatis Jesu cum suo templo, Virgines Teresianae,

Fratres Scholarum Christianarum, Sorores Caritatis et Boni Pastoris. Interea temporis pretium locationis subselliorum in parochialibus ecclesiis accrevisse, jam antea diximus : quod utique indicio est concursum populi non esse imminutum. Caeteri redditus in eodem fere permanent statu ; cujus stagnationis causas plures assignant rerum gnari : imprimis absentiam ditiorum, qui hiemali tempore, quod Namurci olim transigere solebant, nunc aut ruri aut Bruxellis commorantur ; deinde erectionem duarum ecclesiarum succursalium prope civitatis moenia, quarum populus olim parochiis civitatis erat adscriptus ; tum raritatem fundationum anniversariorum pro defunctis, quarum loco malunt ibi plerumque divites plura Sacra absque cantu in defunctorum suorum suffragium celebranda indicere ; ad haec quaestorum exterorum numerum, illuc colligendae pecuniae gratia frequenter accedentium ; denique, ut caetera omittamus, ipsum genium multorum incolarum, qui pravis lectionibus mentem induerunt a rebus ecclesiasticis alieniorem, nec sibi solis irreligiosi sunt, sed et alios qua consiliis qua scommatibus a benefaciendo ecclesiis cleroque avertunt : quibus machinationibus videtur effectum ut stipendia Missarum sint ibi modo minus frequentia, etsi clerus saecularis haud accrevit nec alii eo accessere presbyteri regulares quam Patres Societatis Jesu, quibus per Constitutiones suas fas non est ulla pro Missis stipendia accipere. Attamen habent templa Namurcensia quod ad divini cultus decentiam sufficiat : quin imo, si qua fiat in eorum redditibus mutatio, non decrementum est, sed augmentum ; vixque ulla inter eas est quae post annum 1830 vel restaurata vel interno externoque decoramento splendidior facta non fuerit. Novam ex integro faciem induere templa S. Joannis Baptistae et S. Nicolai ; templum B. V. Mariae solidatum, reparatum, nova sacristia instructum internoque auctum ornatu ; S. Lupi templo intro forisque reparando multis sumptibus allaboratum ; majoribus sumptibus parantur suggestus concionatorius, organum musicum aliaque quae aedem cathedralem adornent. Novimus etiam qui uni ecclesiae illius civitatis tanta jam dedit ac porro daturus est ut simul sint confectura summam centies mille francorum. Addimus clerum illius civitatis hactenus familiis religiosis amicissime fuisse usum : ut adeo ne per assiduam quidem multorum annorum cum iis consuetudinem incom-

moda illa perspexisse videatur quae R. D. Verhoeven, minus profecto in re parochiali versatus, clero saeculari ex regularium vicinia passim oboriri autumat.

27. Et vero si haec tam facile suborirentur, quid tandem de ecclesia parochiali Trudonopolitana factum fuisset? Explicet R. D. Professor qui fieri potuerit ut jam dudum de ea non fuerit conclamatum. Est Trudonopolis oppidum dioeceseos Leodiensis, ubi anno proxime elapso numerati fuere 11,000 incolae : exstat ibi coenobium PP. Congregationis SS. Redemptoris, eodem anno quadraginta numerans capita, et conventus FF. Minorum strictioris observantiae, strictissimaeque adeo mendicitatis, quinquaginta septem constans conventualibus. En in parvo oppido 97 regulares ; e quibus sedecim ministerio sacro addicti. Atqui redditus ecclesiae parochialis bis mille francis adaucti sunt, nec quis conqueritur populi ad eam concursum minutum esse.

Civitas Leodiensis cum pro 75,000 incolis parochias habeat omnino octodecim, quo numero alia Belgii loca populosiora longe superat, nihilominus ejus ecclesiae decore ac splendore nullis aliis sunt secundae ; tantosque habent reditus ut, si aequalis inter eas fieret partitio, cujusque pars octo vel decem circiter francorum millibus constitura aestimetur. Caeterum quam abunde non decentiae tantum, verum etiam magnificentiae cultus ecclesiastici in parochiis Leodiensibus provisum sit, palam factum est uno abhinc anno, quando insigni solemnitate sextus annus saecularis instituti festi Corporis Christi ibi fuit actus, ut toti Belgio totique pene orbi notum est.

28. Pro primaria regni urbe Bruxellis non licuit nobis omnium ecclesiarum redditus investigari, quia tabularium civicum, alio transferendum, sus deque versum erat. Pauca tamen carptim exscribere potuimus, quae sufficiunt ad monstrandam accrescentem earum prosperitatem. En tabulam, qua, designatis ecclesiarum nominibus temporumque intervallis, perhibemus reddituum augmentum, per francos numeratum.

ECCLESIAE.	INTERVALLUM ANNORUM.	AUGMENTUM REDDITUUM.
SS. Joannis et Stephani.	1833-1844	1,698
S. Mariae de Victoria.	1825-1844	7,193
S. Mariae de Capella.	1826-1841	4,642
S. Jacobi.	1829-1840	4,770
S. Catharinae.	1830-1842	3,703

Porro, cum has, tum alias Bruxellenses ecclesias in dies ditescere varia pretiosaque supellectile, res est perquam notoria. Earum reparationi, imo et decorationi, quantum operae ac pecuniae datum jam fuerit, quis nescit? Prae caeteris omnium Bruxellas adventantium oculos ferit basilica SS. Michaelis et Gudulae, quae exterius sumptibus publicis instauratur, interius decoratur fenestris pictis aliisque ornamentis magnificis; et redditus annuos ei esse novimus qui splendori ejus plane respondeant. Dein spectandam sese offert aedes B. V. Mariae de Capella, quae ab anno 1830 non desiit eximia sibi comparare ornamenta et sacra utensilia : ut nonnemo existimet per ultimos hosce septemdecim annos a fabrica illius ecclesiae expensa in eum finem fuisse trecenta propemodum francorum millia ; quod utique non est indigentiae argumentum. Quas ante paucos annos populi liberalitate acquisivit coronas statuae B. V. Mariae adornandae, alteram ex auro solido multis lapidibus ac margaritis respersam, alteram minorem ex argento deaurato, dicuntur venire pretio 35,000 francorum : feruntur item 30 aut 40 francorum millibus constitisse magnae tabulae pictae, exhibentes Viam Crucis, quae ei nuper accesserunt. Hanc autem aliae fabricae Bruxellenses, si sumptuum magnitudine non aequent, quam feliciter tamen suo modo aemulentur, nemo non videt.

Citari juxta possunt Antverpienses fabricae, de quibus nihil quidem ad notas arithmeticas exactum accepimus, sed neque admodum curandum existimavimus; cum constet quam magnifice et constructa et adornata sint illius civitatis templa, imprimis illud B. V. Mariae, quod olim cathedrale fuit, ubi nunc mira arte eriguntur subsellia chori, vel 320,000 francorum pretio constitura : quandoquidem pro quarta eorum parte, quae modo parochi et aedituorum zelo perfecta est, solvendi fuisse feruntur 80,000 franci.

Ac hisce quidem finem imponere cogimur susceptae recensioni, quoniam plura nobis documenta non suppetunt. Nec credat quis nos consulto selegisse quaedam, alia omisisse, ut quaesitis figmentis nativum veritatis colorem adulteraremus : etenim quae potuimus colligere, omnia edidimus. Si minus prospera de aliis ecclesiis parochialibus resciat R. D. Verhoeven, vehementer desideramus (prout jam diximus) ut ea in nostram adducere notitiam ne gravetur. Sed simul petimus ut candide quoque florentiorum ecclesiarum conditionem patefaciat : quo tandem sincera lux veritatis *in re tanti momenti,* in qua, ipso fatente (1), *summa prudentia opus est,* ne scilicet sacra utriusvis cleri jura praeter fas pedibus conculcentur, omnium pateat oculis. Quippe, si nulla ecclesia in praejudicium est alterius constituenda, vicissim ecclesiae alicujus aedificatio, quae cedat in majus Dei obsequium spiritalemque hominum utilitatem, nec alteri verum praejudicium inferat, non est temere impedienda.

(1) Pag. 65.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

DE PRISTINA ET HODIERNA PAROCHORUM IN BELGIO SORTE.

1. *Objicit sibi R. D. Verhoeven, quod tamen serio facere non potest, pensionem civilem parochorum.*

2. *Respondet* 1° *hanc pensionem iis non sufficere. Sed silet interim de juribus stolae.*
3. *Jura stolae quanta essent olim Mechliniae, Antverpiae et Bruxellis.*
4. *Item in comitatu Namurcensi et in Flandria.*
5. *Eadem jura quanta sint hodie.*
6. *Haec jura pensioni civili conjuncta sufficientem plerumque efficiunt parochorum portionem.*
7. *Respondet* 2° *parochum esse patrem pauperum. Quanti haec responsio valeat.*
8. *Respondet* 3° *distributiones eleemosynarum Mensarum S. Spiritus olim prae caeteris ad parochos pertinuisse.*
9. *Non probatur id ex Synodis quas allegat.*
10. *Neque probatur ex Espenio, cujus verba immutavit.*
11. *Quid juris parochis olim competeret circa Mensas pauperum.*
12. *Distributio eleemosynarum primario fiebat a laicis Mensarum S. Spiritus magistris.*
13. *Parochorum in hac re conditio non tantum hodie est immutata quantum R. D. Verhoeven contendit.*

1. Objectionem bipartitam sibi facit R. D. Professor : « Etsi, inquiens (1), haec clara sint atque perspicua, in mentem tamen alicui venire posset nos plus aequo miserabilem statum ecclesiarum parochialium exaggeravisse, quandoquidem magistratus civilis, in compensationem bonorum quae ecclesiis et parochis praeripuit, non tantum annuam pensionem constituit ecclesiae ministris, verum etiam expresse cavit ut, si constet redditus parochialis ecclesiae minores esse quam ut divinus cultus, ut par est, perfici possit, ex aerario publico civitatis vel pagi in quo sita est parochialis ecclesia, quod deest, suppleatur. »

Nisi iis quae antea diximus, res satis in aperto positae essent, hic denuo castigandus foret modus quo loquitur scriptor. Ostendimus enim multo plura quam quae duobus capitibus hic ab eo assignatis continentur, a magistratu praestita fuisse et praestari. Unde neque animus nobis est ea ad trutinam revocare argumenta quibus posteriori objectionis suae parti

(1) Pag. 66.

respondere conatur (1); quippe cum et suspicionibus tantum, iisque non sat aequis, constent, et factis fere quotidianis refutentur. Quod autem ad priorem objectionis partem pertinet, vix credibile est R. D. Professorem serio agere, dum sibi a quoquam objectum iri fingit annuam pensionem ecclesiae ministris lege civili constitutam. Nam quis est in publicis regni negotiis aliquantisper versatus, qui ignoret pensionem hanc totam ipsis personis relinqui nec umquam computari inter fabricarum redditus? Hinc, etsi parochus aliusve minister foret ditissimus, modo ipsa fabrica indigentior sit quam ut ecclesiae reparationi cultusque divini decentiae aliisque necessitatibus prospicere queat, supplementum ex aerario civili suppeditandum est, non ex privatis virorum ecclesiasticorum loculis. Quocirca, dum R. D. Professor suis argumentis evicisse se putat (2), « si parochus ex pensione a magistratu civili obtenta vel ex aliis etiam emolumentis accidentalibus, quae vi muneris sui acquirit, aliquid habeat honestae suae sustentationi superflui, aequum non esse ut pauca haec residua, esurientibus suis filiis neglectis, in reparationem ecclesiae suae vel aliter in divinum cultum impendat; » dumque adjungit : « Haec etiam Ecclesiae mens esse videtur, quum nusquam sacris canonibus cautum esse reperiatur ut parochus in ejusmodi rerum adjunctis, quae sibi superflua sunt, ad ecclesiam suam sartam tectam servandam aut ad alia divino cultui necessaria procuranda ferre debeat; » atque ex his concludit : « Pensio igitur quam magistratus civilis parochis decrevit, non efficit quominus miserabilis esse pergat parochialium ecclesiarum status : » ad hanc totam verborum seriem reponere sufficit neque a magistratu exigi ut parochus esurientes suos filios negligat, neque leges civiles quidquam in hac re sancivisse quod Ecclesiae menti ab adversario nostro commendatae repugnet; quandoquidem miserabili ecclesiarum parochialium statui levando aliunde quam ex parochorum pecuniis subsidia deputant. Potuisset igitur R. D. Verhoeven inanem hanc objectionem seponere, utpote seria refutatione indignam.

2. Sed quoniam illi aliter visum fuit, age perpendamus rationes quibus eam conatur elidere. « Verumtamen, inquit (3),

(1) Pag. 69 et seqq.
(2) Pag. 68.
(3) Pag. 67.

quod imprimis annuam pensionem attinet, quam magistratus civilis parochis addixit, peto an haec tanta sit ut, si ex ea honestae suae sustentationi provideant, superflua habere possint, quae in ecclesiae reparationem aliaque ad divinum cultum necessaria impendant? Id nemo quidem affirmaverit. »

Sermocinatur hic de pensione annua solitarie spectata, quae reapse non tanta est ut, dum eam ad sui sustentationem adhibeat parochus, multum inde maneat residui; praesertim si spectentur rectores succursalium ecclesiarum, quibuscum non tam laute agitur quam cum parochis perpetuis (1). Verum prae oculis habendum est non solis pensionibus, ab auctoritate civili praestitis, victum comparari ministris ecclesiae, sed etiam, ut annotat R. D. Verhoeven ipsemet (2), aliis emolumentis quae vi muneris sui acquirunt : quae licet *accidentalia* sive *casualia* nuncupentur, non sunt tamen ejusmodi ut non possint aliqua ratione pro sat *fixis* et *determinatis* haberi; prout habita fuere olim a Synodis provincialibus in Belgio celebratis, dum ea in congruam parochorum portionem, instituto probabili calculo, imputari volebant (3). Talia autem sunt quae communi vocabulo *jura stolae* appellantur; ex quibus satis largos proventus hodie parochis caeteroque clero saeculari oriri, nec passim minus abundantes quam anteactis temporibus, patet ex taxarum inspectione.

3. In taxa anno 1668 praestituta ecclesiis metropolitanae et parochialibus civitatis Mechliniensis (4) haec leguntur pro exsequiis primi ordinis : « Parocho pro omnibus juribus solvendi 9 floreni; vicario pro Vigiliis, Missa et connexis unus florenus cum 16 solidis; cuique capellano... pro praedictis officiis unus florenus cum 6 solidis; » et pro sepultura : « Parocho florenus, vicario 12 solidi, capellano cuique 8 solidi. » Pro exsequiis secundi ordinis : « Parocho solvantur pro juribus omnibus 5 floreni; vicario pro juribus omnibus florenus unus;... cuique capellano 12 solidi; » et pro sepultura : « Parocho 16 solidi, vicario 10, cuique capellano 8. » Pro exsequiis tertii ordinis : « Parocho pro omnibus juribus 3 floreni et 4 solidi, vicario 16 solidi, cuique capellano 12; » et pro

(1) Vide supra, pag. 566.
(2) Pag. 68.
(3) Vide supra, pag. 555.
(4) Placcaerten van Brabant, tom. 4, pag. 224 et seqq. Cfr. tom. 3, pag. 119.

sepultura : « Parocho 12 solidi, vicario 8, capellano cuique 6. » Pro exsequiis quarti ordinis : « Parocho sesquiflorenus, vicario semiflorenus, cuique capellano 6 solidi ; » et pro sepultura : « Parocho 12 solidi, vicario 6, cuique capellano 5. » Pro exsequiis ultimi ordinis : « Parocho 9 solidi, vicario, annumerato Missae stipendio, 12 solidi. »

Jura funerum pro civitate Antverpiensi taxata fuere anno 1685 edicto Caroli II Hispaniarum Regis (1). Decernit hoc edictum pro funere primi ordinis in ecclesia cathedrali florenos sex cum solido uno decano; sex solidos diacono et totidem subdiacono, qui insuper primam oblationem inter se dividebant, sed nihil ex caeteris oblationibus sibi vindicare poterant; vicario florenum et 4 solidos. Pro simili funere in aliis parochiis Antverpiensibus parocho addicebatur prima oblatio cum quatuor insuper florenis et 16 solidis; vicario ut in cathedrali; diacono 6 solidi et subdiacono totidem, quin his aliquid ex oblationibus exigere liceret. Inferiorum ordinum taxas brevitatis causa mittimus.

Pro ecclesia S. Catharinae Bruxellis Alphonsus de Berghes, Archiepiscopus Mechliniensis. anno 1688 taxam approbavit (2): secundum quam pro exsequiis primi ordinis parocho debebantur 3 floreni et 12 solidi, vicariis singulis 2 floreni, capellanis singulis sesquiflorenus, cuique Missam cum cantu celebranti 12 solidi, diacono 3 et subdiacono 3; pro exsequiis secundi ordinis parocho 2 floreni et 8 solidi, vicario sesquiflorenus, capellano florenus cum 4 solidis, celebranti Missam necnon diacono et subdiacono ut supra; pro tertii ordinis, parocho sesquiflorenus, vicario 18 solidi, capellano 12, celebranti Missam 10, diacono 3, subdiacono 3; pro quarti ordinis, parocho 8 solidi, vicario 7, capellano 5, celebranti Missam 10, diacono 2 (non assistente subdiacono); pro quintae classis, parocho 7 solidi, vicario 5, capellano 4, Missam celebranti et simul *Miserere* ad sepulcrum recitanti 10. Pro Vigiliis vero defunctorum cantandis stipendium parochi constabat 12 solidis, vicarii cujusque 9, capellani 7.

Neque taxa anno 1699 regia auctoritate confirmata pro collegiali ecclesia SS. Michaelis et Gudulae Bruxellis (3) mul-

(1) Ibid. tom. 5, pag. 40 et seqq.
(2) Ibid. pag. 53 et seqq.
(3) Ibid. pag. 62 et seqq.

tum ab aliis jam citatis circa stipendia ministrorum discrepat. Nimirum pro exsequiis quae collegiales dicebantur, in ea assignantur duodecim solidi pro distributione, tam decano et cuique canonico primae fundationis, quam plebano, scholastico, cuique canonico secundae fundationis et caeremoniarum magistro; capellanis vero singulis ac cantoribus sex solidi; tum plebano tres floreni cum dimidio; vicariis et assistentibus simul 24 solidi; toti capitulo ex oblatione 12 floreni ad summum; diacono et subdiacono simul 10 solidi. In exsequiis vero non collegialibus adhuc minora erant tam plebani quam caeterorum ministrorum stipendia, a quibus recensendis abstinere jam possumus.

4. Ad calcem Decretorum et statutorum Synodi dioecesanae Namurci anno 1659 celebratae exstat taxa jurium funeralium civitatis et comitatus Namurcensis; e qua sequentia describere visum est (1) : « Archipresbyter civitatensis celebrat ordinarie Missam defunctorum nobilium et eorum quorum feretris e domo mortuaria arma (vulgo blason) ad ecclesiam praeferuntur et in ecclesia proponuntur, et habet pro juribus suis octo florenos; duo ejus assistentes singuli sexdecim stuferos. Pastor loci pro Vigiliis et conductu sine Missa septem florenos cum medio, e quibus ipse sibi retinebit quinque florenos, diaconus et subdiaconus singuli quindecim stuferos, et matricularius viginti. Choristae cappis induti singuli decem stuferos... In exsequiis ditiorum seu honoratiorum, si intra chori cancellos sepeliantur, habebit pastor sex florenos, diaconus et subdiaconus singuli sexdecim stuferos, matricularius triginta duos. » Sequuntur dein minora adhuc stipendia pro inferiorum ordinum exsequiis.

Citabimus et haec ex taxa Rothnacensi in Flandria anno 1727 (2) : « Parochus pro exsequiis in quibus canitur pridie et mane Officium defunctorum, id est, Vesperae, Matutinum novem lectionum et Laudes, duplicatis antiphonis, tres Commendationes, Missa solemnis, etc. proque ducendo funere processionaliter et cum pluvialibus e domo defuncti intra oppidum vel in contiguo agro sita, florenos decem percipiet.... Vicarius

(1) Hartzheim et Neissen, Concil. Germ. tom. 9, pag. 871.

(2) Zesden Placcaertboek van Vlaenderen, part. 1, pag. 16 et seqq.

et capellani assistant ut diaconi et subdiaconi; qui pro funeris deductione, cantu Officii, ministerio intra Missam exsequialem, sepulturam, etc. accipient quisque sesquiflorenum... Pro exsequiis cum novem Lectionibus, Laudibus, tribus Commendationibus et Missa tantum... proque deductione funeris... accipiet parochus 7 florenos,... diaconus unum et subdiaconus unum... Pro exsequiis cum sex lectionibus, Laudibus, Missa et duabus Commendationibus, proque deducendo funere,... parochus accipiet 5 florenos;... nec assumetur pro ministerio nisi diaconus, qui pro stipendio habebit 15 solidos... Pro exsequiis cum tribus Lectionibus, Laudibus, Missa et una Commendatione, proque funeris deductione, parochus accipiet tres florenos.»

In Franconatu Brugensi, secundum ordinationem ab Episcopo et magistratu communi consilio factam anno 1725 (1), parochus percipiebat pro solemnissimis exsequiis 11 florenos, pro minus solemnibus 8, pro inferioribus summum 4; vicarius, si quis adesset, portionem duabus tertiis partibus minorem.

Si visum nobis fuisset operae pretium futurum, plures alias jurium funeralium taxas oculis lectorum nostrorum facili negotio subjicere potuissemus, quas hinc inde, documenta praeteritorum temporum lustrantes, offendimus. Sed veriti fuimus ne nimis longa rerum similium recensione taedium afferremus, et satis habuimus taxas aliquas tantum, ad varias Belgii provincias spectantes, seligere; quae tamen sufficiunt ut generale aliquod judicium efformari queat de accidentariis emolumentis temporalibus ministerio parochiali olim in regione hac annexis.

5. Undę valor pecuniae praeteritorum illorum temporum colligi possit, ut cum hodierno ejus valori comparetur, jam ante indigitavimus (2). Nunc quae hoc tempore, ex taxa Illustrissimi Joannis Armandi de Roquelaure (3), clero Mechliniensi, Bruxellensi, Antverpiensi et Lovaniensi occasione funerum solvenda sint, e sequenti tabula accipe, numeris francos designantibus.

(1) Nieuwen almanach voor het jaer 1782, Gend, pag. 179 et seqq.
(2) Supra, pag. 555.
(3) Collect. Epist. pastor., etc. archidiocc. Mechlin. tom. 1, pag. 108 et seqq.

PRO EXSEQUIIS.	1ae cl.	2ae cl.	3ae cl.	4ae cl.	5ae cl.
Parocho vel deservitori.	24	21	18	10	2
Duobus vicariis simul.	12	10	6	4	1
Cuique de choro.	2	1,50	1	1	0,50
Presbytero sacristae.	3	2	1,50	1	0,60
Pro Missa.	8	5	4	3	1
Diacono et subdiacono.	4	2	2		
Duobus choristis simul.	4				
PRO SEPULTURA VESPERTINA.					
Parocho vel deservitori.	4	3	2,50	1,25	0,83
Duobus vicariis simul.	2	1,50	1,50	0,75	0,50
Cuique de choro.	1	0,75	0,33		
Presbytero sacristae.	1	0,90	1	0,50	0,33
Diacono et subdiacono.	2	1,50			
Duobus choristis simul.	2	1,50			
PRO OFFICIO DEFUNCTORUM.					
Parocho vel deservitori.	4	2	1		
Duobus choristis simul.	8	4	2		
Cuique de choro.	2	1	0,50		

Secunda taxa, ab eodem Archiepiscopo praescripta pro oppidis aliis ac municipiis plures quam 5,000 incolas capientibus, parocho vel deservitori pro varia exsequiarum solemnitate assignat 24, 18, 8, 6 vel 3 francos; pro Missa trium priorum classium 6, 4 vel 3, vicariis qui diaconum et subdiaconum agunt, simul percipientibus 8, 6 vel 3 francos; in quarta classe pro Missa 3 francos, vicario 2; in quinta pro Missa unum, vicario unum; pro Officio defunctorum in tribus prioribus classibus parocho francos 4, 3 vel 1. Clericorum quoque chorum componentium portiones sunt satis notabiles. Demum ex tertia taxa, pro locis minoribus statuta, ubi quatuor distinguuntur classes, notare sufficiat parochi vel deservitoris portionem constare 24, 18, 10 vel 3 francis, et pro Missa solvenda esse eadem quae in taxa superiori, aliquanto vero minus pro Officio defunctorum.

6. Porro stipendiis ita lege fixa determinatis adjungendae sunt oblationes, quarum saltem pars parochis addicitur, et quae in solemnioribus praesertim funeribus satis largae esse solent. Dein consideranda illa quae occasione Baptismorum et Matrimoniorum, et non uno in loco etiam sub impletione praecepti paschalis, a fidelibus clero persolvuntur. Ad haec stipendia Missarum, maxime earum quae cum cantu celebrantur, ut vix non quotidie multis in locis fieri solet, aliaque id genus passim nota. Nisi autem fallamur, Gandensis Brugensisque dioeceseon taxae ab illis archidioeceseos Mechliniensis non sunt multum absimiles. Eas quae ad caeteras dioeceses pertinent, prae manibus non habemus. Illud novimus, Illustrissimum Joannem Arnoldum Barrett anno 1835 taxas Namurcenses ita immutavisse ut stipendia parochorum aliquantum minuerentur, auctis contra fabricarum proventibus. Nihilominus ab idoneo accepimus teste singulis rectoribus succursalium ecclesiarum civitatis Namurcensis ex juribus stolae quotannis non minus provenire quam 1,200 francos, quin etiam esse qui vel 2,000 francos inde percipiant : qui proventus si annuae pensioni a gubernio civili assignatae addantur, exsurgunt franci minimum 1,987, vel etiam 2,500 aut plures. Hinc quae sit cleri sors in aliis populosis patriae locis, facile datur conjicere; patetque R. D. Verhoeven, dum civilem cleri pensionem in contemptum adducit, nihil aliud quam errorem ingerere lectoribus.

7. « Sed, pergit (1), praeterea (et hoc sedulo observari debet) parochus est pater pauperum; ipsum prae caeteris eleemosynae quaeritandae gratia conveniunt pauperes et manifesti et non manifesti ac verecundi, qui plerique nemini nisi soli parocho egestatem suam patefacere audent. Quotiesne, dum Sacramenta, *exeuntium* praesertim, administrat, infirmorum egentium inopiam beneficio levare debet? Nonne crebro accidit ut corporali pauperum indigentiae succurrendo viam sibi sternere debeat qua spiritualibus eorum necessitatibus subvenire possit? »

Sunto haec omnia vera : quid inde? Nempe, uti diximus, privatae parochi fortunae ab ecclesiae ejus opulentia vel indigentia non pendent; sed sive diviti ecclesiae praesit sive inopi, aeque ei licet paterna erga pauperes viscera pandere. Attulit autem haec R. D. Verhoeven ut probaret miserabilem statum ecclesiarum parochialium a se haud fuisse exaggeratum : quod qua dialecticae lege inde sequatur, non percipimus. Verum et illud advertamus, non solum parochum esse patrem pauperum, neque eum solum esse quem praecipue conveniant pauperes manifesti et non manifesti, sed id cum eo commune esse aliis de clero viris, maxime iis qui Confessiones fidelium excipiunt, etiam regularibus, quos plerumque pauperes verecundi aeque bene ac parochos de indigentia sua certiores facere audent. Itaque, dum ratiocinia R. D. Professoris nihil afferunt ad solvendam quam sibi proposuit objectionem, aliunde verendum est ne ea pauperum commodis adversa esse videantur. Si namque ex iis consequens sit non esse permittendum ut intra fines parochiae ecclesia regularium aedificetur, simul impedietur quominus numerus patrum pauperum accrescat; et onus totum incumbere perget clero parochiali, quod secus regularium accessione aliquantum levatum fuisset. Praeterea, licet R. D. Verhoeven paulo post (2) ita loquatur ac si parochi sua tantum superflua haberent quae in pauperes erogent, nescire tamen non debebat, quoniam res notissima est, habere parochos et alias vias quibus succurrant indigentibus filiis : eleemosynas nimirum quarum dispensationem fideles ditiores vel sponte sua vel rogati iis concredunt, sive ad majorem quietem ac securitatem, sive ad amplius foenus spirituale. Haec autem

(1) Pag. 67. (2) Pag. 68.

omnia dum dicimus, non possumus quin pro merito dilaudemus cleri saecularis in Belgio caritatem, quae tanta est ut non sine ratione dici queat multos esse parochos aliosque presbyteros qui nimia erga pauperes munificentia peccare potius videantur, si peccatum hic subesse posset, quam nimia parcimonia. Unum carpimus R. D. Verhoeven, quod hac caritate cleri saecularis utendum sibi esse duxerit adversus clerum regularem, idque rationibus nulla ex parte probabilibus.

8. Post superius recitata ait ille (1): « Atque hac in re parochorum conditio recentioribus temporibus etiam multum est immutata.» Cujus immutationis causam ostensurus, mox profatur : « Nam ante perturbatam rempublicam Gallicanam in his regionibus ubique locorum erant *Mensae Spiritus Sancti*, quarum bona in subsidium pauperum impendebantur.» Non dubitamus quin R. D. Professor sciat has Mensas pauperum adhuc subsistere, passimque ditiores esse quam olim ; imo ipse mox loquitur de collegio regundis et distribuendis pauperum bonis constituto (2). Unde colligimus argumentorum illius vim non in jam dictis verbis, sed in sequentibus collocandam esse, quae ita sonant : « Distributio eleemosynarum, ex his bonis provenientium, prae caeteris ad parochum pertinebat, eaque ipsi primo loco deferebatur ; et, sicubi magistris sive administratoribus Mensae per consuetudinem haec distributio delata esset, cautum tamen eo in casu erat ut ipsi in hujusmodi distributione parochum saltem consulerent et audirent. » Et annotatum additur : « Cfr. *Statuta in Synodis Episcopatus Yprensis,* Synodus dioecesana sub Masio, an. 1609, tit. 20, cap. 16, edit. Antverpiae, 1673; item *Decreta et statuta omnium Synodorum dioecesanarum Namurcensium,* Synodus dioecesana sub Ferdinando Comite de Berlo de Brus, an. 1659, tit. 22, cap. 6, edit. Namurci, 1720. »

9. Quando haec scribebat R. D. Professor, oculos haud dubie conjiciebat in hunc locum Zegeri Bernardi Van Espen (3) : « Synodi nostrae passim sollicite inculcant « ut » eleemosynae Mensarum pauperum sine humano affectu et » acceptione personarum iis tantum distribuantur qui vere » pauperes sunt. » Ita Synodus Mechl. ann. 1609, *tit.* 21, *cap.* 11... Monet praeterea citata Synodus Mechliniensis, ut

(1) Pag. 67.
(2) Pag. 68.
(3) Jur. eccl. univ. part. 1, tit. 5, cap. 3, num. 2, 3 et 4, pag. 33.

in eleemosynarum distributione « non inopiae et egestatis » tantum, sed morum etiam ac vitae probitatis ratio habeatur...» Hinc facile patebit distributionem eleemosynarum prae caeteris convenire parochis, eisque primo loco deferendam, et, si consuetudo eam magistris detulerit, omnino convenire ut ipsi in eleemosynarum distributione parochum ad minus consulant et audiant. Hinc Synodus Yprensis sub Carolo Masio, an. 1609, *tit.* 20, *cap.* 16, ait : « Distributiones eleemosyna» rum liberae semper fiant conscio pastore; qui eas non ex » humano affectu aut cum acceptione personarum (inquit » capite sequenti), sed omnibus indifferenter vere pauperibus » et probis honestisque vel ipse distribuat vel distribui curet.» Similiter Synodus Namurcensis an. 1659, *tit.* 22, *cap.* 6 : « Eleemosynae Mensarum pauperum sine humano affectu et » acceptione personarum iis tantum distribuantur qui vere » pauperes sunt; et in iis nihilominus vitae ac morum pro» bitatis cujusque ratio habeatur, ad quem finem, ait, poterit » adesse pastor loci. » Addit et merito Synodus Buscoducensis, etc. » Sed jam satis ex Espenio habemus.

Liquidum est easdem Synodos ab utroque scriptore citari, hoc tantum discrimine quod Espenius accurate id facit, R. D. Verhoeven non accurate. Nam hic imprimis ex Synodo Yprensi, cum indicare oporteret *tit.* 20, *cap.* 16 *et* 17, omisit *cap.* 17, quod ab Espenio allegatur hisce verbis : « inquit capite sequenti. » Dein Synodum Namurcensem anno 1659 celebratam sub Joanne a Wachtendonck, repraesentat tamquam habitam a Ferdinando de Berlo, qui anno primum 1696 designatus fuit Namurcensium Episcopus. Errandi ansam R. D. Professori dedit quod Ferdinandus hic anno 1720 Decreta et statuta Synodorum a decessoribus suis celebratarum novis typis unum in volumen congerenda curavit, cui nomen suum praefixit; sed quisque intelligit propter hanc causam non magis Ferdinando de Berlo adscribendam esse Synodum anni 1659, quam Synodus Yprensis anni 1609 adscribenda sit Henrico van Halmale, quo pontificatum Ypris tenente, facta est anno 1673 Plantiniana Statutorum illius dioeceseos editio. Quod autem in nominando Episcopo Yprensi quam in Namurcensi felicior fuit R. D. Verhoeven, id forte debet Espenio monenti Synodum anni 1609 habitam fuisse *sub Carolo Masio.*

Liquet pariter assertum R. D. Professoris ex hisce Synodis non demonstrari. Vult Synodus Yprensis ut distributiones *liberae* eleemosynarum fiant *conscio pastore*, qui eas *vel* ipse distribuat *vel* distribui curet; secundum Namurcensem vero Synodum distributionibus *poterit adesse* pastor loci. Neutra ergo affirmat distributionem eleemosynarum prae caeteris ad parochum pertinuisse eique primo loco delatam fuisse; quamvis forsitan utraque optaverit (de quo hic quaerere nolumus) ut id fieret. At aliud est dicere quid factu foret optimum, aliud narrare quid factum fuerit.

10. Atque idem etiam discrimen intercedit Espeniana inter et Verhoeviana dicta. Nempe, ubi Espenius ex positis a se principiis concludit « distributionem eleemosynarum prae caeteris *convenire* parochis, eisque primo loco *deferendam*, et, si consuetudo eam magistris detulerit, omnino *convenire* ut ipsi in eleemosynarum distributione parochum ad minus consulant et audiant, » R. D. Verhoeven illico sibi persuadet votis Espenii ubique fuisse satisfactum, adeoque non dubitat phrasim ipsius ita immutare ut jam non optativum, sed assertorium habeat significatum. Sic *convenire parochis* fit *ad parochos pertinebat; deferendam* fit *deferebatur; convenire ut consulant et audiant* fit *cautum erat ut consulerent et audirent.* Et tamen Espenius ipsemet satis indicat se non historica narrare facta, sed magis consilia dare; dum caput hoc commentarii sui claudit in hunc modum (1) : « Haec aliaque saluberrima decreta, et conditioni horum bonorum et legibus justitiae distributivae plane conformia, si exacte servarentur, non tantum corporalibus, sed et spiritualibus necessitatibus pauperum quam optime provideretur. » Profecto dictio conditionalis : *Si exacte servarentur,* non aequivalet affirmanti : *Exacte servantur.*

11. Quod si R. D. Verhoeven documenta historica praeteritorum temporum, imo si vel Espenium curiosius inspexisset, facile comperisset multo minus circa eleemosynas distribuendas in hac regione potuisse parochos quam ille perhibet. Testatur Espenius (2) : « Moribus obtinuit ut... magistri Mensarum S. Spiritus eligantur *communes laici,* boni patresfamilias ex cujusque parochiae incolis,... nec ecclesiastici, imo nec laici

(1) Loc. cit. num. 5, pag. 34. (2) Loc. cit. cap. 1, num. 1, pag. 31.

nobiles aut officiales. » Electio plerumque fiebat interventu parochi, sed cum eo plures laici suffragii ferendi jus habebant; quin et subinde vel ex fundatione vel ex consuetudine hoc jus spectabat ad solos laicos : « Quae, ait Espenius (1), licet nonnihil dura videatur, utpote excludens parochum, cui primario cura ecclesiae et pauperum commendata censetur, tamen toleranda est. » Redditioni computorum a magistris faciendae intererat plerumque parochus, non tamen praecipua auctoritate : hanc enim, cum circa computos excipiendos, tum circa alia fere omnia ad pauperum res pertinentia, sibi vindicabant magistratus civiles, idque etiam post Concilii Tridentini publicationem; quoniam caverat potestas laica ne quidquam per Concilii decreta (2) immutaretur « circa superintendentiam et administrationem hospitalium aliorumque locorum piorum (3). » Erat ubi, praeter praesentiam audiendis computis, parochorum in hac re partes fere redactae erant ad merum hortandi, consulendi, monendi officium, quod ei commune erat cum caeteris confessariis, praedicatoribus, imo cum notariis aliisque notabilibus civibus (4). Alibi vero, et id quidem ruri praesertim, haec passim in parochi gratiam statuta erant : nimirum ut is ex clavibus gazophylacii pauperum unam custodiret, duabus aliis apud laicos depositis, utque sine ejus consensu nec reparationes aedificiorum nec bonorum elocationes nec pecuniarum assignationes aut distributiones fierent; qui tamen consensus tantummodo ad distributiones exiguas eleemosynarum et minores reparationes sufficiebat, dum ad majora negotia insuper requireretur consensus scabinorum et officialium civilium (5). At nullibi reperimus, quod affirmat R. D. Verhoeven, distributionem eleemosynarum primario pertinuisse ad parochos, et secundario tantum, ceu exceptione quadam, ad magistros pauperum. E contrario dicendum est, idque vel ab ipsa plebe illitterata in Belgio nostro adhuc hodie scitur, pauperum portiones vix aliis quam magistrorum laicorum manibus distribui consuevisse, quorum id erat proprium

(1) Ibid. num. 5.

(2) Sess. 22, cap. 8 et 9 de Reform.

(3) Cfr. De Ram, Synodic. Belgic. tom. 1, pag. 22 et 23.

(4) Cfr. Edictum Caroli V, Placc. van Brab. tom. 3, pag. 135 et seqq.

(5) Cfr. Placc. van Brab. tom. 5, pag. 76 et seqq.; Van Espen, op. cit. tom. 1. Monum. 2, pag. 897 et seqq.

officium, sub jurejurando ab iis susceptum ; et sicubi parocho aliqua pecuniarum Mensae S. Spiritus elargitio permissa erat, hoc potius factum fuisse per exceptionem. En specimen ex statutis auctoritate Senatus Brabantiae factis pro parochia de Sempts (1) : « Magister pauperum subinde aliquantum pecuniae committet manibus parochi, quando necesse fuerit, sed non alias, nec plus quotannis quam 25 florenos, quos parochus singulis annis distribuat pauperibus verecundis. »

12. Si autem historiographi insuper testimonium R. D. Professor desideret, audiat Joannem Carolum Diercxsens, ita exponentem qualiter ante annum 1458 Antverpiae provisum fuisset pauperibus (2) : « Praecedentibus temporibus in hac civitate providebatur pauperibus eo modo quo *hodie* illis provideri videmus *in plerisque Belgii civitatibus,* ita ut in singulis parochiis habeatur Mensa seu Camera Spiritus Sancti, cujus *directores eleemosynas colligunt, easque pro necessitate cujusque distribuunt.* » Haec ille testabatur anno 1773, quae aperte contradicunt R. D. Verhoeven asserenti plerosque parochos illius temporis fuisse principales earum eleemosynarum distributores. Plura habet idem auctor de re pauperum Antverpiensi, quae R. D. Professori meditanda proponere possimus.

Ad annum 1458 ait (3) : « Hoc tempore satius judicabatur collectionem eleemosynarum ab illis particularium Mensarum directoribus auferre, et eam per totam civitatem credere viris qui curam gererent communium pauperum totius civitatis ; et quidem talibus qui publico testimonio capaces et utiles judicarentur, et negotiis aliis nimium distracti non forent... Et haec origo est instituti ELEEMOSYNARIORUM, quod usque in hodiernum diem summo splendore perseverat, et hactenus unicum est in toto Belgio... Traditio constans habet primos eleemosynarios libere et ex pura pietate onus hoc suscepisse : certum interim est eos publicam hanc functionem non incepisse sine decreto Senatus... Deinceps autem, cum onus cresceret et sic voluntarii deficerent,... conditae sunt leges, per quas, quiscumque incola eligeretur, onus hoc acceptare teneretur. Eliguntur autem eleemosynarii ex nobilibus et mercatoribus ; et

(1) Placc. van Brab. tom. 5, pag. 83.

(2) Antverp. Christo nac. et cresc. tom. 2, pag. 336, edit. 1773.

(3) Ibid. pag. 336 et seqq.

hodie nullus ab illo onere exemptus est, cujuscumque conditionis aut status, nisi sit in actuali aut Regis aut Reipublicae servitio. Nullus interim cogitur onus hoc acceptare, nisi compleverit annum aetatis vigesimum quintum, et *junctus sit matrimonio* saltem per annum. Requiritur autem ut junctus sit matrimonio, *quia et uxores non modicas partes habent in hoc servitio :* ita quidem ut, si uxor tempore servitii moriatur, vir ipso facto liberetur, et alter eligatur, qui suppleat vices ejus. Quotannis eliguntur duo et servitium ipsorum durat per quinquennium, ita ut semper sint decem qui curam pauperum gerant. Primis tamen duobus annis proprie dicuntur *eleemosynarii,* et *penes illos quatuor est omnis administratio.* Tribus autem sequentibus annis adjutorio sunt quatuor servientibus eleemosynariis, et deputantur ad directionem fundationum et observandum regimen orphanotrophiorum et gerontocomiorum, dicunturque *de Camera Sancti Spiritus,* quam et constituunt. »

Deinde agit de eleemosynariorum electione; de juramento quod Senatui praestabant; de collectione eleemosynarum, quam faciebant diebus dominicis et festivis in omnibus ecclesiis civitatis per se et per quadraginta honestos cives, qui *minores eleemosynarii* dicebantur, ac diebus ferialibus in illis ecclesiis ubi erat Officium solemne aut concursus; de aliis adjutoribus ac famulis quibus utebantur. Ac post haec subjungit : « Habent insuper eleemosynarii capellam propriam in cathedrali ad latus turris meridionalis. Habent et *capellanum proprium,* de cujus manu in dicta capella ipsi cum praedictis suis famulis *recipiunt Communionem paschalem,* in quacumque parochia eos contingat habitare. » Ubinam in his omnibus locus parochorum? Nusquam prorsus. Nihilominus Diercxsens, qui et ipse parochus erat, haec laudat et commendat.

Interea idem annotat (1) Mensas S. Spiritus inferiorum parochiarum adhuc post annum 1458 perseverasse in suis quasque ecclesiis, et fundationes in illis factas mansisse sub cura particularium directorum. Sed narrat alibi (2) qui tandem decreto Senatus Antverpiensis, anno 1540 dato, eaedem Mensae « e subalternis parochiis translatae sint ad ecclesiam matricem et positae sub directione eleemosynariorum. » Demum haec de eleemosynarum distributione ex eo accipe (3) : « Licet

(1) Ibid. pag. 361.
(2) Tom. 4, pag. 82.
(3) Tom. 2, pag. 361.

autem hodie non habeatur Camera pauperum aut Mensa Spiritus S. nisi in sola ecclesia matrice, fundationes tamen factae in aliis parochiis in eis etiam hodie publice *distribuuntur per eleemosynarios ad id deputatos,* idque singulis diebus dominicis *ad horam nonam*, ut omnibus notum est. » Notetur, quaesumus, hora illa, qua negotiis longe sublimioribus vacandum erat parocho quam distributioni eleemosynarum.

13. His itaque quae diximus, potissimam vim suam amittunt amarae illae R. D. Professoris querelae (1) : « Si quis cum iis hodierna parochorum jura comparat, plane videt quantopere in parochorum detrimentum mutata sint : bona enim pauperum legibus mere civilibus hodie reguntur, et velut magna gratia est ac insignis favor, si quando parochus eligatur membrum collegii quod regundis et distribuendis pauperum bonis constitutum est. Tantum abest ut, sicut olim, ita hodie posset parochus pro cujusque necessitate et inopia ex bonis pauperum eleemosynas elargiri ! »

Nempe claudicat in utramque partem comparatio : tum quod praeterita tempora repraesentat plane aurea, tum quod saeculum praesens ferreum. Legibus mere civilibus reguntur hodie bona pauperum : at olim quibus tandem legibus regebantur? An ecclesiasticis? Imo summum allegaveris aliquot de his bonis fideliter dispensandis Synodorum provincialium ac dioecesanorum statuta, quae et modo a probo quovis pauperum magistro, ut olim, observari par est ; verum leges proprie dictae unde emanaverant? Velut magna hodie gratia est et insignis favor, si parochus associetur magistris pauperum ; at haec gratia, hic favor, ubi olim? Denique quod antiquitus parochi vere poterant (non quod eos potuisse narrat R. D. Verhoeven), id fere in toto Belgio hodierno, si modo prudentia utantur, adhuc possunt, ut quotidiana docet experientia. Quamquam haud diffitemur esse aliquot loca ubi in praesentia minus religiose res eleemosynaria agitur : sed talibus miseriis (quae et nos ex animo dolemus) quis anteriora saecula immunia fuisse dixerit? Et aequum non est propter paucorum hominum culpam universale crimen cunctis res pauperum in hoc regno administrantibus affingere Neque idoneum malo sanando remedium est arcere Belgio familias regulares, quarum opera eo spectat ut cives efficiat meliores et religiosiores.

(1) Pag. 68.

Quod postremo R. D. Verhoeven causatur timendum esse ne temporalis parochorum conditio per constitutionem pensionis non satis in tuto sit, eo quod fieri possit ut, perturbata republica aut magistratu civili malignante, pensio haec iis subtrahatur; reponimus similem timorem olim potuisse praetexi : imo nec tum parochorum res temporales magis in tuto fuisse, evidenter comprobat spoliatio bonorum ecclesiasticorum circa saeculi proxime elapsi finem in Gallia, Belgio et alibi facta. Caeterum, quorsum hoc argumentum scriptor attulerit, non intelligimus.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

DE SUPPLENDA IN BELGIO ECCLESIARUM ET PRESBYTERORUM PAROCHIALIUM PAUCITATE PER ERECTIONEM MONASTERIORUM.

1. *Non bene se excusat R. D. Verhoeven quod rei temporalis longe magis quam spiritalis rationem habuerit.*
2. *Immerito dubitat utrum ecclesia regularium utilis esse possit ubi jam satis exstat ecclesiarum saecularium.*
3. *Supponere videtur sufficientem esse clerum parochialem in Belgio.*
4. *Ea suppositio vehementer dissonat a mente Pii VI.*
5. *Numerosior passim in Belgio clerus desideratur.*
6. *Desideratur quoque major numerus ecclesiarum in civitatibus et oppidis frequentioribus.*
7. *Plures ecclesias praecipua quaedam Belgii loca commode ferre possent.*
8. *Ergo promovenda potius quam impedienda monasteriorum in Belgio multiplicatio.*
9. *Refellitur assertio adversarii, erectionem ecclesiae regularium vergere posse in spiritale fidelium detrimentum.*
10. *Ostenditur quam infortunatum sit remedium praetensis malis vitandis ab eo excogitatum.*
11. *Subjiciuntur demum animadversiones in alia quaedam ab eo asserta.*

1. Non sine ratione dicit R. D. Verhoeven (1) : « Iis quae hactenus diximus de gravi damno quod ecclesia parochialis et parochus capere possunt ex erectione ecclesiae regularium, aliquis forsitan opponere vellet nos in toto hoc negotio nihil aliud fere respicere quam damnum *temporale* unius alteriusve parochialis ecclesiae, et nullam nos habere rationem boni *spiritualis*, quod per erectionem ecclesiae regularium procuratur. » Ad solvendam autem seriam hanc difficultatem, quam sibi objectum iri merito praevidit, triplex affert responsum : videamus an solidum satis.

« Ad haec respondemus 1°, inquit, nos hac in re respexisse omne id quod respici voluere jus commune, Summi Pontifices, ecclesiastica dicasteria et juris interpretes ; et quamdiu S. Sedes non aliter constituerit, grave damnum temporale, ecclesiae parochiali per aedificationem ecclesiae regularium inferendum, sufficiens ratio erit prohibendi istius erectionem. »

Nos contra reponimus praeteriisse R. D. Professorem multa eorum quae in hac re respicienda erant ; idque ex antedictis satis constare arbitramur : quin et ipse hoc loco non obscure confitetur se non habuisse rationem justissimae illius erigendi templi causae quam Joseph de Bonis merito pronuntiat *semper praecipuam fuisse apud Sedem apostolicam* (2), ut scilicet augeatur divinus cultus et foveatur fidelium pietas. Demonstravimus quoque in praecipuis quibusque Belgii civitatibus et oppidis nihil esse quod timorem ne grave damnum temporale ecclesiis parochialibus per regulares inferatur, probabilem faciat. Quoniam vero hujuscemodi damni mentio iterum hic iterumque incidit, utamur hac occasione exemplo aliquo quo demonstretur R. D. Professorem nec integre nec nitide satis exposuisse juris principia. Fingamus Antverpiae, ubi 88,000 incolae in decem tantum sunt distributi parochias, duo nova aedificari templa, quibus insumenda sint 240 francorum millia, quot scilicet ab absolvendum exquisitum illud opus subselliorum in ecclesia B. V. Mariae adhuc requiruntur (3). Fingamus hanc pecuniae summam conflari eleemosynis oblationibusque fidelium quae secus ecclesiae B. V. Mariae factae fuissent ; atque hinc subsellia illa imperfecta pendere, etiam

(1) Pag. 73.
(2) Vide supra, pag. 526.
(3) Vide supra, pag. 583.

ad complures annos. R. D. Verhoeven, cui *praejudicium* sive *damnum* idem sonat ac *proventuum diminutio* (1), ecquid aget, si consilium ejus exquiratur? Num aedificationem duarum ecclesiarum, quae civitati illi populosae magnum proculdubio spiritale emolumentum afferrent, impediendam decernet obtentu gravis damni ecclesiae S. Mariae inferendi? At hoc ipso declarabit nullam amplius in quacumque civitate ecclesiam exstrui posse: quidquid enim pecuniarum ad eam requireretur, sibi repetere possent fabricae ecclesiarum jam exstantium, ut et ipsae nova ornamenta, etsi non necessaria, veteribus continue adjicerent. An e contrario pronuntiabit procedendum esse ad aedificationem, quia utilitas rei Christianae fideliumque necessitates praevalere debent decoramento, quantumvis splendido, ecclesiae cujusdam singularis? Patietur ergo ecclesia S. Mariae aerarium suum 240,000 francis minui, et reputandum hoc erit *leve praejudicium*, quale, ut docet R. D. Verhoeven (2), *aestimari non solet?* Si res ita se habet, aedificent religiosi ecclesias aliquot, non Antverpiae solum, verum etiam Bruxellis aliisque in locis, ubi item florentissimae sunt parochiales fabricae; affluat pars fidelium in nova haec aedificia; occupentur in templis parochialibus sedilia aliquanto pauciora (si tamen haec sequela sit erectionis ecclesiae regularium (3)) : juris sententia non est a locorum illorum parochis propter tam leve praejudicium suarum ecclesiarum impediri posse alterius ecclesiae constructionem, sed *necesse est*, ipso docente R. D. Verhoeven (4), *ut damnum quod praevidetur, vere sit grave.* Non injuria itaque pridem desideravimus ut is nitide definiisset quid per *grave* et *leve praejudicium* intelligat; cum modo ancipites haereamus an ex ejus doctrina vel 240,000 francorum praejudicium quandoque *leve* dici possit. Confidimus autem facile intellectum iri haec a nobis non esse dicta in vituperium zeli illius quem pro decore domus Dei parochus atque aeditui templi S. Mariae Antverpiensis exserunt : imo summa laude eum dignum esse censemus; sed obvio hoc exemplo utendum rati sumus, ut ostenderemus quam vaga sint principia R. D. Verhoeven.

« Sed et 2°, ait (5), valde allucinaretur ille qui in ea

(1) Vide supra, pag. 534.
(2) Pag. 61.
(3) Vide supra, pag. 572 et 573.
(4) Pag. 61.
(5) Pag. 73.

versaretur opinione, damnum istud temporale de quo egimus, non etiam in spiritualis boni detrimentum vergere. Quid enim fiet, ubi parochiales ecclesiae ad eum statum erunt redactae, ut earum ministri et officiales sustentari amplius nequeant? ut non habeant quo earumdem reparationi provideatur? ut ea quae ad divinum cultum sunt necessaria, procurari imposterum non possint? An haec omnia nihil aliud quam damnum *temporale* significant? » Denuo reponimus gratis hic asseri parochiales in Belgio ecclesias *erectione ecclesiarum regularium* (nam de aliis causis hic agere non attinet) redactum iri ad statum adeo miserabilem. Quod si daremus (quod tamen timere absurdum est) id revera futurum esse, quid adhuc aliud quam damnum *temporale* omnia illa ab adversario nostro enumerata significant? Nam *spirituale* damnum praeverteret utique ipsa illa regularium ecclesiarum multiplicatio, quae cladem parochialibus attulisset.

2. Restat tertia R. D. Professoris responsio; quam, quia prolixior est et paulo intricatior, per partes expendemus. Dicit itaque : « Deinde 3° quod ad *spirituale* bonum attinet, quod ex erectione ecclesiae regularium procreari potest (hic non loquimur de monasteriis), probe est advertendum hoc a multis pendere circumstantiis; nam ubi sufficientes jam sunt ecclesiae parochiales et alia oratoria publica, quodnam bonum spirituale ex regularium ecclesiae constructione necessario exspectandum est? » Mittimus modo dicere de illa ecclesiarum et oratoriorum sufficientia, de qua mox plura notanda erunt: sed interim satisfacimus quaestioni de bono ex regularium ecclesia exspectando. Imprimis ex ea exspectandum est ut regularium opera *qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* (1) : neque enim negari potest hoc esse bonum spiritale praestantissimum. Dein, ubi sufficientes jam sunt ecclesiae parochiales et alia oratoria publica, saepe contingit ut sufficiens non sit populi ad ea loca frequentanda fervor, vel ut multi de populo jure vel injuria animum gerant a clero parochiali alienum, ideoque eum sive peccata confitendi sive conciones audiendi gratia adire renuant; vel etiam quandoque accidit ut clero ipsi non is sit pro domo Dei exercituum zelus quo forte flagraret, si vicinorum aliquot

(1) Apoc. xxii, 11.

regularium exemplo ad laudabilem aemulationem provocaretur : profecto et in ejusmodi adjunctis aliquid boni spiritalis ex regularium ecclesiae constructione necessario exspectandum est. Exspectare quoque inde licet fore ut, novo monasterio (a quo ecclesia, ut hic denuo fit a R. D. Verhoeven, disjungi non debet) ad caetera accedente, plures homines invitentur ad statum religiosum capessendum : quod quantum sit bonum, Deus ipse S. Teresiae quondam indicare dignatus est, testante Sancta (1) : « Monebat insuper ne cogitarem parum sibi ab Ordinibus religiosis, etiamsi a primaevo vigore decidissent, obsequii praestari : quid enim mundo futurum, si non suppeterent ei religiosi? » Atque id ipsum professa est S. Synodus Tridentina, ajens (2) non ignorare se « quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur. » Haec ad interrogationem adversarii dixisse sat esto.

3. Prosequitur ille (3) : « Etenim regulares SS. Missae Sacrificium semper in oratorio, quod vi privilegii in monasterio habent, celebrare possunt. An autem ingens bonum spirituale procurare possint in suis ecclesiis exercendo sacra munera, qualia sunt administratio Sacramenti Poenitentiae et praedicatio verbi Dei, illud etiam multum pendet ex eo, an in oppido vel pago in quo de erigenda regularium ecclesia agitur, jam habeatur clerus sufficiens, pius, theologicis disciplinis bene instructus et animarum saluti procurandae sedulo intentus. Si hujusmodi clerus ibi jam exsistat, quisque intelligit spirituale bonum fidelium in tali oppido vel pago non multum promovendum esse ex eo quod ad sacra ista munera obeunda ibi praeterea nova ecclesia regularium aedificaretur : imo vero tunc potius, praeter temporale damnum ecclesiae parochiali inferendum, in spirituale Christi fidelium detrimentum hujusmodi erectio vergere posset. »

Si pro urbe Roma haec scripsisset R. D. Professor, ubi clerum non tantum pietate, eruditione, zelo insignem, verum etiam *numerosissimum* esse nemo nescit, haberet fortassis ejus ratiocinatio aliquid quod probari posset. At memineri-

(1) Vida, cap. 32, num. 6. tom. 1 Operum, pag. 278, edit. Matrit. 1778; Ribera, Vida de la M. Teresa de Jesus, lib. 1, cap. 13, pag. 98, edit. Salmant. 1590; Acta SS. Octob. tom. 7, pag. 182 et 574.

(2) Sess. 25, cap. de Regular.

(3) Pag. 73 et 74.

mus, quod ipse in Praefatione sua profitetur et passim per libelli sui decursum indicat, cum scribere potissimum pro Belgio. Jam vero clerum saecularem in Belgio pium esse et bene doctum et proximorum animabus juvandis sedulo intentum, haud ibimus inficias; sed sufficientem esse, qua ratione demonstrabitur?

4. Anno 1790 Conventus nationalis, impio suo decreto super Constitutione civili cleri Gallicani, statuerat non esse nisi singulares parochias conservandas singulis oppidis ac vicis ubi incolae non essent supra sexies mille; parochiis singulis praeficiendos parochos quos electores laici designassent; dein cuique parocho jus fore adsciscendi sibi vicarios : vicariorum autem numerum quamvis Conventus non definierit, supponebat certe futurum saltem ternarium vel etiam majorem; siquidem decernebat in oppidis vicisque supra tria millia incolarum numerantibus solutum iri quotannis octingentas libras primo vicario, octingentas item secundo, caeteris vero singulis septingentas (1). Jam vero de hac ipsa re exstant gravissimae immortalis memoriae Pii VI querelae (2) : « Facere non possumus quin hic adjungamus quod, praeter commissum provincialibus conventibus munus distribuendi, prout ipsis visum fuerit, suos paroeciis fines, in maximam nos etiam adduxit admirationem innumerabilis earum suppressio, cum jam nationalis decreverit Conventus ut in urbibus aut oppidis in quibus sex capitum millia tantummodo censeantur, non nisi una constitueretur paroecia. Et quo umquam modo unus parochus sufficere tanto curando populo poterit? Quam ad rem opportunum hic videtur referre Cardinalem Conradum, a Gregorio IX ad praesidendum Coloniensi Synodo delegatum, hisce verbis interrogasse quemdam qui aderat parochum, quique vehementer contendebat ne illuc Fratres Ordinis Praedicatorum inducerentur : « Quis est numerus » hominum in paroecia tibi subditorum? » Cum ille esse novem millia respondisset, tum Cardinalis admiratione iraque commotus : « Qui es, inquit, tu miserrime, qui tot millibus » sufficis debitam gubernationis curam impendere? Nescis,

(1) Décret du 12 Juillet — 24 Août 1790, tit. 1, art. 15, tit. 2, art. 35 et 43, tit. 3, art. 6, apud Bon, Législat. des par., pag. 6, 8, 9 et 10.

(2) Breve *Quod aliquantum*, in Collect. Brev. tom. 1, pag. 80 et 81

« hominum perditissime, quia in illo debes tremendo judicio » ante tribunal Christi de his omnibus respondere? Et tu, si » tales habes vicarios (Fratres Praedicatores), querularis, qui » onus tuum gratis relevent, sub cujus pondere nescius con- » quassaris. Quia igitur ex hac querela indignum te cura » omnimode judicasti, ideo privo te omni beneficio pasto- » rali (1). » Et quamvis illic de novem hominum millibus agebatur, hic vero, nimirum a Conventus decreto, sex tantum millia unius parochi curae tribuantur; nihilo tamen minus quis non fateatur talem etiam numerum longe longeque unius parochi vires excedere, ac consequi propterea debere ut multi ex parochianis necessario priventur spiritualibus subsidiis, pro quibus ad regulares, qui jam suppressi sunt, confugere non valebunt? » Hactenus Pius VI.

Quorsum haec tanti Pontificis verba retulimus? Nimirum ut R. D. Verhoeven serio perpendat num ea multis quoque in hodierno Belgio parochiis applicari non possint. Quot sunt parochiae sex aut pluribus hominum millibus frequentes, ubi non plures quam quatuor, quinque vel summum sex presbyteri saeculares ministerio sacro occupantur, nullis vel admodum paucis in vicinia commorantibus regularibus! At si mentem Pii VI rite consequimur, judicavit Pastor sapientissimus singulis saltem millenis parochianis opus esse singulis presbyteris parochialibus, qui spiritalem operam eis praestent; et ab hac sententia non discrepat ordinatio Alphonsi de Berghes, Archiepiscopi Mechliniensis, anno 1688 edita pro parochia S. Catharinae Bruxellis (2) : « Sataget vero Dominus Pastor ut in dicta ecclesia, attento numero *novem circiter millium confitentium*, semper sint *novem* qui *cum illo* Confessiones excipiant. » Ex qua ordinatione liceret nobis etiam aliquanto majorem presbyterorum numerum requirere; quoniam quo tempore facta fuit, exstabant Bruxellis ecclesiae conventuales bene multae, ubi viri religiosi pro sacro Tribunali sedebant.

5. Teneamus tamen eam quam pridem statuebamus proportionem. Ubinam illa in civitatibus et oppidis Belgicis obtinet? En praecipua aliquot loca ubi eam deesse comperimus :

(1) Abrah. Bzov. Annal. eccles. ad an. 1222, § 6, edit. Colon. 1621.

(2) Placc. van Brab. tom. 3, pag. 52.

Bruxellae, Gandavum, Antverpia, Leodium, Brugae, Tornacum, Lovanium, Mechlinia, Montes Hannoniae, Namurcum, Vervia, Cortracum, S. Nicolai Wasiae, Yprae, Alostum, Lokeren, Lyra, Turnholtum, Rothnacum, Ostenda, Thiletum, Poperingha, Rollarium, Athum, Caroloregium, Binchium; quibus et plura addi possent. Quae autem sint in civitatibus oppidisque nostris domicilia religiosorum ministerio sacro erga fideles operam dantium, paucis accipe. In archidioecesi Mechliniensi Patres Societatis Jesu collegia habent litterarum humaniorum Bruxellis, Antverpiae et Turnholti, seminarium suorum Lovanii, domum probationis Nivellis, residentiam Lyrae, et paucos in singulis hisce locis ministerio sacro addictos, quod ipsum de caeteris eorum domiciliis (uno Gandavensi excepto) dicendum est; Patres SS. Redemptoris domum parum numerosam tenent Bruxellis, PP. Crucigeri Diesthemii, PP. Praedicatores Thenis, et PP. Minores conventuales Hallis. In dioecesi Brugensi exstant residentiae Societatis Jesu Brugis et Cortraci, Congregationis SS. Redemptoris Brugis, conventus PP. Minorum strictioris observantiae Thileti, PP. Capuccinorum Brugis, PP. Carmelitarum Excalceatorum Brugis et Ypris. In dioecesi Gandavensi collegia humaniorum S. J. Gandavi et Alosti, residentia S. J. necnon conventus PP. Praedicatorum, Minorum strictioris observantiae, Eremitarum S. Augustini et Camelitarum Excalceatorum Gandavi. In dioecesi Leodiensi collegium et residentia S. J. Leodii, altera residentia S. J. Verviae, domus Patrum SS. Redemptoris Leodii et Trudonopoli, conventus PP. Minorum Trudonopoli et Hasleti. In dioecesi Namurcensi collegium S. J. Namurci. In dioecesi Tornacensi collegium S. J. Tornaci, residentia S. J. Montibus, et Patrum SS. Redemptoris Tornaci.

6. Eligat ergo R. D. Verhoeven utrum clerum numero crescere malit, parochialemne an regularem : alteruter enim multiplicandus est, ut populo Belgico in rebus ad aeternam salutem spectantibus bene sit. Si vero simul rerum temporalium sit habendo ratio, fideles apprime norunt victum vestitumque et supellectilem religiosi, praesertim Mendicantis et in communitate viventis, minoris constare quam constet presbyteri saecularis, etiam parcissime viventis, honesta sustentatio. Quod autem ad aedificia divina cultui deputanda spectat, parochi quidem ut plurimum malent novas ecclesias regu-

larium videre quam novas parochias. Sane minus proventuum peribit ecclesiis parochialibus, sicubi exsurgant aliquot ecclesiae regularium, quam si parochiae in plura dispesci membra aut amplificare sua templa debeant; et tamen ex hisce tribus unum fieri ubique fere necesse foret. Prae caeteris id deposcit regni caput Bruxellae. Sunt ibi singulis parochiis promiscue adscribenda undena millia fidelium; parochiales vero undecim ecclesias in tres ordines licet distinguere: nempe unam vere amplam SS. Michaelis et Gudulae; sex mediocres S. Mariae de Capella, S. Mariae de Victoria, S. Joannis Baptistae, S. Jacobi, S. Nicolai et S. Catharinae; et tandem quatuor vere exiguas S. Mariae Finis Terrae, S. Mariae Auxiliatricis, SS. Joannes et Stephani et S. Clarae. Nec praeter has aliud aedium sacrarum Bruxellis est, nisi ecclesiola S. Mariae Magdalenae Patrum SS. Redemptoris, oratorium collegii S. Michaelis S. J., fere solis discipulis capiendis sufficiens, et oratorium S. Annae, cui nullus adscriptus est presbyter. Ponamus modo, quod sane veritatem non superat, obligari Bruxellis 80,000 homines ad Sacri auditionem diebus dominicis et festis: debebunt igitur singulas parochiales ecclesias adire homines minimum 7,000. Sed S. Mariae Auxiliatricis aedes, quando est oppleta, millenos homines capit: unde oporteret vel septena diebus festivis ibi celebrari Sacra, ita apte suis distributa intervallis ut pars populi diffluere, pars altera accedere posset; atque idem fere fieri necesse esset in tribus aliis ecclesiis hac non multo majoribus. Quod cum neque fiat neque fieri possit, nec caeterae ecclesiae Bruxellenses huic defectui supplendo et magnitudine et situ suo sint accommodatae, evenit ut multi negligant gravissimum praeceptum assistendi Missae Sacrificio et auditionem praedicationis omittant; neque carere se putant excusationibus, ac facile obtendunt aerem templi infectum, incommoda stationis immobilis, augustias pectoris et his similia. Quot quantaque inde generentur mala, quae doctrinae Christianae ignoratio, quis et caeterorum hominis Christiani officiorum neglectus, quae morum corruptela, quae a rebus personisque sacris aversio, quae in malo obstinatio, facile conjectu est. Quocirca ne urbi adeo opis spiritalis indigae R. D. Verhoeven homines aliquot apostolicos paucis contentos invideat. Neque iisdem diutius destitui velit Antverpiam, ubi, minor licet, adhuc

tamen nimia est ecclesiarum inter et incolarum numerum disparilitas; neque tot alia oppida, quorum pene similis est in hac parte conditio. O si a Bruxellensi et Antverpiensi clero percontaretur quantum ibi jam profuerit vel paucorum regularium sacer labor! Si sciret quantam Gandavensi populo utilitatem attulerint quinque Ordinum Mendicantium erectae a paucis annis ecclesiae, quin ullum temporale detrimentum parochialibus attulerint! Si consideraret quid Trudonopoli agatur, ubi longe major pro oppidi frequentia est regularium numerus, florere interim pergente, imo accrescente re temporali parochialis ecclesiae (1)! Nimirum dum universi incolae, accensitis pueris Eucharistiae percipiendae nondum idoneis, numerum tantum undecim millium conficiunt, distribuuntur ibi quotannis 150 millia Communionum sacrarum : quam Sacramentorum frequentiam multum conferre ad fidem confirmandam, ad morum integritatem servandam, ad fovendum zelum bonorum operum, nemo erit qui negare velit; quemadmodum neque inficiabitur tantum bonum ex parte adscribendum esse adjutorio a regularibus praestito circa ministerium sacrum. Recolantur etiam quae de majori concursu populi ad parochiales ecclesias quibus vicinae sunt ecclesiae regularium, antea diximus (2). Denique, sit nobis haec in Domino gloriandi venia, ubicumque vel pauci degunt regulares, afferunt aliquid ad morum reformationem, ad pietatis augmentum, ad rei catholicae decus, nusquam interim diminuta parochialium templorum fortuna.

7. Demum si quaerere velimus quot ferendis ecclesiis frequentiora Belgii loca paria forent, pro norma sese offert Leodium, 75,000 incolis frequens, quod praeter cathedralem octodecim ecclesias parochiales habet, easque redditibus non male instructas (3) nec duarum ecclesiarum regularium vicinitate gravatas. Videntur enim, quod Leodienses possunt, idem, servata proportione, caeterae etiam civitates et oppida Belgii posse. Exhibemus itaque lectori tabellam, in cujus capite Leodium tamquam civitatem normalem ponimus. Signantur in eadem prima columna reliquae civitates praecipuae : secunda columna exhibet incolarum numerum; tertia numerum eccle-

(1) Vide supra, pag. 581.
(2) Supra, pag. 572 et 573.
(3) Vide supra, pag. 581.

siarum parochialium, actu exsistentium; quarta numerum presbyterorum parochialium, sacrum ministerium exercentium; quinta numerum parochianorum in singulos hos presbyteros distributorum; sexta numerum parochiarum quae secundum normam Leodiensem exsistere deberent; septima numerum ecclesiarum seu oratoriorum regularium ministerium sacrum exercentium. Numeros extraximus tum ex nuperrimis incolarum recensionibus publica auctoritate factis, tum ex Calendario ecclesiastico pro anno praesenti edito; atque ut certius intra veri limites nos contineremus, annumeravimus aliquot parochias suburbanas quas idem Calendarium ipsis civitatibus adscribit : nempe Antverpiae duas, Gandavi, Namurci, Cortraci et Thileti singulas.

CIVITATES.	INCOLAE ANNO 1846.	PAROCHIAE ANNO 1846.	PRESBYTERI PAROCHIALES.	INCOLAE IN SINGULOS PRESBYTEROS DISTRIBUTI.	PAROCHIAE QUOT DEBERENT EXSISTERE.	ECCLESIAE SEU ORATORIA REGULARIUM.
Leodium.	75,000	18	51	1,470	18	2
Bruxellae.	123,000	11	47	2,617	29	2
Gandavum.	102,000	10	34	3,000	24	5
Antverpia.	88,000	10	36	2,444	21	1
Brugae.	49,000	7	25	1,960	11,76	3
Tornacum.	30,000	10	19	1,578	7	2
Lovanium.	30,000	7	26	1,152	7	1
Mechlinia.	29,000	7	24	1,208	6,96	
Montes Hannoniae.	24,000	4	15	1,600	5,76	1
Namurcum.	22,000	7	18	1,222	5,28	1
Cortracum.	21,000	3	10	2,100	5	1
Yprae.	17,000	4	12	1,416	4	1
Alostum.	17,000	1	6	2,833	4	1
Thiletum.	12,000	2	6	2,000	2,88	1

8. Ex hac tabula liquet nos sectatos hic non fuisse rationem nobis magis favorabilem (neque enim fucum facere, sed veritatem sincere inquirere animus est) : nam si normam posuissemus Mechliniam, et praecipue si Namurcum vel Tornacum, major nobis fuisset parochiarum proportio. Praeterea Yprae cum numeroso satis conventu PP. Carmelitarum Excalceatorum eamdem proportionem exhibent ac Leodium; nec Lovanium ab ea dissonat. An obtendetur fortasse tantam non esse fidem, tantam religionem, zelum tantum alibi, quantum Leodii, Namurci, Lovanii, Tornaci? At, praeterquam quod non facile id omnes concedent, argumentum nostrum ne tangit quidem haec objectio, nisi ut eidem pondus addat. Etenim, si veritate nitatur, ex ea videmur legitime deducere posse, multiplicatis ecclesiis, conservari fidem, devotionem, zelum in populo, ac proinde eodem remedio utendum esse ut in aliis civitatibus idem spiritus bonus instauretur : quocirca nihil non tentandum quo augeatur ecclesiarum sive saecularium sive regularium numerus, licet diminutionem proventuum etiam notabilem, quae tamen verum praejudicium non sit neu cultus divini decentiam afficiat, paterentur ecclesiae jam exstantes. Verum ejusmodi diminutio, uti jam satis indicavimus, non facile locum habebit; nec brevi futurum est ut numerus ecclesiarum in Belgio eo perducatur, quo perducendus foret, si ad normam Leodiensem vel Tornacensem ubique exigeretur.

Quae cum ita sint, sinat R. D. Verhoeven ut his temporibus, « quum, uti ipse ait (1), postquam per decem fere lustra diris vexationibus in his regionibus fuerit agitata Ecclesia, hodie, et Deo favente ab aliquibus jam annis, ita comparatae sunt civitatis nostrae leges ut Ecclesia in usum pristini sui juris divini sit restituta, atque adeo datum sit ecclesiasticae auctoritati spectatissimum regularem clerum *pro Ecclesiae utilitate* in sua jura restituere, » sinat, precamur, ut paucula instituta religiosa, ex communi naufragio reliqua, sedes aliquas in hac patria nanciscantur. Nullam afferent hae perniciem ecclesiis parochialibus; sed eo spectabunt ut gravis sarcina, qua clerus saecularis oneratur, fraternis regularis cleri manibus aliquantisper allevietur, ut fideles, quorum multi vix Christiani et Catholici nomen retinent, multiplicatis invitatio-

(1) Praefat. pag. II et III.

nibus ad sincerum Dei cultum revocentur, ut citius evellatur ignorantia, mater ingentium vitiorum, ut pietas et pietatis actus in dies accrescant et magnarum virtutum fructus producant : quod ubi obtinebitur, sponte consequetur ut cum commodo spiritali animarum pretioso Jesu Christi sanguine redemptarum augeantur etiam ecclesiarum parochialium temporalia commoda.

9. Post haec opusne est ut respondeamus argumento quo R. D. Verhoeven ostendere nititur quomodo ecclesiae regularium erectio vergere queat in spiritale Christi fidelium detrimentum? « Quod qui fieri possit, ex his, ait (1), facile colliges. Fac Ordinarium clero suo saeculari praescripsisse (quemadmodum Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Archiepiscopus Engelbertus Noster revera sapienter praescripsit) ut singulis diebus dominicis et festis de praecepto bis terve praedicetur verbum Dei in parochialibus ecclesiis, et ut Missarum celebratio ita ordinetur ut parochiani hanc non ita facile evitare queant; si jam habeatur in aliqua parochia vel in ejusdem vicinia ecclesia regularium, in qua singulis horis, atque adeo eodem circiter tempore quo in parochiali ecclesia, Missae celebrantur, tum procul dubio fiet ut multi parochiani Missam in ecclesia regularium iis diebus sint audituri, et praedicationem verbi Dei ac doctrinam Christianam in parochiali ecclesia continuo neglecturi. Quod si contingat, nemo sane negaverit id in spirituale Christi fidelium damnum vergere. Porro hac in re etiam notari debet Ordinario fas non esse regularibus exemptis de rigore juris praecipere ut et ipsi in suis ecclesiis doctrinam Christianam tradant aut verbum Dei praedicent, vel prohibere ne eodem tempore vel ante celebrent Missam in suis ecclesiis quam in parochiali ecclesia celebretur, ut patebit ex iis quae infra sumus dicturi. »

Scilicet ut hoc argumentum stare possit, plures sunt admittendae hypotheses, quarum magnam partem jam supra discussimus (2). Duas tantummodo hic notasse sat esto. Altera est, nullas die dominico vel festo in parochialibus ecclesiis et oratoriis saecularibus Missas celebrari praeter duas illas aut tres sub quibus habenda est concio. Ita ruri fieri credibile est; verum in plerisque civitatibus, qui occasionem audiendi Sacri sine

(1) Pag. 74 et 75.

(2) Supra, pag. 371 et seqq.

praedicatione captare voluerint, semper facillime eam habent, quin iis ad regularium ecclesias ideo sit recurrendum, et quidem eo facilius quod conciones parochiales certis sunt affixae horis, quas omnes parochiani norunt. Altera hypothesis est regulares in suis ecclesiis numquam aut vix umquam praedicare; quod an verum sit, testentur ii qui eorum ecclesias frequentant, testentur item illi qui de nimia concionum apud regulares frequentia auditi fuere aliquando queri.

10. Demum concludit R. D. Professor responsa sua hisce verbis (1) : « Si vero Episcopo videretur e re sacra esse et in Christi fidelium commodum fore, ut aliqui regulares ad praedicta munera in aliqua parochia admitterentur, et tamen erectio ecclesiae regularium cederet in grave damnum parochialis ecclesiae, eo in casu nobis quidem videtur remedium in promptu fore utrique rei consulendi, statuendo nimirum ut regulares in ecclesia parochiali sacra ista munera peragerent; tunc enim consultum foret fidelium commodo, et cautum esset, saltem verisimiliter, ne praejudicium grave pateretur ecclesia parochialis. »

Quae nobis haec legentibus in mentem denuo veniunt, jam satis superque superioribus libri nostri capitibus disputata (2), silentio nunc premere praestat. Hic tantumodo quaerimus quo loco R. D. Verhoeven sic ad ecclesiae parochialis obsequium quasi gratia quadam admissos regulares haberi in ea vellet. Qualisnam in illa utriusque cleri mixtura statueretur ordo? Quae fieret et cujusnam arbitrio fieret munerum sacrorum cuique assignatio? Primasne juvenibus vicariis cederent senes religiosi, laboribus in sacro ministerio obeundo fracti, magisteriis aliisve functionibus in sua Religione insignes, vel etiam ii qui praelaturam gerunt, ob quam in hierarchia ecclesiastica parochos dignitate superant? An contra regulares vel omnibus vel aliquibus e clero saeculari praeferrentur? Quo jure? Quibus legibus? Et quid, si his magis aut magis illis se adderet populus? Si in animum sibi induceret non aeque cum alterutro clero, quem praecipue diligeret, agi, et inferiori subsellio locari eos quibus ipse fors primas sedes destinasset? Praeterea cogitandum est unde clerus regularis, parochiali ministerio secundum systema Verhoevianum devinctus, vi-

(1) Pag. 75.

(2) Cap. 18, 19 et 20, pag. 398 et seqq.

ctum sibi tandem resque alias ad vivendum necessarias comparaturus esset. Nam Ordinum Mendicantium et saluti animarum procurandae vacantium religiosis, si praeter ecclesiam parochialem nullus sit locus publicus in quo munera vocationi suae propria exerceant, si fidelibus non innotescant nisi clero saeculari permixti et ministeria sacra in commune cum eo obeuntes, quam pauci in populo erunt qui de eleemosyna iis largienda cogitabunt! Quam multi qui sibi persuadebunt vivere eos expensis earum ecclesiarum quarum utilitatibus inserviunt! Remedio igitur a R. D. Verhoeven excogitato neque fidelium commodo neque ecclesiarum parochialium rei temporali foret consultum; verum id unum obtineretur, ut regulares plerique ad summam redigerentur inopiam, atque hinc, ut antea jam innuimus (1), Ordinibus religiosis omnes pene viae stabilis in Belgio exsistentiae praecluderentur.

11. Nec vacat modo, neque valde necessarium esse arbitramur, in singulos inquirere apices eorum quae R. D. Professor ad finem usque paragraphi hujus tertii disputat. In specie quod ad methodum interponendae legitimae appellationis ab eo expositam (2) attinet, viderint qui ea utendum vel abutendum sibi esse judicabunt. Suffecerit ergo nobis unam adhuc alteramve annotationem subjecisse. Adstruit scriptor (3) *majus regularium commodum* aut *solam multiplicationem monasteriorum et ecclesiarum regularium, ubi jam sufficiens est numerus ecclesiarum et rectorum animarum,* habendam esse ut *causam levem :* ita ut, si praeter hanc nulla alia a regularibus pro obtinenda licentia erigendi monasterii allegetur, *Ordinarius statim preces rejicere possit.* Opinationem hanc, plures ob rationes quas hinc inde jam attulimus, rejicere non dubitamus. Sane majus commodum regularium Patribus illis Synodorum Toletanarum aliisque Ecclesiarum Praesulibus quos pridem de suo erga religiosos coetus studio dilaudavimus (4), atque etiam Romanis Pontificibus (5), res satis *gravis* visa fuit. Multiplicationem vero monasteriorum (praeterquam si ageretur de religiosis malae aedificationis, quales non putemus esse in Belgio), quis parvi fecerit? S. Basilius Magnus

(1) Supra, pag. 523.
(2) Pag. 77-82.
(3) Pag. 76.
(4) Supra, pag. 475-478.
(4) Supra, pag. 214 et seqq. passim, item pag. 500-505.

tanti eam faciebat ut in epistola quadam, ubi diluit hoc inter caetera sibi a malevolis objectum crimen, non fuerit veritus dicere (1) : « Incusamur autem quod homines habeamus pietatis cultores, qui nuntium remisere mundo et saeculi curis,... mortificationem Jesu in corpore circumferunt, et crucem suam portantes Deum sequuntur. *Ego vero tota vita mea mercarer ut mea essent haec delicta...* Scire autem vos volo nos laudi ducere quod virorum et mulierum coetus habeamus quorum conversatio in coelis est, etc. » Atque eadem fuisse aliorum Sanctorum sensa, satis jam indicavimus (2). Sed quoniam R. D. Professor *ecclesias* a *monasteriis* passim sejungit (3), addere juvat neque ecclesiarum multiplicationem rem *levem* esse, quae seraphicam illam et coelitus illuminatam virginem Teresiam summa afficiebat consolatione; quod diceret maximum esse Christianitati bonum, si vel una amplius aedes exstaret ubi divinae Majestati et Christo Jesu in Eucharistia latenti debitus exhiberetur honos (4). Deinde in eo quod R. D. Professor ait (5) : « Ordinarius, si... aedificandi licentiam recuset, causam ob quam recusat, regularibus qui licentiam petiverant, aperire debet, prout constituit S. Pius V constitutione *Etsi Mendicantium,* » veritatem quidem agnoscimus, sed non omnino completam; quandoquidem Sanctus Pontifex ibi quoque sanxit licentiam pro construenda domo regulari ab Ordinario *non posse recusari* nisi legitima subsistat recusandi causa (6). Atque hinc, sicut ex pluribus aliis quae antea diximus, satis manifestum esse putamus quo sensu Ordinarius nobis videatur in hujusmodi causis habendus esse *judex,* quin ulterius opus sit ut de eo titulo cum R. D. Verhoeven, qui eum hic iterum urget (7), controversiam instituamus : fatemur interim nos clare discernere nequivisse utrum R. Dominus jurisdictionem voluntariam an contentiosam hic admittat, an vero utramque confundat.

Atque hic in praesentia sistimus, tum quod volumen

(1) Epist. 207, alios 63, tom. 3 Operum, pag. 310, edit. Maur.

(2) Vide supra, pag. 475 et 476.

(3) Pag. 48, 57, 59 et 75.

(4) Vida, cap. 36, num. 3, tom. 1 Operum, pag. 317; Fundaciones, cap. 3, num. 7, et cap. 18, num. 5, tom. 2, pag. 246 et 340; Acta SS. Octobris, tom. 7, pag. 197, 212, 232, 394, 388, 598 et 680.

(5) Pag. 76.

(6) Magn. Bull. Rom. tom. 2. pag. 247.

(7) Pag. 75.

nostrum jam satis videmus excrevisse, tum quod vel ex hactenus a nobis instituto examine satis superque patere existimamus opusculo R. D. Verhoeven *illimitatam* haud esse dandam *fiduciam*.

FINIS TOMI PRIORIS.

INDEX.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

1. *Definitio status perfectionis Christianae.* Pag. 1
2. *Definitio status religiosi.* 3
3. *Substantiales et accidentales status religiosi partes.* 4
4. *R. D. Verhoeven perperam statum religiosum a statu perfectionis acquirendae discriminat.* 5
5. *Status religiosus a Christo fuit institutus.* 6
6. *Qua ratione status religiosus ad catholicam Ecclesiam pertineat.* 8
7. *R. D. Verhoeven non bene definit statum religiosum stricte dictum.* 10
8. *Quae R. D. Verhoeven de approbatione ecclesiastica ad statum religiosum requisita statuit, subsistere nequeunt.* 11
9. *Ex hac approbatione non sequitur statum religiosum esse humanae institutionis.* 13
10. *Distinctio approbationis in speculativam et practicam.* 14
11. *Professio tacita, hodie rarior, olim erat frequentissima.* 16
12. *In expressa professione nusquam antiquitus fiebat, nec modo in omnibus Ordinibus religiosis fit, explicita trium consiliorum evangelicorum enuntiatio.* 20
13. *Stabilitas in certo coenobio certave sub regula olim ad statum religiosum non requirebatur.* 22
14. *Declarantur alia quaedam circa professionem religiosam.* 24
15. *Ex ante dictis refutantur quae R. D. Verhoeven de professione religiosa ex Halliero descripsit.* 26

CAPUT SECUNDUM.

DE ORIGINE STATUS RELIGIOSI.

1. *Systema historicum R. D. Verhoeven de vitae religiosae exordio sibi non cohaeret.* 29
2. *Asserit R. D. Verhoeven scriptores ecclesiasticos fere unanimes esse in vitae religiosae origine ad quartum saeculum referenda.* 32
3. *Non desunt scriptores ecclesiastici qui Apostolos aliosque Christi discipulos vere religiosos fuisse contendant.* Ib.
4. *Monachis quarti saeculi et pluribus theologis recentioribus persuasum fuit inter primos fideles Jerosolymitanos vitam vere religiosam exstitisse.* 35
5. *Eusebii sententia de therapeutis a Philone laudatis.* 38
6. *De iisdem therapeutis sententia S. Hieronymi, S. Epiphanii, Sozomeni et Cassiani.* 40
7. *Scriptores ecclesiastici haudquaquam unanimes sunt in negando therapeutarum monachismo.* 42
8. *Virginitatis professio, per totam Ecclesiam inde a primis saeculis frequentata, quid involveret.* 44
9. *Certis documentis constat monialium coenobia et monachorum coetus exstitisse ante quartum saeculum, saltem in Oriente.* 47
10. *Scriptores non vulgares assentiuntur Cassiano vitam monasticam ab apostolico aevo ad sua usque tempora derivanti.* 48
11. *Antonelli opinio de monastici instituti exordiis.* 50
12. *Antonellus per monasticum institutum intelligit vitam coenobiticam.* Ib.
13. *Distinctio Antonelliana inter monachos et ascetas.* 52
14. *Praedicta distinctio nominalis potius quam realis.* 53
15. *Asceticae vitae finis et professio secundum Antonellum.* 54
16. *Praecipuae vitae asceticae partes secundum eumdem Antonellum.* 55
17. *Ascetarum duo genera.* 58
18. *Ascetae activi seu sociales.* 59
19. *Ascetae contemplativi seu solitarii.* 62
20. *Antonelli Dissertatione de Ascetis non juvatur R. D. Verhoeven.* 63

21. *S. Athanasius tradit ante S. Antonium monachos in Aegypto fuisse.* 64
22. *S. Athanasius vitae tantum anachoreticae auctorem S. Antonium facit.* 65
23. *Rectius S. Hieronymus pronuntiat anachoreticae vitae auctorem Paulum, illustratorem Antonium.* 67
24. *S. Hieronymi dicta non bene interpretatur Thomassinus.* Ib.
25. *S. Antonius vitam coenobiticam inter suos discipulos non instituit.* 70
26. *Coenobiorum auctor saeculo quarto in Aegypto fuit S. Pachomius.* 72

CAPUT TERTIUM.

DE BONO STATUS RELIGIOSI.

1. *Suppletur omissioni R. D. Verhoeven de fine religiosorum Ordinum.* 73
2. *Utilitates vitae religiosae.* 75
3. *Dignitas et jucunditas vitae religiosae.* 76
4. *Status religiosus non extensive tantum, ut vult R. D. Verhoeven, sed etiam intensive perfectior est statu vitae communis Christianorum.* 77
5. *Consilia esse perfectiora praeceptis ostenditur contra R. D. Verhoeven, ex SS. Patribus.* 78
6. *Confirmatur idem ex Concilio Tridentino, et affertur in hanc rem sententia S. Facultatis Theologicae Parisiensis.* 80
7. *Bellarmini consilia evangelica adversus Melanchthonem defendentis doctrina.* 82

CAPUT QUARTUM.

DE AUCTORITATE EPISCOPORUM IN MONACHOS NON EXEMPTOS, DEQUE REGULARUM APPROBATIONE.

1. *R. D. Verhoeven adstruit regulares non exemptos omnimode subjectos esse Episcopis in rebus disciplinaribus.* 84
2. *In hanc rem contendit S. Thomam, docentem monachos magis Abbati quam Episcopo obedire debere, loqui de exemptis, licet S. Doctor dicat se loqui de non exemptis.* 85
3. *Perperam invocat indolem regiminis ecclesiastici et illimitatam facit Episcoporum potestatem.* 86

4. *Male recurrit ad approbationem Regularum monasticarum, datam ab Episcopis.* 87
5. *Narrat Regulam S. Antonii approbatam fuisse, quae numquam exstitit.* 88
6. *Item Regulam S. Pachomii, quae coelitus delata est.* 89
7. *Ei non suffragatur Regula S. Basilii, tradita ab hoc S. Patre priusquam Episcopus foret.* Ib.
8. *Neque ei favet historia Regulae S. Benedicti. Citat apocryphum fragmentum.* 90
9. *Olim in Oriente et multo magis in Occidente non stabiles aut singulares erant Regulae.* 92
10. *Occasio et fata canonum Lateranensis et Lugdunensis de non fundandis novis Ordinibus absque pontificia licentia.* 94
11. *Hi non contra Episcoporum facilitatem statuti sunt.* 97
12. *Confundit R. D. Verhoeven approbationem Regulae cum approbatione Ordinis religiosi.* 98

CAPUT QUINTUM.

DE AUCTORITATE EPISCOPORUM IN MONACHOS NON EXEMPTOS, DEQUE ADMISSIONE NOVITIORUM.

1. *Omnimodam monachorum subjectionem perperam adstruit R. D. Verhoeven exemplo presbyterii Vercellensis. Lapsus chronologicus.* 100
2. *Nil elicere potest ex conditione monasterii Mediolanensis. Alter lapsus chronologicus.* 103
3. *Valde infeliciter allegat monasteria Africana, quum nulla liberiora fuerint.* 104
4. *Exponitur primaeva monachorum libertas secundum Van Espen, Maurinos, De Roye, etc.* 105
5. *Restringitur haec libertas in Concilio Chalcedonensi; cujus tamen canonem, omnino luxatum, frustra allegat R. D. Verhoeven.* 106
6. *Incassum refert plures alios canones.* 108
7. *Ad rem non facit Epistola S. Gregorii M. ad Vitalem.* 110
8. *R. D. Professor parum feliciter allegat exemptionem monasterii Classitani ad probandam omnimodam monachorum subjectionem.* Ib.
9. *Non minus errat, quum textus ex Pelagio et Urbano II putat a se referri.* 112

10. *Perperam citat locum ex Innocentio III, omnino luxatum et corruptum; e loco genuino exponitur doctrina contraria. Refert textum Card. Petra sibi adversantem.* 114
11. *Episcopi non poterant monachis imponere opera servilia, licet haec ad Regulam pertinerent.* 116
12. *Quae esset olim Episcoporum potestas in monachos non exemptos.* 117
13. *Quae nunc sit.* 120
14. *Ex comparatione cum societate civili, ex conditionibus professionis et ex examine admittendorum, quae omnia erroribus non vacant, perperam deducit R. D. Verhoeven ex privilegio tantum licere Abbatibus novos admittere monachos.* 124
15. *Episcopis non licet neque umquam licuit impedire clericos et laicos, ne vitam monasticam amplecterentur.* 128
16. *In hanc rem plura Pontifices ediderunt diplomata.* 130
17. *Iidem vetuerunt ne se parochi opponerent admissioni paroecianorum.* 132

CAPUT SEXTUM.

DE AUCTORITATE PAROCHORUM IN MONACHOS; DE MENTE ECCLESIAE CIRCA ORDINES ACTIVOS.

1. *Monachos presbyteris curatis a S. Augustino subjectos fuisse perperam colligit R. D. Verhoeven ex Regula ad Servos Dei.* 135
2. *Haec enim Regula non est S. Augustini opus.* Ib.
3. *Sed, etiamsi foret, ex eo quod ibi dicuntur subjecti* presbytero, *non sequitur eos subjectos fuisse* presbytero curato. 137
4. *Non potuit S. Augustinus monachos Hipponenses presbytero curato subjicere, quum nullus Hippone curatus exstaret, ut probatur ex disciplina horum temporum.* 138
5. *Praeterea, si ullus exstitisset, non tamen potuit S. Augustinus, salvis Ecclesiae legibus, ei subjicere monachos.* 142
6. *Presbyter, de quo in Regula S. Augustini pro monialibus, omnino proprius erat monasterii.* 143
7. *Praepositus, de quo in Regula ad Servos Dei, erat prior; et presbyter erat Abbas.* 145
8. *Incuriose loquitur R. D. Verhoeven de Ordinibus activis.* 148

9. *Mire adstruit regularibus locum non esse in hierarchia ecclesiastica.* 149
10. *Quis sit Hallierus, ex quo doctrinam suam deprompsit R. D. Verhoeven.* 150

CAPUT SEPTIMUM.

DE VETUSTISSIMA EXEMPTIONUM DISCIPLINA; ASSERTA R. D. VERHOEVEN DE PRIVILEGIIS SAECULI VI ET VII.

1. *Synopsis dicendorum.* 153
2. *Quomodo de privilegiis agendum sit.* 154
3. *Pollicetur R. D. Verhoeven se ostensurum hodierna privilegia esse antiquissima, et ostendere conatur ea esse recentiora.* 155
4. *Scribit se secuturum placita Thomassini, quae eruditi* paradoxa *vocant.* 156
5. *Indicat antiquitus plures Ordines regulares exstitisse : ostenditur unum tantum exstitisse Ordinem monasticum.* 159
6. *Non apte loquitur de communicatione privilegiorum.* 161
7. *Asserit privilegiis saeculi* VI *concessam tantum fuisse liberam electionem Abbatis et administrationem bonorum.* 162
8. *Fundamentum veterum exemptionum.* Ib.
9. *Vetustissima libertas omnium monasteriorum Africae stabilita fuit in Concilio Carthaginensi anni* 525. 163
10. *Iterum fuit eadem renovata in Concilio anni* 534. *Subdebantur omnia monasteria Primati Carthaginensi.* 167
11. *Eadem conditio est monasteriorum exemptorum, quae nunc subduntur Romano Pontifici.* 169
12. *Licebat olim in Ecclesia Latina monasterium, in loco non sacro fundatum, cuivis subjicere Episcopo.* 170
13. *Licebat idem in Ecclesia Graeca. Hinc evertuntur R. D. Verhoeven placita.* 172
14. *Falso traditur a R. D. Professore monachis jure communi non licuisse suos eligere Abbates.* 174
15. *Idem perperam ab eo asseritur de bonorum administratione.* 178
16. *Constitutum pro monachis, quod luxatum allegat R. D. Verhoeven, si genuinum sit, ita contra eum pugnat ut omnia*

Italiae monasteria saeculo VI *plene exempta dicenda sint.* 180
17. *Si apocryphum sit, parum feliciter allegatur.* 183
18. *Contendit R. D. Verhoeven Adeodatum Papam primum esse, qui monasterium aliquod, scilicet Turonense, a jurisdictione Episcopi exemerit.* 185
19. *Contra ex Formulis Marculfi probatur innumera jam ante monasteria similibus privilegiis donata fuisse.* 186
20. *Idem probatur ex exitu controversiae Mabillonii cum Papebrochio.* 189
21. *Id ipsum argumentum, quo R. D. Verhoeven adstruit tempore Adeodati eam* inauditam *fuisse* novitatem, *aperte demonstrat* antiquissimum *fuisse* morem. 190

CAPUT OCTAVUM.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM EPISCOPALIBUS ET REGIIS USQUE AD SAECULUM XI.

1. *Perperam contendit R. D. Verhoeven privilegiis episcopalibus usque ad saeculum* XI *concessam tantum fuisse libertatem eligendi Abbatem et administrandi bona.* 193
2. *Etenim ineunte saeculo* VI *S. Caesarius liberavit penitus Arelatense monialium coenobium ab Episcopi potestate.* Ib.
3. *S. Fulgentius eodem fere tempore similiter egit erga monasterium Ruspense.* 194
4. *Plures Episcopi Galli saeculo* VI *et* VII *distincte sibi suisque successoribus interdicunt potestatem supplendae insufficientiae Abbatis.* 195
5. *Saeculo* VII *et* VIII *in Burgundia et Alsatia, praeter alia privilegia, dabatur ab Episcopis libertas accipiendi episcopalia a quolibet Episcopo.* 197
6. *Plura monasteria in Anglia plene sunt libera et a quolibet Episcopo accipere possunt episcopalia.* 198
7. *Libertas monasteriorum S. Rudesindi in Hispania.* 199
8. *In Hibernia jam a saeculo* VI *Abbas Hiensis non Episcopis, sed omnes Episcopi Abbati Hiensi subjiciuntur.* Ib.
9. *Ab antiquissimis temporibus nil ferme potuerunt Episcopi in monasteria regia.* 200
10. *Reges curabant disciplinam regularem horum monasteriorum et maximam in ea exercebant auctoritatem.* 202

11. *Ad id utebantur opera Missorum dominicorum et Archicapellani.* 204
12. *Hic, interveniente sede apostolica, auctoritatem habebat in omnes res ecclesiasticas regni.* 205
13. *Haec disciplina obtinebat in Gallia maxime, dein in Italia, in Anglia et apud Graecos.* 207
14. *A saeculo* X *usque ad* XII *eam aggressi, vincunt tandem Episcopi.* 209
15. *Ejus vestigia pluribus saeculis deinceps adhuc superfuere.* 210
16. *Sanctissimi viri eam laudarunt.* Ib.
17. *Experientia tamen docuit eam exitiosam esse.* 211

CAPUT NONUM.

DE PRIVILEGIIS, QUAE PONTIFICES ROMANI USQUE AD SAECULUM XI CONCESSERUNT.

1. *Privilegia, quae Pontifices Romani usque ad saeculum* X, *concesserunt monasteriis, ad nihil fere reducit R. D. Verhoeven.* 215
2. *Redarguitur ope privilegiorum S. Hormisdae et Vigilii, qui ineunte saeculo* VI *pontificatum obtinuerunt.* 216
3. *Item ope privilegiorum S. Gregorii Magni.* 217
4. *Item ope privilegii Bobiensis, concessi a Theodoro Papa, et Lutrensis, quod S. Deicolus consecutus est.* 219
5. *Joannes IV circa annum* 640, *praeter omnimodam libertatem, pluribus coenobiis concedit licentiam accipiendi a quolibet Episcopo quae sunt ordinis episcopalis.* 220
6. *Quatuor dein Pontifices nulla privilegia concessisse videntur : hinc intelligitur quare Adeodatus dixerit* morem atque traditionem plus non suppetere. 222
7. *Anno* 680 *S. Agatho insigne privilegium concedit monasterio Petroburgensi in Anglia.* 223
8. *Referuntur aliquot pontificiae Formulae plenariae exemptionis, ad iniens saeculum* VIII *pertinentes.* 224
9. *Saepius hae Formulae adhibitae fuere.* 226
10. *Anno* 742 *omnia per totum orbem terrarum Casinensia monasteria territoria exempta fiunt, et nanciscuntur privilegia quibus nunc nulli Ordines gaudent.* 227

11. *Constructa et construenda per Galliam S. Dionysii monasteria anno 757 consequuntur maxime insignia privilegia. Plura coenobia Episcopum proprium habent.* 228
12. *Anno 800 Centulense coenobium fit territorium exemptum. Exemptio Corbejae Veteris.* 230
13. *Plures Pontifices accuratius indicant verba, quae plenariam exemptionem designent.* 231
14. *Olim monasteria, sub protectione Sanctae Sedis posita et censum solventia, erant aeque exempta ac monasteria sub ditione S. Petri collocata.* 232
15. *Enumerantur plura monasteria, libertate Romana donata et censum solventia.* 234
16. *Cluniacum et triginta octo ei subjecta monasteria eadem libertate fruuntur et sacros ordines a quolibet Episcopo accipere possunt.* 236
17. *Enumerantur plura alia monasteria censuaria et plena libertate donata.* 237
18. *Quam varius esset ille census. Novus catalogus monasteriorum plene liberorum.* 239
19. *Territorium exemptum Bisuldunense.* 240
20. *Limitationes, quas privilegiis apposuit R. D. Verhoeven, aperte cum historicis monumentis pugnant.* Ib.
21. *Valde infeliciter tradidit usque ad saeculum* XI *exemptionem in susceptione eorum, quae sunt ordinis episcopalis, non fuisse concessam.* 241
22. *Non melius asseruit criminalia Abbatum judicia Episcopis reservata fuisse.* 242
23. *Aeque perperam adstruxit monachos Episcopis subfuisse in tuitione privilegiorum.* 243
24. *Eadem placita jam pridem in Febronio refutavit Zaccaria.* 245

CAPUT DECIMUM.

DE NECESSITATE CONSENSUS EPISCOPORUM PRO PRIVILEGIIS PONTIFICIIS.

1. *Contendit R. D. Verhoeven privilegiis saeculi* XI *suam episcopis servatam fuisse jurisdictionem.* 246
2. *Ad saeculum* XI *refert disciplinam, quae* V *et* VI *saeculo jam vigebat.* 247
3. *Adstruit etiam saeculo* XI *Pontifices exemptionem tantum elargitos esse cum consensu et concessione Episcoporum.* Ib.

4. *Quaenam de eadem re doceant hostes Ecclesiae.* 248
5. *Ostenditur ex antiquissima disciplina nullum consensum requisitum fuisse pro exemptione monasteriorum, fundatorum in loco antea non sacro; secus pro aliis monasteriis.* Ib.
6. *Exemplum Perusinum, quod refert R. D. Verhoeven, ac posterius monasteriorum genus pertinet.* 249
7. *Potuisset millena ejuscemodi exempla, etiam hodierna, referre.* 250
8. *Exemplo Perusino ne recte quidem stabiliri potest, decer ut Pontifex Romanus exspectet Episcopi consensum, prius quam exemptum declaret monasterium in fundatione Ordinario subjectum.* 251
9. *Ex aliis fontibus haec disciplinae pars haurienda est.* 255
10. *Saepenumero usi sunt Pontifices absoluta sua in omnes re sacras potestate.* 253

CAPUT UNDECIMUM.

DE NOVITATE ET CAUSIS, QUAS R. D. VERHOEVEN ASSIGNAT PRIVILEGIIS REGULARIUM IN EXCIPIENDIS CONFESSIONIBUS ET ANNUNTIANDO DEI VERBO.

1. *Tradit R. D. Verhoeven ex documentis authenticis non constare regulares ante saeculum* XIII *ex auctoritate pontificia expiasse poenitentes et annuntiasse Dei verbum.* 25
2. *Exponitur status quaestionis.* 256
3. *Referuntur documenta authentica ex saeculo* VI, *quibu assertum R. D. Professoris convellitur.* Ib.
4. *Refertur documentum authenticum ex saeculo* IX. 257
5. *Referuntur documenta authentica ex medio saeculo* XI. Ib.
6. *Referuntur documenta authentica ex exeunte saeculo* XI. 259
7. *Referuntur documenta authentica ex ineunte saeculo* XII 260
8. *Referuntur documenta authentica ex adulto saeculo* XII *c ineunte* XIII. 261
9. *Gregorius IX non concessit similia privilegia ut* nova *e* inaudita. 262
10. *Plura praetermittuntur.* Ib.
11. *Discutitur testimonium Matthaei Parisii, quod oppon solet.* 263
12. *Ita loquitur R. D. Verhoeven ac si Romanus Pontifex non esset immediatus pastor omnium Christi fidelium. Confutatu hic loquendi modus.* 26

13. *Asserit R. D. Professor tradi a S. Bonaventura haec privilegia concessa fuisse propter negligentiam Episcoporum et parochorum.* 266
14. *Ostenditur S. Bonaventuram de alia omnino re loqui, et hoc ipso loco a S. Doctore confutari R. D. Professoris principium de ministerio sacro regularium.* 267
15. *Tradit S. Bonaventura suo tempore communiter clericos in Anglia, vel Francia, vel alibi litteratos fuisse, clericaliter vixisse et subditos suos bene rexisse.* 269
16. *Pontifices concesserunt haec privilegia ob utilitatem Christi fidelium.* Ib.
17. *Docet R. D. Verhoeven haec privilegia concessa fuisse a Pontificibus ex amore erga Ordines, in quibus educati fuerant. Quam parum ei suffragetur Cardinalis Petra.* 270
18. *Pontifices aliam omnino his privilegiis assignant causam.* 271
19. *Vetera haec privilegia non desiderantur a regularibus; sed nequaquam sunt culpanda.* 272

CAPUT DUODECIMUM.

DE QUERELIS, QUIBUS REGULARIUM PRIVILEGIA PRO SACRO MINISTERIO LOCUM DEDISSE DICUNTUR.

1. *Tradit R. D. Verhoeven privilegia regularium pro sacro ministerio continuis acerbisque querelis dedisse locum.* 273
2. *Omnia, quae ad regulares pertinent, semper invidiae et querelis pravorum obnoxia fuerunt.* 274
3. *Quomodo de his querelis judicandum sit.* 275
4. *Querelae Parisienses, suscitatae a Gulielmo a S. Amore.* Ib.
5. *Querelae Parisienses anni* 1281 *et* 1321. 277
6. *Querelae, ante Concilium Viennense subortae. Monitum Zallingeri in* I *Clementinam* (*lib.* 5, *tit.* 7). 279
7. *Querelae Avenionenses anni* 1351. 281
8. *Querelae Archiepiscopi Armacani.* 283
9. *Querelae universitatis Parisiensis de Bulla Alexandri V.* Ib.
10. *Quae in Concilio Constantiensi gesta sint.* 285
11. *Querelae Parisienses de Bulla Nicolai V.* Ib.
12. *Quae acta sint in Concilio Lateranensi sub Leone X.* 286
13. *Invitatur lector ad judicandum an quidpiam hae querelae contra privilegia probent.* 288

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE CONCILIO TRIDENTINO, IN QUO COGITATUM FUISSE DICITUR DE REVOCANDIS OMNIBUS REGULARIUM PRIVILEGIIS.

1. *Docet R. D. Verhoeven in Concilio Tridentino cogitatum fuisse de revocandis omnibus regularium privilegiis. Quid de eadem re tradat Febronius.* 289
2. *Adstruitur id Tridenti non fuisse cogitatum.* 290
3. *Confutatur primum argumentum Espenii et Febronii.* 292
4. *Confutatur secundum argumentum Espenii et Febronii.* Ib.
5. *Confutatur tertium argumentum Espenii et Febronii.* 293
6. *Confutatur quartum argumentum Febronii.* 294
7. *Confutatur ultimum argumentum Espenii, et exponitur historia turbarum, quas in Concilio Tridentino suscitavit Braccius Martellus.* Ib.
8. *Aggreditur Martellus missionem pontificiam regularium; refellitur a Caselio; castigatur a Concilii Praeside.* 295
9. *Iterum turbat Concilium et placide redarguitur a Cardinali Polo: accusatur a Legatis apud Summum Pontificem; increpatur a Concilii Praeside; a pluribus Patribus objurgatus, solvitur in lacrymas; favent Patres parochis et regularibus.* 296
10. *Episcopus quidam censet occasione utendum esse ad ampliandam Episcoporum potestatem; Pachecus et maxime Seripandus temperatissimun sermonem habent; licet Paulus III Patribus fecisset potestatem maximam, hi tamen ferunt decretum regularibus favens.* 299
11. *Tantum abest ut haec concertatio faveat R. D. Professori, ut ei prorsus adversetur.* 301
12. *Card. Pallavicinus, Concilii historicus, plane contradicit R. D. Verhoeven.* Ib.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

DE CONSERVANDIS REGULARIUM PRIVILEGIIS.

1. *R. D. Verhoeven nimium ampliat hodiernas regularium exemptiones.* 303
2. *Redarguitur quod ita loquitur de regularium privilegiis, quasi facile mutari possent.* Ib.
3. *Ita disserit quasi hortaretur Episcopos ad postulandam a*

Sancta Sede revocationem privilegiorum regularium. 304
4. *Videtur innuere Sanctam Sedem ignaram esse rerum et rationum patriae nostrae.* 305
5. *Immerito suorum dictorum vadem facit Benedictum XIV.* 307
6. *Refertur monitum Benedicti XIV, ex quo patet non resuscitandas esse quaestiones, quas duodecim abhinc annis Sancta Sedes diremit.* 309
7. *Referuntur rationes, ob quas Gregorius Papa XVI exemptiones regularium in Belgio conservandas esse dixit.* Ib.
8. *In mentem revocantur Sanctiones ecclesiasticae et longa experientia.* 310
9. *Utilitas Sanctae Sedis.* Ib.
10. *Utilitas Episcoporum.* 313
11. *Utilitas regularium et Christi fidelium.* 314
12. *Odium haereticorum et incredulorum.* 317
13. *Redarguitur R. D. Verhoeven quod dixerit privilegia non omnia a Concilio Tridentino abolita fuisse propter pristinos regularium labores.* 318
14. *Regulares pauciora jura habent quam clerici parochiales; unde nullus invidiae locus.* Ib.
15. *In multis subjecti sunt Episcopis.* 320
16. *Regulares non constituunt statum in statu.* 322

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE INTERPRETATIONE PRIVILEGIORUM.

1. *Docet R. D. Verhoeven privilegia regularium esse odiosa et strictae interpretationis.* 324
2. *Parum aequus fuisse videtur erga criticum Leodiensem, aliter sentientem.* 325
3. *Declarat se in quaestionibus Juris Canonici prorsus non curare auctoritatem extrinsecam, et manifesti erroris incusat S. Alphonsum de Liguorio et communissimam Doctorum sententiam.* 328
4. *Librum suum errorum vacuum esse scribit, quoniam a Vicario Generali approbatus fuit; licet ipsi Romani Pontifices fateantur se ut Doctores privatos errare posse.* 332
5. *Non referendo integrum Fagnani locum, suadet lectori hunc canonistam sibi favere, dum aperte ei refragatur.* 333

6. *In eamdem rem citat Zypaeum, de alio omnino argumento loquentem.* 336
7. *Hinc unus Berardus ei comes superest, auctor minoris ponderis in hac quaestione.* 337
8. *Citat R. D. Verhoeven duas Regulas Juris, non attendens eas obnoxias esse innumeris exceptionibus.* Ib.
9. *Innuit contrarium sentientes non bene perspecta habuisse principia Juris et duas omnium maxime vulgares Regulas Juris.* 339
10. *Citantur septuaginta auctores, in quos ea probra recidunt et qui R. D. Professori et Berardo adversantur.* 340
11. *Consectaria communissimae eorum sententiae.* 343
12. *Fundamenta hujus sententiae.* 344
13. *Exemptiones non adversantur juri communi.* 347
14. *Exemptiones non sunt hierarchiae ecclesiasticae inimicae, nec per eas jus alteri aufertur.* 348
15. *Neque Episcopis aufertur eorum jurisdictio.* 349
16. *Ex constitutione Innocentii III nequaquam sequitur privilegia esse strictae interpretationis.* 351
17. *Limitationes privilegiorum non sunt latae interpretationis, neque hic locus est facili ad principia regressui.* 352
18. *Contrariis assertis sacra Congregatio Concilii adversatur.* 353
19. *Referuntur declarationes sacrae Congregationis Concilii super constitutione Gregorii XV de exemptorum privilegiis.* 355

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE USU SEU POTIUS ABUSU PRIVILEGIORUM, DEQUE CONCESSIONE ET REVOCATIONE EXEMPTIONUM EPISCOPALIUM.

1. *Parum apte admonet R. D. Verhoeven regulares de usu privilegiorum.* 360
2. *Perperam urget revocationem privilegiorum.* 361
3. *Allegat decretalem quae, quum integra inspicitur, contrarium probat eorum ad quae comprobanda fragmentum mutilum ex illa citatur.* 362
4. *Refert alteram, quae ad rem non facit.* 364
5. *Non loquitur de privilegiorum utilitate, sed fingit abusus.* 365
6. *Examinatur primus abusus, objectus a R. D. Professore,*

nempe fieri posse, si regulares tempore paschali sacram communionem distribuant vel confessiones excipiant, ut poenitentes non satisfaciant officio paschali : ostenditur minus esse periculi in ecclesiis regularium quam alibi. Ib.

7. *Admonet R. D. Verhoeven Patres Societatis Jesu de servandis suis Regulis; locum non recte citat; excusatur.* 367
8. *Examinatur secundus propositus abusus, quem timendum asserit R. D. Verhoeven, si regulares aegrotorum aedes adeant, non praemonito parocho. Quanta imprudentia de hac re jam scriptum fuerit.* 368
9. *Examinatur tertius putatitius abusus, scilicet concionem parochialem vitari a Christi fidelibus, nisi diebus festis et dominicis ecclesiae regularium claudantur. Experientia quotidiana id docuit R. D. Professorem.* 371
10. *Parum caute loquitur, ita ut injuria afficiat praestantissimos Belgii nostri Episcopos.* 373
11. *Non recte invocat auctoritatem Benedicti XIV.* 374
12. *Non accurate scribit de concessione et revocatione exemptionum episcopalium.* 375
13. *Nil cupiunt regulares praeter moderatum privilegiorum usum.* 376

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE EXHIBITIONE ET INTERPRETE PRIVILEGIORUM ET DE FALSA IN PATRES SOCIETATIS JESU ACCUSATIONE.

1. *Perperam docet R. D. Verhoeven regulares obligari ad exhibenda sua privilegia Ordinariis, priusquam id rogati fuerint.* 379
2. *Omittit regulares numquam debere exhibere privilegia notoria.* 380
3. *Tradit Episcopos legitimos judices et interpretes esse privilegiorum, haec ex eorum judicio ambigua fieri, neque proin licere regularibus his uti.* 381
4. *Haec doctrina, maxime ruinoso fundamento innixa, ad absurda ducit.* 382
5. *Exponitur vera mens sacrae Congregationis Concilii et genuina probatorum scriptorum doctrina.* 384
6. *Quid pendente lite inter Episcopum et superiorem regularem de exemptione agendum sit.* 385

7. *Declarat R. D. Professor se nuspiam reperisse privilegium, quo eximerentur regulares a lege quae nuspiam extra suum librum exsistit.* 387
8. *Asserit Patres Societatis Jesu Angelopolitanos contendisse sibi proprio jure licere absque approbatione Ordinarii confessiones audire aliaque pia munera adimplere.* 388
9. *Ex authenticis documentis demonstratur contrarium.* 389

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE MENTE ECCLESIAE, SECUNDUM QUAM REGULARES SUPPLERE TANTUM POSSENT DEFECTUM CLERI SAECULARIS.

1. *Finis privilegiorum regularium pro sacro ministerio.* 399
2. *Ut principium statuit R. D. Verhoeven* mentem Ecclesiae esse, ut regulares in negotiis et officiis ecclesiasticis, quaeque animarum curam saecularium respiciunt, in subsidium TANTUM et defectum cleri saecularis generatim ab Episcopis assumantur, et QUATENUS clerus saecularis ad ea officia adimplenda minus aptus sit. 400
3. *In Ecclesiae ministris designandis ante omnia considerandum est quam apte et quam digne sacra munera obituri sint.* 401
4. *Saeculo* IV *optat Siricius Papa bonos monachos sacro ministerio adhiberi.* 402
5. *S. Gregorius M. saeculo* VI *censet sacramenta et Dei verbum* dignius *ministrari a monachis, idque vi eorum professionis monasticae.* Ib.
6. *Bonifacius IV idem censet.* 403
7. *Idem adstruit saeculo* XI *Urbanus II.* 406
8. *Consona docet Pius VI.* Ib.
9. *Innumeri scriptores ecclesiastici docuerunt Apostolos religiosos fuisse.* 407
10. *S. Petrus Damiani docet propter vitam religiosam, quam amplexi sunt, regulares rectius sacra munia obire.* Ib.
11. *Idem tradunt S. Ivo Carnotensis, B. Bernardus Tironiensis aliique.* 409
12. *Eadem sensa propugnat Venerabilis Rupertus.* 410
13. *Gerohus longius procedit et statuit omnibus clericis amplectendam esse vitam regularem.* Ib.

14. *Lepida historia confutat Idungus Emmeramensis regularium hostes.* 411
15. *SS. Thomas et Bonaventura docent religiosos* magis idoneos *esse sacro ministerio obeundo, eosque id* multo magis *posse.* 412
16. *Idem docent recentiores. Citatur Viva.* 413
17. *Qua mente haec retulerimus.* 414
18. *Confutatur principium R. D. Verhoeven ex ministerio concredito regularibus. Possunt fieri Romani Pontifices, Cardinales et Episcopi aeque ac saeculares.* Ib.
19. *Confutatur item ex Concilio Tridentino, quod aeque regulares ac saeculares ad munus examinatorum synodalium eligendos decernit.* 415
20. *Confutatur item ex historia.* 416
21. *Item ex his, quae tradit R. D. Verhoeven de Missae sacrificio et de S. Eucharistia.* 417
22. *Item ex his, quae docet de poenitentiae sacramento, licet omittat regulares generaliter repertos idoneos absque ulla limitatione approbandos esse, et Episcopos non posse regulari alicui negare approbationem propter superfluitatem confessariorum.* 418
23. *Statuitur contra R. D. Professorem non bonum dioeceseos, sed leges Ecclesiae regulam esse secundum quam Episcopis agendum est.* 419
24. *Confutatur demum R. D. Verhoeven principium ex his, quae ipsemet docet de annuntiando Dei verbo.* 421

CAPUT DECIMUM NONUM.

DE ARGUMENTIS, QUIBUS ADSTRUCTUM FUIT REGULARIBUS SUPPLENDUM TANTUM ESSE DEFECTUM CLERI SAECULARIS.

1. *Asserit R. D. Verhoeven principium suum confici* ex universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia; *sed nequaquam id ostendere potest.* 423
1. *Contrarium confici ex universa ecclesiasticae disciplinae oeconomia declarant SS. Thomas et Bonaventura.* 425
3. *Invocat R. D. Verhoeven sanctos Ordinum fundatores, id est S. Franciscum Assisiensem, qui tamen de hac re non loquitur.* 426
4. *Invocat sanctos e regularium Ordinibus viros; quorum*

alter videtur esse S. Thomas, licet hic nil tale habeat. 427
5. *Allegat R. D. Professor duos textus S. Bonaventurae, quorum alter apocryphus videtur; et, si genuinus esset, ad rem non faceret, tum quoniam regulares nolunt esse* Domini, *tum quoniam de dominatione non agitur.* Ib.
6. *Explicatur alter textus S. Bonaventurae.* 429
7. *Quid S. Doctor per* detrimentum temporale *parochorum intelligat.* Ib.
8. *Quid per* detrimentum spirituale. 430
9. *Quantum abhorreat S. Bonaventurae doctrina a placitis R. D. Professoris.* 433
10. *Docet S. Bonaventura a S. Francisco* perpetuum *Ordinem institutum fuisse, ad cujus* essentiam *pertineret sacrum ministerium.* 434
11. *Volebat conventus institui et conservari etiam in locis, ubi sufficiebat clerus saecularis.* 435
12. *Tradit a FF. Minoribus ea fieri posse, quae clerus saecularis praestare valet.* 436
13. *S. Thomas* ex professo *confutat R. D. Professoris principium.* 438
14. *Perperam allegatur Bulla Benedicti XIV, de re prorsus diversa agentis. Hostis quidam regularium defendit R. D. Professorem allegando* Indicem *libri.* 439
15. *Ad disciplinam regularem sartam tectam servandam non possunt religiosi absque dispensatione promoveri ad parochias suo monasterio non unitas.* 442
16. *Sed possunt promoveri ad parochias pleno jure unitas monasterio, et Praemonstratenses ad quasvis parochias. Quantum hoc novum et maxime jus vetus cum principio R. D. Verhoeven pugnet.* 443
17. *Ex his et ex aliis supra deductis satisfit miris objectionibus hostis illius regularium.* Ib.

CAPUT VIGESIMUM.

DE CONTROVERSIA UTRUM R. D. PROFESSORIS PRINCIPIUM CONVENIAT CUM DOCTRINA PISTORIENSIS SYNODI, AN CUM HUJUS CENSURA INFLICTA A PIO PP. VI. DE IMPORTUNITATE ILLIUS PRINCIPII.

1. *Origo hujus controversiae.* 448
2. *Non fuit mens Synodi regulares a sacro ministerio exclu-*

dere, ubi adesset defectus cleri saecularis, ut constat ex multis monumentis. Ib.
3. *Unde non facile intelligitur quomodo* in praxi *differat sententia R. D. Professoris a doctrina Pistoriensium.* 450
4. *Proponit R. D. Verhoeven quaedam satis similia principio cuidam Pistoriensi.* 452
5. *Contendit tamen se consentire Pio VI, Pistorienses damnanti. Lectori proponuntur argumenta, ex quibus judicium ferre possit. Quam mirabili modo pseudoparochus defenderit R. D. Verhoeven.* 454
6. *Regulares sunt cooperatores et auxiliarii cleri saecularis.* 456
7. *Sed sunt cooperatores et auxiliarii perennes.* 458
8. *Maxime missi sunt in subsidium totius Ecclesiae militantis.* 459
9. *Quomodo regulares etiam missi sint in subsidium cleri saecularis.* 460
10. *Missionem et jurisdictionem suam habent a Pontifice, non ab Episcopis. Confundere solet R. D. Professor* approbationem *cum* jurisdictione. 461
11. *Quae corollaria sequantur ex hac missione pontificia. Laudes, quas meretur R. D. Verhoeven propter retractationem quamdam, licet non completam.* 462
12. *Regularibus tantum est jus ad sacrum ministerium quantum clero saeculari.* 463
13. *Principium R. D. Professoris solummodo ad jurgia suscitanda valere potest, estque contumeliosum in superiorum temporum clerum.* 464
14. *Hic tamen nequaquam contemni meretur.* Ib.
15. *Sacrum ministerium regularium in Belgio utilissimum est.* 466
16. *Excusatur R. D. Verhoeven.* 471

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

DE LICENTIA ORDINARII AD ERECTIONEM MONASTERII REQUISITA.

1. *Antiqui canones de monasteriorum erectione.* 472
2. *Citat R. D. Verhoeven fictitium canonem Carthaginensem.* 473
3. *Antiqui monachi sedulo canones observarunt.* 474
4. *Optimi quique Episcopi monasteriorum fundationi faverunt.* 475

5. *Episcopos ad fovenda monasteria excitabant sacri cano nes.* 477
6. *Omittit R. D. Verhoeven plerosque regulares a sae culo* XIII *eximi coepisse a petenda Ordinarii licentia pr monasteriorum erectione.* 478
7. *Hodierna Ecclesiae disciplina circa eamdem erectionem.* 48
8. *R. D. Verhoeven ecclesiam non habet ut partem integralen monasterii.* 48
9. *Ecclesiam esse partem integralem monasterii S. Rota sae pius declaravit.* 483
10. *Idem deducitur ex verbis Concilii Tridentini aliisqu rationibus.* 486
11. *Idem ex pluribus Juris canonici capitibus perspicuum est* 488
12. *Aedificatio ecclesiae in monasterio confunditur a R. D. Ver hoeven cum aedificatione oratorii vel capellae in loco no exempto.* 489
13. *Barbosae doctrina de aedificandis ecclesiis in locis exem ptis et non exemptis, a R. D. Verhoeven non bene intel lecta.* 490
14. *Notio loci exempti.* 493
15. *Notio oratorii et capellae.* 495
16. *Ex praemissis notionibus refutatur R. D. Verhoeven.* 49

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

DE SERVANDIS AB ORDINARIO IN PERMITTENDA MONASTERII ERECTIONE.

1. *Quaedam Pasqualigi verba non sat accurate describi R. D. Verhoeven.* Pag. 498
2. *Constitutio Clementis VIII de monasteriorum erectione.* 500
3. *De eadem re decreta posteriorum Pontificum.* 501
4. *Scopus Summorum Pontificum erat cavere ne nova mona steria nocerent antiquis.* 505
5. *Plurima monasteria erecta fuere saeculis* XVI *et* XVII. 505
6. *Ex constitutionibus pontificiis non sequitur parochos pr erectione monasterii ab Ordinario vocandos et audiendos esse.* 506
7. *Rationes a R. D. Verhoeven allegatae non asserunt id jus parochis.* 507
8. *Ex novem auctoribus a R. D. Verhoeven citatis tres ill haud favent.* 509

9. *Quatuor tantum illi reapse favent.* 511
10. *Reliqui duo ancipites haerent.* 515
11. *R. D. Verhoeven suam doctrinam immerito vocat communem canonistarum doctrinam.* 516
12. *Parochus vocari et audiri debet pro dismembratione parochiae suae.* 517
13. *In aedificatione ecclesiae saecularis non parochialis praeservanda sunt jura parochialia tantum.* 519
14. *Eadem jura praeservanda sunt in erectione monasterii.* 521
15. *Quae sint hodie jura parochialia.* 522
16. *R. D. Verhoeven non bene parochis patrocinatur.* Ib.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

DE PAROCHO INTRA CUJUS PAROCHIAM MONASTERIUM ERIGITUR.

1. *Canon de non aedificanda ecclesia in praejudicium alterius nihil speciale pro parochialibus ecclesiis decernit.* 524
2. *Idem canon non severius de ecclesiarum regularium quam de aliarum aedificatione interpretandus.* 526
3. *Quid canone illo revera vetetur.* 527
4. *Responsio S. Bonaventurae ad querelas de religiosis nova monasteria erigentibus.* 528
5. *Ratiocinia R. D. Verhoeven non evincunt id quod probare conatur.* 530
6. *Num merito R. D. Verhoeven parocho amovibili idem jus tribuat ac inamovibili.* 531
7. *Etsi parochus vocari et audiri deberet, non inde sequeretur consensum ejus esse necessarium.* 533
8. *Non omnis proventuum diminutio ut praejudicium haberi debet.* 534
9. *Propter meram proventuum diminutionem non potest parochus aedificationi ecclesiae regularium resistere.* 535
10. *Ex tribus auctoribus a R. D. Verhoeven citatis unus Pignatellus consensum parochi requirit.* 537
11. *Expenduntur rationes Pignatelli.* Ib.
12. *Pignatellus secum ipso non satis constat.* 539
13. *Pro multis, quas promittit, tribunalium Romanorum decisionibus R. D. Verhoeven unam tantum S. Rotae decisionem adducit.* 541
14. *Ea decisio S. Rotae ad rem non pertinet.* 542
15. *Ex praemissis ruunt assertiones R. D. Verhoeven.* 543

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

DE PRISTINO ET HODIERNO ECCLESIARUM PAROCHIALIUM IN BELGIO STATU

1. *Asserit R. D. Verhoeven saeculo* XVII *parochiales in Belgio ecclesias rebus temporalibus abundasse.* 545
2. *Pertenues erant ecclesiastici redditus saeculo* XVI. 540
3. *Ecclesiarum parochialium inopiam testantur primae Synodi provinciales Mechliniensis et Cameracensis.* 548
4. *Conatus harum Synodorum ad inopiam illam levandam frustravit bellum civile.* 549
5. *Saeculo* XVII *ineunte pro parochorum sustentatione deveniendum fuit ad populi symbola.* 551
6. *Eodem remedio opus fuit ut restaurari possent sacra aedificia.* 552
7. *Saeculo* XVII *magis provecto nondum satis provisum erat sustentationi cleri parochialis.* 553
8. *Imo nec habitationi parochorum satis tunc erat consultum.* 555
9. *Reparatio ecclesiarum parochialium maximis obsita erat difficultatibus.* 556
10. *Exeunte eodem saeculo plurimae ecclesiae parochiales adhuc miseria squallebant.* 558
11. *Spoliationem bonorum ecclesiarum parochialium, circa finem saeculi* XVIII *factam, exaggerat R. D. Verhoeven.* 559
12. *Deprimit eorumdem bonorum restitutionem, praesenti saeculo inchoatam.* 561
13. *Referuntur quae pro hac restitutione sanxit et praestitit Napoleo.* 562
14. *Quid hodie civilis in Belgio magistratus ad sustentationem cleri conferat.* 566
15. *Quid idem magistratus conferat ad constructionem et reparationem aedificiorum parochialium.* 567
16. *Asserit R. D. Verhoeven statum ecclesiarum parochialium in Belgio adhuc esse miserum.* 569
17. *Assertum hoc infirmant facta omnium oculis patentia.* Ib.
18. *Ex fontibus reddituum ecclesiarum parochialium eos tantum enumerat qui a concursu populi pendent.* 571
19. *Immerito causatur hos redditus diminui erectione ecclesiarum regularium.* Ib.

20. *Eminuit multorum fidelium liberalitas donis legatisque in in ecclesias parochiales conferendis.* 573
21. *Neque haec liberalitas erectione ecclesiarum regularium imminuitur.* 574
22. *Inter praecipuos reddituum fontes jura funeralia referre debuisset R. D. Verhoeven.* 575
23. *Respondetur ejus provocationi ad rationes datorum et acceptorum.* 576
24. *Vicinia regularium non nocuit prosperitati ecclesiarum parochialium in dioecesi Gandavensi, neque in civitate Brugis.* 577
25. *Quis sit status ecclesiarum parochialium Tornaci et Montibus Hannoniae.* 579
26. *Quis item Namurci.* Ib.
27. *Quis Trudonopoli et Leodii.* 581
28. *Quis demum Bruxellis et Antverpiae.* Ib.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

DE PRISTINA ET HODIERNA PAROCHORUM IN BELGIO SORTE.

1. *Objicit sibi R. D. Verhoeven, quod tamen serio facere non potest, pensionem civilem parochorum.* 584
2. *Respondet* 1° *hanc pensionem iis non sufficere. Sed silet interim de juribus stolae.* 585
3. *Jura stolae quanta essent olim Mechliniae, Antverpiae et Bruxellis.* 586
4. *Item in comitatu Namurcensi et in Flandria.* 588
5. *Eadem jura quanta sint hodie.* 589
6. *Haec jura pensioni civili conjuncta sufficientem plerumque efficiunt parochorum portionem.* 591
7. *Respondet* 2° *parochum esse patrem pauperum. Quanti haec responsio valeat.* 592
8. *Respondent* 3° *distributiones eleemosynarum Mensarum S. Spiritus olim prae caeteris ad parochos pertinuisse.* 593
9. *Non probatur id ex Synodis quas allegat.* Ib.
10. *Neque probatur ex Espenio, cujus verba immutavit.* 595
11. *Quid juris parochis olim competeret circa Mensas pauperum.* Ib.
12. *Distributio eleemosynarum primario fiebat a laicis Mensarum S. Spiritus magistris.* 597

13. *Parochorum in hac re conditio non tantum hodie est immutata quantum R. D. Verhoeven contendit.* 599

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

DE SUPPLENDA IN BELGIO ECCLESIARUM ET PRESBYTERORUM PAROCHIALIUM PAUCITATE PER ERECTIONEM MONASTERIORUM.

1. *Non bene se excusat R. D. Verhoeven quod rei temporalis longe magis quam spiritalis rationem habuerit.* 601
2. *Immerito dubitat utrum ecclesia regularium utilis esse possit ubi jam satis exstat ecclesiarum saecularium.* 603
3. *Supponere videtur sufficientem esse clerum parochialem in Belgio.* 604
4. *Ea suppositio vehementer dissonat a mente Pii VI.* 605
5. *Numerosior passim in Belgio clerus desideratur.* 606
6. *Desideratur quoque major numerus ecclesiarum in civitatibus et oppidis frequentioribus.* 607
7. *Plures ecclesias praecipua quaedam Belgii loca commode ferre possent.* 609
8. *Ergo promovenda potius quam impedienda monasteriorum in Belgio multiplicatio.* 611
9. *Refellitur assertio adversarii, erectionem ecclesiae regularium vergere posse in spiritale fidelium detrimentum.* 612
10. *Ostenditur quam infortunatum sit remedium praetensis malis vitandis ab eo excogitatum.* 613
11. *Subjiciuntur demum animadversiones in alia quaedam ab eo asserta.* 614

ERRATA ALIQUOT PRAECIPUA.

Pag. 14, lin. 13, *dicendae* lege *ducendae*. — p. 53, l. 13, *movis* l. *moris*. — p. 54, l. 16 *canaliter* l. *carnaliter*. — p. 59, l. 19, *Priori* l. *Posteriori*.—p. 75, l. 31, *medicos* l. *modicos*.—p. 155, l. 15, *Lannoyi* l. *Launoyi*. —p. 160, l. 3, *ejusdemqua* *Ordines* l. *ejusdem Ordinis*. — p. 162, l. 3, *consebantur* l. *censebantur*. — p. 194, l. 38, *pag.* 193 *et seq.* l. 144. — p. 222, l. 17, *continentur* l. *continenter*.—p. 299, l. 32, *concilia* l. *consilia*.—p. 314, l. 4, *uno* l. *uni*. — p. 380, l. 1, *mentum* l. *mentem*.—p. 463, l. 29, *sex* l. *sed*. —p. 512, l. 6, *habitur* l. *habetur*.

EN VENTE

CHEZ LES MÊMES LIBRAIRES :

ACTA

SANCTORUM OCTOBRIS,

cura

J. VANDERMOERE ET J. VANHECKE,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERORUM THEOLOGORUM.

Grand in-fol., divisé en 2 parties, gravures sur cuivre. Broché. fr. 85 »

—

ACTA

S. TERESIÆ A JESU

cura

J. VANDERMOERE,

Societatis Jesu presbyteri theologi.

Grand in-fol. de 750 pages, grav. sur cuivre, broché. . . . fr. 35 »

—

GRAMMAIRE ANGLAISE comparée aux langues flamande et allemande, ou méthode facile pour apprendre cette langue, par C. COMBERBACH, professeur à l'école spéciale de commerce et d'industrie (Institut St Louis), à Malines. In-12. Prix, br. . . . fr. 3 »

RECUEIL de Thèmes, d'Exercices et de Versions, pour faciliter l'étude de la langue anglaise, par le même, ouvrage mis en rapport avec sa grammaire. Prix, broché. fr. 2-50

—

HET LEVEN van Onzen Heer Jesus Christus, door wylen P. Cornelius Smet, van de Societeyt Jesus, met eene levensschets van denzelven. Een boekdeel in-8° op twee kolommen van 500 bladzyden, met titelprint en kaert.

Den prys, by exemplair, gebrocheerd, is 2 fr. Die er 12 neemt, bekomt ze gecartonneerd, en krygt een 13^e *gratis*. 50 exemplairen in bladeren nemende, zal men er acht *gratis* bekomen, en op 100, twintig.

HET HEILIG HERT vereerd aen alle godvruchtige herten, door eenen Priester der Societeit Jesus. 24 platen in hout en een titelblad. Schoon boek in-12 op gesatineerd papier. fr. 1-75, net fr. 1-06

—

HET ZALIG NIEUW-JAER, kleyne katholyke volks-bibliotheek, uytgegeven onder de bescherming der Geestelyke Overheyd. 54 boekskens per jaer br. fr. 2-70

—

L'ANNÉE LITURGIQUE, par le R. P. Dom PROSPER GUÉRANGER, abbé de Solesmes. — 2 beaux vol. in-12 de 460 pages chaque :

Première Section.

L'AVENT.

Deuxième Section.

LE TEMPS DE NOEL.

Prix de chaque vol. br. . fr. 2 »

—

DICTIONNAIRE COMPLET

FRANÇAIS-FLAMAND

ET FLAMAND-FRANÇAIS,

PAR

SLEECKX ET VAN DE VELDE, ETC..

2 GROS VOL. IN-8° A 3 COL.

DE 22 A 23 LIVRAISONS CHAQUE

A 75 C^mes PAR LIV. DE 64 PAG.

—

Sous Presse :

DICTIONNAIRE des commençants Français-Flamand et Flamand-Français. In-12.

—

DICTIONNAIRE de Poche Français-Flamand et Flamand-Français. In-32.

—

P. JOANNIS PETITDIER, Societatis Jesu, Exercitia spiritualia tertio probationis anno a Patribus Societatis Jesu per mensem obeunda juxta normam Sancti Ignatii de Loyola, in-12.

50694